
232

Noctes
Genial:
del
Nardi









Registo
Completo

NOCTES GENIALES

AVCTORE

D. IOANNE NARDIO FLORENTINO


ANNVS PRIMVS.



BONONIÆ M.DC.LV.

Typis Io. Baptistæ Ferronij. Superiorum permissu.

SERENISSIMO
AC REVERENDISS. CARD.
CAROLO MEDICEO
Sacri Collegij Card. Decano.





OCTES has GENIALES vltimos Parentis mei conatus, SERENISS. CAROLE, Celſitudini Tuæ ex animo voueo : vt tanto patrocinio, quaſi validiſsimo vallo defenſæ, ac munitæ, morſus in-

uidorum, qui certè non deerunt, facilè poſsint effugere. Te Patrono fretæ publici fauoris in ſpem prodire non dubitabunt. Ne dedigneris, oro, meum hoc ſingularis obſeruantiæ monumentum, gratiq; animi teſtimonium accipere, ac ſolita humanitate, & beneuolentia complecti. Vale, ac diù fælix viue Etruriæ columen, ac decus ſingulare.

Celſitudini Tuæ

Addictiſs. Cliens

Philippus Nardius Auct. fil.

Beneuole Lector:

PRodeunt tandem è Prælo publicam in lucem expectatæ diù Geniales, NOCTES ne dicam, an DIES; si enim illustris subtilitatem Doctrinæ, si purissimi splendorem Styli aspicias, nil est quod NOCTEM refert, nisi, quot Verba legis impressa, tot rutilas dicas Stellas, NOCTIS Socias, quæ Solis sequitur ad Occasum. Vt enim occiduo Sole lucere Sydera conspiciuntur, & NOX est, ita extincto suo Authore doctissimum hocce OPVS, NOCTIVM titulum non immeritò acquisiuit, quem Viuens, verùm aliâ longè mente, incæpto iam imposuerat. Occidit nimirum Excellentiss. NARDIVS, Litterarij Cœli Sol lucidissimus, in medio cæptorum suorum laborum Cursu, qui tamen iampridem immensæ Gloriæ attigerat metam, quam vt æternaret faciliùs, fulgentissimas eruditione hasce NOCTES, vltimos fertilissimi sui Ingenij Partus, ipse adhuc Viuus typis commisit, at acerba Morte præuentus perficere nequijt. Tu interim, Amice Lector, dum tanti Viri immaturum luges Casum, relicto tibi hoc Opere, NARDIANI Ingenij velut Opibus, gaude & fruere. Si quæ inter legendum mendorum nebulæ, aut meâ fortè incuriâ, aut Typographi oscitantiâ (cui his in NOCTIBVS, ob crebriores meas occupatiunculas semper inuigilare non licuit) exortæ, oculis tuis obuersabuntur, eas, quæsò, benignâ serenæ tuæ frontis luce discute; non enim ignoras, quòd ipse quandoq; bonus dormitet Homerus; nec te latet, quàm ineuitabilia sint Amanuensium Miasmata, quibus deprehendendis, expurgandisque, nec Argi lumina, nec Briarei brachia sufficerent. Ne tamen Correctoris officio, quo hoc in Opere functus fui, deesse videar, crassiores errores, sensum forsan obfuscantes, qui sparsim, passimq; irrepsêre, in sequenti facie congestos, vno quasi intuitu videndos, tibi exhibeo. Vale.

Elias Schottelius Hala-Tyrolensis, Philosoph. Magister, ac Medicinæ Candid.

Menda ſic Emenda.

Pag.8.lin.6.encheini encheiria 13.20.acque atque 14 2.fruſtra fruſta 25.26. hemoptiſi hæmoptyſi 28.6. *abberret aberret* ibid.l.vlt. elligit eligit 35.20.ſyncopè ſyncope 37.14. menbri membri 43.4. medenti medentis ibid.20. obſerſeruatu obſeruatu 46.6. *perigrino peregrino* ibid.11. conſtans conflans 48.13. igittur igitur 51.9. adoleſcentis adoleſcentes 53.10. frequentiàs frequentiùs 64.14. non nos 76.7. fæſius Fæſius 86.21. intempiſtiuè intempeſtiuè 95.23.fridam frigidam ibid.25. ve vel 101.13. Die Dic 104.6. *crectum erectum* ibid.15. *adempt adempta* 111.5. Præ nigeres Præmigenes 115.21. obuti abuti 132.22. perdende perpende 134.5. æquipolleret æquipollere 148.14. *omnes omnis* 156.5. Aueroes Auerroes 157.l. penult. Auerrorem Auerroem 117.l. penult. ſolatis ſolutis 182.2. ſphcæli ſphacæli 190.8. deſterentias differentias 196.14.leuidenti leuidenſi 199.1.efluxus effluxus 201.18.exicidatur excidatur ib.exhitaret hæſitaret 203.22. *herbi orobi* ib.26. *eris æris* 207.11. *Val Vel* 209.14. cum cura 212.21. mulieris molieris 214.18. caſurijs caſuris 215.6. ſuſcribo ſubſcribo 219.20. *læti lethi* 222.9. miſmata miaſmata 231.12. vbirrimè vberimè 232.5. *animaduerſam animaduerſum* 241.16.falere fallere 248.11. diuritiem duritiem 262.15. Dyade Dyadem 266.20. aſſeruatam aſſeruatum 282.13. ſilice mſilice ſilicem ſilice 288.15. modeſta modeſtia 291.27. anatomi anatome 300.19. abſotptam abſorptam 315.33. deffiteor diffiteor 322.18. ipſumet ipſummet 332.22. aiimenta alimenta 361.11. ornaniſſimi ornatiſſimi 363.29. quod ſi albumen, ſi albumen elaboratius- quod ſi albumen elaboratius 365.14. calidam calidum 368.15.ex carne excarne 375.8. ſi ſe 383.18.inslatis inflatis 387.ntegra integra ibid.28. pureſcit putreſcit 388.4. Præſtitia Præſtitit 390.26. coitum coctum 394.17. ſupuprare ſuppurare 396.9. calotis caloris 409.27. von non 318.12.voro verò 424.11.eueniant eueniat 439.28.*caſtrati caſtraturi* 448.14. exbibeantur exhibeantur 449. cachethicis cacoethicis 459.23. glorioſæ gloriolæ 481.29. tota toto 488.16. in primus in primis 503.28. *meatibus: reſeratis meatibus reſeratis:* ibid.30. *craſis craſſus* 506.2. nlhil nihil 507.18.commiſſam commiſſam 509.4. prærípiant præcipiant 516.23.& 24. modeltia, conſidentiaque immodeſtia, conſidentiaque 521.15. *experauerit expirauerit* 528.11 Edudum dudum 539.11. Auctores Auctoris 559.l.vlt.ſen- *deleatur* 564.3.vnieerſæ vniuerſæ ibid. lin.15. *von non* 594.19. *æquos equos* 601. tardigenda tardigrada 610.24. ſeperuacanea ſupernacanea 616.30. peruicaxes peruicax es 733.24. ſanguinis ſanguis ibid. ſi ſe 735.3. induca inducat.

Re-

REuer. Antonius Mucinus Canonicus Insignis Collegiatæ Sancti Laurentij videat, & referat, si in hoc Opere aliquid reperiatur, quod Fidei Catholicæ, vel bonis moribus repugnet. 28. Febr. 1652.

Vinc. de Bardis Vic. Gen. Flor.

Ego Antonius Mucinus Prot. Apost. hunc librum, qui inscribitur Noctes Geniales D. Ioannis Nardij, solida doctrina, & multiplici eruditione refertum perlegi, & nihil in illo reperi vel Catholicæ Religioni, vel bonis moribus aduersum. In quorum fidem, &c. Die V. Iunij MDCLIII.

Idem Ant. Muc. m. p.

Reu. Pater Antonius Terillus Societatis Iesu videat diligenter hoc Opus, & referat die 17. Iunij 1653.

Fr. Iacobus Cima de Setia Inq. Gener. Flor.

Ego Antonius Terillus Societatis Iesu Sacerdos ex commissione Reuerendissimi Patris Fr. Iacobi Cimæ Generalis Inquisit. Dominij Florentini, Noctes Geniales à Domino Ioanne Nardio, Philosopho, & Medico Excellentiss. conscriptas diligenter legi, Opus stylo eleganti, eruditione variâ, sanâ solidaq; doctrina plenum, in quo nil reperi Orthodoxæ Fidei contrarium, sed, vbi fert occasio, omnia illi planè consentanea animaduerti; quocirca dignum iudico, vt fiat iuris publici. Die 1. Octobris Anno Domini 1653.

Ego idem Antonius Terillus Soc. Iesu Sacerdos.

Attenta supradicta relatione Imprimatur die 22. Octobris 1653.


Fr. Iacobus Cima Inquisit. Gener.

Alessandro Vettorij Senatore Audit. di S. A.

Vidit D. Iuentius Tortus Cler. Regul. S. Pauli Rect. Pœnit. Bonon. pro Illustriss. & Reuerendiss. D. Hieronymo Boncompagno Archiepiscopo, & Principe.

Vidit Alexander Simoneta Soc. Iesu pro Reuerendiss. P. Inquisit.

Imprimatur. Fr. Paulus Hieronymus à Garressio Prouic. Gener. S. Officij Bonon.



INDEX

Capitum, & Quæstionum.

NOX GENIALIS I.

NOX GENIALIS II.

Cap.

NOX GENIALIS III.

NOX GENIALIS IV.

Physica excursio.

NOX GENIALIS V.

Ab-

NOX GENIALIS VI.

Controuersia.

NOX GENIALIS VII.

NOX GENIALIS VIII.

NOX GENIALIS IX.

NOX GENIALIS X.





XPONO.



On vanis Te onero titulis, Inclyte Heros, nec mendicatis Encomi;s primas inficio chartas Patroni in aucupium. Cuncta, me tacente, Tibi debentur: Princeps es, cuius ditio non contenta ſublunari plaga, ad Primum vſque Mobile vaſtiſſimos extendit fines. Menſorem Te Naturæ vniuerſæ prædicant hi, qui nôrunt expendi ſeueram Temporis ad trutinam Motus,& quietis irrequieta momenta. Arbiter diceris Orbis, non immeritò, nam ſuis, deque omnia verſas, ima extollis, elata deprimis, fortia atteris, nutantia confirmas. Mulciber es iræ, atque mœroris, quin malorum Medicus, ferè, omnium. Inuentor præterea, Moderatorq; Artium; Iudex inſuper integerrimus negociorum quorumcunque. Nil veracius, nil ſapientius Te dixêre veraciſſimi ſapientes; reſeras enim arcana, patentia occludis, obliuionis Parens, ſimul, & memoriæ. Imperas Tu rebus, le-

geſq; præſcribis ineluctabiles, abſens, vix præſens, moxq;adfuturus pernici greſſu tardigradus,claudus, ſed alatus, immenſam regis Prouinciam, neglecta clientum opera. Non me fugit fuga Tua, inſequor fugientem,haud interpello munuſculis, quamquam Tua ſunt, quæ profero, ANNVM, nempè, PRIMVM in ordine, NOCTESQ; vigiles, Præſide GENIO. Pauidæ iacuêre diù obſcuro Muſæi in angulo, auent modò Tuis recreatæ auſpicijs dubia perfrui tandem lucis vſura. In tua manu ſunt, aut foue, aut abijce, Te ſequor anhelus σπεῦδε βραδέως.



NO-

NOCTES GENIALES.

PRÆFATIO.

IAm Genio indulgebant Ciues, recurrentibus Nefastis, pubesq́; Mauortia ocij impatiens admirabili Harpasti ludo Florentinam premebat arenam. Feruidæ congrediuntur acies suis distinctæ coloribus: stant alij pro aggere: disponuntur subsidiarij Pugiles: fit clamor, tubarumq́; clangor: tympana resonant: hiscit nemo, vel nictat. Nobilis Amphitheatri sedilia complent frequentes Matronæ, innuptæq́; puellæ, spectaculum, an spectatrices dicam, hæsito: quæ calcar ludentibus addunt explicatis lemniscis. Discurrunt Laruæ, Mimi, bigæ, quadrigæq́; harmonicæ: omnia rident. Illic fortè considerat Sergius, & Antiphanes, Medici non ignobiles, quibus accessere mox Præmigenes, Peripateticus, Pamphilus, Antyllus, Quintus, plurimaq́; Asclepiadarum turba, incerta, raròq; ociosa. Suppuduit horum quemq́; apertæ desidiæ. Vbi verò Antiphanes vacuum obtrectantibus reliquit subsellium, concedunt vnanimes cuncti, deliberaturi, quid facto opus esset in posterum. Maior pars honestum dicebat semel in anno curis se subducere, & grauioribus vacare studijs. Verebantur nonnulli profani vulgi ludibria, & scommata. Itum est tandem æquissimam in sententiam, vt NOCTES Genio dicarentur, priuatum pensum interdiù quisq́; absolueret. Neque diù cunctati, præclaras adimus ædes Senis Eudemi: introducimur, hominem salutaturi, celebre in Musæum. Assurgit ille festinus, datisq́; dextris, magna comitate nos excipit ridens. Siccine, inquit, capularem adorimini, atque imparatum ex improuiso? Considite quæso, amici, vosq́; serui ignem instaurate, vinaq́; non Zephyria, sed Aquilone rigentia nobis miscete.

Dictum, factum. Exponebamus interim nostri aduentus causas, recentemq; conuentus occasionem. Laudat ille consilium, generosamq; fugam. Hortatur tandem, Priscorum nomine, vt posthabitis popelli nugis, vanisq; deliramentis, congruo in recessu Genio litemus. Præside tamen Pallade. In promptu vtraq; sunt, reponebat Antyllus, patere, si libet, Eudemi, stati› horis perfrui nos impunè, & Nobili Musæo, & tua Censura. Repugnabat Senex multa causatus. Verùm communibus adactus votis, manus admouit tandem oblatæ virgulæ, legesq; rogabat NOCTIVM GENIALIVM. Vesperi omnes conueniunto. Ad secundam vsq; vigiliam Noctem proroganto. Symbolum viritim ferunto, hancq; in arculam collocanto clanculum. Lemmata controuersiarum sorte extrahunto, vicinoq; præbento. Ius esto integras, neq; dum euulgatas introducendi Lucubrationes. Arguentem quemlibet admittunto: redarguentem ferunto, aut profliganto. Veritati, non proteruiæ litanto. Placentnè vobis designatæ Leges? Perplacent respondebamus vnanimes. Lege proindè agam vobiscum posthac, aiebat Eudemus. Quapropter nè pereat nobis hæc NOX, vestrum scrutamini promptuarium, amici: vix enim credo vacuos accessisse tot egregios bonarum Artium cultores. Protulit incunctanter Antiphanes commentariolum in librum Hipp. de Liquidorum vsu, *dudum ab amico cusum, tamquam è suggestu, maiori verborum cultu, opportunè recitandum. Arrisit cunctis nondum tentatum studium, quapropter legendi cura demandatur nouo Promotori: qui lubens sic infit.*



IN LIB. HIPPOCRAT.
De Liquidorum Vſu
COMMENTARIVM.

PRÆFATIO

Tanquam habenda Studiorum initio.



Vnquam ceſſat Diuina Munificentia N. N. propria erogare in homines bona, vberrimè verò illa confert, vbi labantibus rebus nulla ſpes reliqua videtur, nullum effugium. Bonus quippe eſt Summus Opifex, ſoluſque bonus, quin bonitatis Idea, colendumque exemplar, cui nihil antiquius, quàm effluuia vberrimi torrentis ſitientia in arua opportunè deriuare. Aruerat iam exlex terra, deſpecto fœcundante rore, improbamque malorum ſegetem alebat inuita, rebellis rebellem premebat hiantem: quum Senex è Coo Græciæ Inſula educitur Auerruncus, qui opportunis Liquoribus ſquallentem recreet tandem, atque reſtituat. *Magnum* non immeritò hunc dixêre conterranei, atq; gentiles, ob maxima perpetrata facinora, *Diuinum* præterea, non tam ob Illuſtre genus, quod à proauis Heroibus, Apolline, & Hercule ducebat, quàm ex collatis largiſſima manu beneficijs, quorum plurima & nos tangunt. Neque enim ſat fuit Hippocrati præſentes (dum vixit) propellere morbos, aut imminentes intercipere congruis præuentionibus, verùm, qua erat in mortales beneficentia, abſentes iuuit legatitia diſcipulorum opera, poſteriſque inſuper conſuluit, com-

municatis Artis Medicæ præceptis. Quapropter non vſquequaque mirum, ſi credula Antiquitas Diuinos homini huic ſtatuerit honores, cuius vel è ſepulchro, vt refert Soranus, Mel petebant Nutrices, quo ad infantum oris vlcuſcula iuxta tumulum illito, ea facilè perſanabant. Indulget necnon dentatus veſtris commodis, Auditores, neque eſt cur edentulis inuideatis apum laborem, ſuauiora namq; vos manent aureo hoc incluſa volumine de *Liquidorũ vſu*, quod vobis cōpēdio explicandum elegimus, benè conſcij gratum vobis fore, qui nomen iamdiu Hippoc. dediſtis. Legitimum hunc eſſe partum, non ſpurium, aut ſubdititium, boni omnes fatentur, negantes redargueret rerum pondus, Doctrinæ conſenſus, ſuetaq; loquutionis norma. Dicam quod ſentio, publicum ærarium Medicinæ hoc eſt cuius è ſinu aurea quamplurima extraxere talenta Priſci Medicorum filij, quibus aphoriſticas digerere in Sententias Artem Medicam cordi fuit, ſepoſitis interim demonſtrationibus, nuſquam, quod norim, explicatis, præterquã præſenti in libello de *Humidorum*, *ſeu Liquidorum vſu.* Et quantùm video, ea fuit Authori noſtro mens, præcipuumq; inſtitutum, vt Medicam materiam humano corpori congruam dum deligeret, ſtatiſq; legibus firmaret, obuiam, vti par erat, habuerit prius ſimpliciſſimam, atq; elementarem, cuius vtilitates, & damna, ſi quando exterius admoueri cõtigerit, fideliter præmonſtrat. Vt verò promptiſſima hæc eſt, breui aut nullo artificio parabilis, ſic pronam cuicumq; eſſe viam ad ſalutem, vel perniciem intuitus, optimo conſilio ſingulatim Liquidorum vſui, vel abuſui lucubrationem dicauit, quam varijs, præclariſq; documentis, pro re nata, conſperſit. Genus dicendi aphoriſticum eſt verborum compendio vberrimam complectens eruditionem. Quapropter non vulgari excipi debet attentione, mentiſq; apparatu: præſtabo equidem, quod meũ eſt, Diuino aſpi-

rante

rante Numine, veſtraq; conſpirabo in commoda, Auditores humaniſſimi, quot quot adeſtis; fas proindè, iuſq; eſt, aures, necnon, & vos præbere poſthac ocioſas, non tam mihi recitanti, quam magno Hippocrati è ſuggeſtu enuncianti patrio idiomate.

ΠΕΡΙ. ΥΓΡΩΝ. ΧΡΗΣΙΟΣ.

,nempè, *De Liquidorum Vſu.*

QVa profectò ex epigraphe occurrit nobis non contemnenda difficultas; Cur Hipp. noſter Macrobij teſtimonio, fallere, & falli neſcius, plus in acceſſu polliceatur, quàm præſtet in receſſu? Quum enim liquida omnia, quæ corpori humano admoueri valent, titulus, nomenque Libelli complectatur, paucis hic contentus, plurima prætermittat, eaq; prẹſtantiſſima pro valetudine mortaliũ tuenda, aut reuocanda? Quis enim eſt neſcius, quantas oleum includat dotes: cuius illitu molleſcunt membra, arentia humectantur, ſoluuntur efferi dolores, accitur longæuitas, quod faſſus eſt ille Capularis percunctanti Auguſto: *Intus melle, foris oleo*. Nouus hoſpes in hac mundi plaga mihi eſt, qui vires Thermalium Aquarum, & Balneorum ignorat, bene conſcius antiquiſſimo iure ὕδατα ἱερὰ *ſacras*, nempè, à priſcis has dici *aquas*, ob prodigioſas peruicacium morborum curationes. Cui hẹſitantiæ ſatisfacimus, faſſi, nõ eam Authori fuiſſe mentem, vt liquores quoslibet, quibus perfundi valet cutis noſtra, expenderet, verùm obuios, & facile parabiles, genti cuique inſuper communes, non inſuetos. Sunt verò primo loco cenſendi.

Aqua potabilis, ſalſa, mare.

OBſeruo interim potabili aquæ ſalſam opponi, quo iure, quauè iniuria, non video. Salem quandoquidem participant omnes aquæ, tam marinæ, quàm è lacu, paluſtres, fluuiatiles, fontanæ, & pluuiæ, quod vos commonefaciet encheini, noſq; alibi rem indicabamus noſtra in Proluſione *de Igne ſubterraneo*. Niſi tamen opportunus, Caduceator diſſidium componat, faſſus non penitus inſulſam eſſe potabilem aquam, eaque propter dulcem hanc dici ob ſuauitatem, quum tamen inſuauiſſima ſit marina, & ſiti ſedandæ perquàm inepta, ob largiſſimam admiſti ſalis portionem. Quas difficultates melius ſuperabimus, ſi contemplemur aquarum exordia, viuamquè anatomen.

De Aquis in genere.

EDuxit olim Conditrix Sapientia, è nihili ſinu Aquarum nobile germen, iunxitq; terræ inuiolabili fœdere, mutuiq; officijs. Vt verò iuſſa eſt locum concedere in vnum, ſoliq; vacuitates explere, obſequens illa, & præſcriptis contenta limitibus, negocioſa erogat interim contubernali telluri, iuge beneficium. Non tota conceſſit tunc, neq; ſyncera, verùm præſtantiori ſui poſthabita portione, quæ terram ambiebat, & ſuperabat abundè, contracta demum ditione, bibula coercetur arena. Non patitur meam apud vos vacillare fidem diſertiſſimus Philo: is enim in *lib. de Mundi opificio* rem ediſſerit. *Quicquid erat tunc aquæ ſalſum, futurum fertilitati terræ noxium, vnum in locum tertia die confluxiſſe, dulci humore, in terra relicto, tum velut glutine ad terræ coagmentationem, ne in puluerē diſſiparetur, tum ad vtilitatem*
C. in Geneſ. *plantarum, & animalium*. Neque negocium mihi faceſſat
„ B. Pererius, obijciens, cum ante diem tertium totum illud

cor-

corpus aquæ vnius esset rationis, & similibus omni ex parte qualitatibus præditum, non potuit habere alias partes salsas, alias dulces. hæc Vir Doctus. Cui incunctanter dum satisfacimus, non immeritò in controuersiam vocamus primò, an corpus illud aquæ fuerit homogeneum, rudi adhuc, indigestaq; existente vniuersi mole, quod ille non renuit, dum Bedæ in *Examen* subscribit aienti, congeriem illam corporum indigestam, & inornatam, videlicet cæli, terræ, & aquæ, in exordio Mundi ante alia conditam, *materiam* nuncupari *Inuisam* in lib. Sapientiæ, Symmacho vero *ociosum*, & *indigestum*, quod vulgata translatio *inanis*, & *vacua* vertit *primo Geneseos*. Deinde homogeneam demus, tunc extitisse aquarum naturam, nonnisi potabilem hanc fuisse conijcio, commodamque hominis seruitio, cuius in gratiam nouus condebatur Orbis. Inquinari tamen potuisse plurimam illius portionem, non dubito, causas posterius attingemus. Hæc pro Philone vindicando ab iniusta censura: Euasit proinde aqua ex lutulenta perspicua, arefactæque terræ non ignobilem sui portionem commisit, reliquam cunctam, vrgente mandato, & grauitatis connatæ suasu, nuperis aridæ finibus obsequiosa concredidit.

De Aquis speciatim.

Ros.

IMpar nihilominus euaserat Tellus germinibus educandis, fatiscēte humido, prę flatibus, & subterraneo calore: quapropter suppetias tulit nouus ille Fons, patrio idiomate à Mose indigitatus ED. cui dicauimus olim integrum *cap.* 17. nostra in *Phys. Disq. de Rore*. Materiam huic præbuit Dulcis terræ succus, vi caloris in halitus resolutus, qui tandem concretus, minutæ pluuiæ ad instar, terram fæcundabat tunc, reponitque noctu modo, quod perit interdiu.

Pluuia,

Pluuia, ac Torrentes.

ORto iam Solis iubare, & feruidis percussa radijs sitiẽs telluris superficies, imbrem sedula poscebat, hiantibus rimulis. Mutuauerat interim repudiatum mare vaporum aceruum, quo tandem redux agmine dulci solum placide irrigabat, donec superbus, tortuosis gyris auitas repeteret tributarius sedes.

Lacus, & Paludes.

VTraque parua dicam Maria, aquarum confluentium, aut exundantium congregatione constantia, sola maioris, aut minoris fundi altitudine inter se se discreta. Exorbitat quandoque pluuia, euomit iratus torrens imas in planicies aquarum copiam: quæ regredi nesciæ, nouam ibi coloniam ducunt statariæ.

Putei.

DVm Perfoditur almæ telluris sinus, abditæq; vulnerantur venæ, confluit purissimus liquor paratam in peluim, indeficiente latice recreaturus mortale genus.

Fontes, Flumina.

INiussa præterea Tellus erogat maternis ex vberibus salientes fontes, quorum perennitas difficultatem Sapientiæ Scrutatoribus hucusq; incussit. Constanti sententia & nos modo repetimus, quæ olim euulgauimus nostra in *Prolusione de Igne subterraneo.* (cap. 40.) Iugem ministrare materiam credebamus cum Aristotele, & aerem subeuntem terræ cauernas, & vaporem ab humore quocunque eleuatum. His

fidem

fidem faciebant inducta experimenta; constatq; ex Ignis subterranei officijs, vel nuda è tellure, mollissimos eleuari vapores, qui frigidum impingentes in obicem, concreti regrediuntur, perennesq; erumpunt in fontes. Exuberant hi tandem, perque decliuia lati, excrescunt in flumina, grata aruis, atque segetibus. *Potabilis* proindè *Aqua* nuper laudata nostro ab Hipp. non alio sub censu continetur, præter dudum recensito cursim à nobis. Neq; obijciat dictis quispiam, aquas illas ex resoluta niue, aut glacie: siquidem præter id quod perpetuæ illæ non sunt, neque regioni cuicunq; communes, improbam ex meteorologica mutatione nactæ sunt hæ substantiam, nullo ingenio expiandam: quod olim animaduerterat Aphrodisæus, & obseruarunt posteri vnanimes. Concludam tandem cum D. Ambrosio, vt eò redeat, vnde nostra discessit oratio. *Ex illo ergo tempore currit aqua, fontes labuntur in fluuios, lacus deriuantur in maria, ipsa se aqua præcedit, vrget, & sequitur, vnus est ductus, vnũ corpus.*

in quæst. nat. A.

in exam.

HIPPOCRATES.

Salsa Mare.

CAdit sub dubitationem, an disiunctim hæc sint legenda, an secus? Fauet priori lectioni quotidiana obseruatio. Plurimis namque in regionibus salsæ erumpunt aquæ, nullo maris contubernio suspectæ. Quapropter benè valuit Hipp. salsas à Mari distinguere. His repugnat Hippocraticus progressus, qui marinam tantum explorat, illiusq; damna, & vtilitates nobis præmonstrat, nulla cuiuscuis alterius salsæ habita ratione. Præter id quod parum e re nostra illud erat, an *salsa*, an *marina* admoueretur, dummodo æquam salis iucluderet hæc portionem, cuius virtute proficeret humanum corpus. Plura sunt quæ percunctari

iure

iure possumus de Maris salsedine, non importuna, neque iniocunda curiosis ingenijs.

Salum fuerit ne semper salsum?

VOcis etymon euincere illud manifeste videtur, vt audis, & quod caput est, Mare ab amaritudine fuisse dictum, testantur eruditi. Salsi vero intensio, vt nostis, saporem constituit amarum. Vrget non minus non controuersa necessitas saliendi immensos aquarum gurgites, ne tam vasta palus, putrescentibus aquis aerem inficeret, & animantibus quibusq; esset exitio.

Quæ Salsedinis causa.

QVam tamen salituræ necessitatem male nonnulli declinant, dum nouam comminiscuntur causam, cęlum verè terræ miscentes. Soli imputant primùm, qui tenuiores alliciat aquæ portiones, posthabito reliquo crassamento. Verùm par contingere debebat ærumna & reliquis aquis: præter id, quod nisi alia subsit positiua salsedinis causa, viget Problema, integrumque nobis est percunctari, à quo saliatur superstes sedimentum? Nouam substantiæ generationem alij comminiscuntur, præ feruidis solis radijs, æquoris latera flagellantibus, qui tamen noctu silent, raroque aspectu nonnullis in regionibus, statarias solicitant; quum tamen mare vbique, etsi non æquè, salsum obseruetur. Salsas, iugesq; scaturigines è maris profundo alij suscitant: patiuntur hi tabefieri littora; præ lambentibus aquis, veriti ne mare euanescat, ni denuo saliatur. Tuta cuncta timent, si memores, nam pugnarunt acriter pro salis ditione tutanda fixamque sedem huic pridem destinarunt, nulla vi, aut illicio vacillaturam. Quid igitur antiquæ nouam

uam ſalis aggregant ſaburram, cuius præſentia ſumme verendum eſt, ne mare concreſcat ſolidum in ſal, quod præſtat quandoque ocioſus Artifex. In *Marina* ſale ſaliri ſalum, non eſt cur ambigas in poſterum, ſi euidentiæ aſſentiris, & noſtra non negligis, quæ diſputauimus olim in *Prol. de Igne ſubterraneo* c. 43. quem & agnoſcunt promotorem reliquæ ſalſæ ſcaturigines.

Arte marinam æmulari, ſaliſque pondus conijcere.

SCitè enunciauit Philoſophus, *quod ſit talis ſapor propter commiſtionem aliquam, & qualecunq; aliquid fuerit, quod commiſtum eſt, talem facit ſavorem*. Salſus proindè ſapor nonniſi per quamdam ſalis fit admiſtionem, menſuram docuit curioſiſſimus Plinius, ſi ad ſextarios aquæ quatuor, vnũ ſalis addideris. Non minima igitur ſalis portio, quod nonnulli ſomniant, marinam inficit. Nôrunt Neoterici, callentq; modum prædicendi, quota pars ſalis contineatũr in data ſalſa: organum communicauit liberaliter P. Cabæus, cui gratias rependimus, atque eruditionem; nacti vetuſtum *Q. Rhemnium Fannium* compendioſiori via, acque tutiori nos deducentem ad illius fabricam, & vſum. En ipſum loquentem.

„ Nanque nec errantes vndis labentibus amnes,
„ Nec merſi puteis latices, aut fonte perenni
„ Manantes, par pondus habent; non deniq; vina
„ Quæ campi, aut colles, nuperue, aut ante tulêre:
„ Quod tibi mechanica promptum eſt depromere Muſa
„ Ducitur argenti, tenuiue ex ære cylindrus,
„ Quantum inter nodos fragilis producit arundo,
„ Cui cono interius modico pars ima grauatur,
„ Ne totus ſedeat, totuſue ſupernatet vndis,

„ Li-

„ Lineaq; à ſumma tenuis deſcendit ad ima
„ Ducta ſuperficie: tot quæq; in fruſtra ſequatur, (ſecatur
„ Quot ſcrupulus grauis eſt argenti, æriſuè cylindrus:
„ Hoc cuiuſq; poteſt pondus ſpectare liquoris.
„ Nam ſi tenuis erit, maiori mergitur vndæ:
„ Sin grauior, plures modulos ſupereſſe notabis.
„ Aut ſi tantundem laticis ſumatur vtrinque,
„ Pondere præſtabit grauior: ſi pondera ſecum
„ Conueniant, tunc maior erit, quæ tenuior vnda eſt.
„ Quod ſi ter ſeptem numeros texiſſe cylindri
„ Hos videas latices, illos cepiſſe ter octo,
„ His drachmâ grauius fatearis pondus ineſſe,
„ Sed refert æqui tantùm conferre liquoris
„ (Vt grauior ſuperet drachma) quantum expulit vndæ
„ Illius, aut huius teretis pars merſa cylindri.

HIPPOCRATES.

Potabilis quidem in officina Medica optima.

COminùs ſimplicium liquorum, & Aquarum præſertim vtilitates aggreditur Hippoc. primaſque dat potabili Aquæ, vtpote ſimpliciſſimæ, & cuiuis obuiæ. Commoda verò hæc eſt, tum *officinæ Medicæ*, tum etiam humano corpori exteriùs admota: hos namq; limites ſibi præſcripſit Author, vt dicebamus nuper, quos tranſilire religio nobis eſt, eaque propter, ſicco, vt aiunt, tranſibimus pede opera, quæ præſtat potabilis aqua intus aſſumpta, valentibus, aut morbo detentis.



HIP-

HIPPOCRATES.

Nam & ferramentis, & æramentis, optima.

NOn ambitiosa Ars Medica, vili vtebatur tunc materia, posthabitis aureis, & argenteis instrumentis, quæ nunc procax excogitauit versutia. His mundandis opportunas dicit Hippoc. potabiles lymphas, de quibus non controuersor. Est tamen quod ambigam, nisi curiosè extergantur, nam experimento iamdiu compertum est, vtraque in superficie, & copiosam æruginis, & ferruginis copiam breui eructare, perniciosam penitùs suo authori.

HIPPOCRATES.

Et medicamentis plurimis inueteratis communissima.

QVam κοινότατον sua lingua dixit Hippoc. *communissimam* vertêre Cornarus, & Mercurialis; Fæsius *conuenientissimam*. Sensus est, quòd Aqua potabilis emendandis vietis medicamẽtis appositissima cẽsetur, præsertim vbi olea, axungiæ, vel pinguedines compositionem ingrediuntur. His nanque correctis, reuiuiscunt pharmaci vires, gratumque euadit, quod dudum non absque stomacho admittebatur. Temperat siquidem, & eluit rancidam compositionem, præseruat insuper illam in posterum, donec euanida iam reliquorum ingredientium facultate, fato cedat, & ex officina Medica reijciatur tanquam inutilis. Sic olea rancida, diutius simul, & cum frigida dum conquassantur, deponunt putorem: & agitatum vnguen salubre euadit, si sæpius repetatur infusio, & abijciatur aqua.

HIPPOCRATES.

Verùm ad corpus noſſe oportet, quòd hæc, aut madefacit, aut frigefacit, aut calfacit.

IGgnobilem vſum, ſeu potiùs dicam abuſum, præſtitit hucuſq; potabilis aqua: reliquum igitur erat, vt commoda recenſeret, quæ confert illa humano corpori exteriùs adminiſtrata. Huius ſubſtantiam dubiò procul; quum minimè peruadat, aut ſtabilis intra penitiora ſe inſinuet, reliquum eſt, vt medijs qualitatibus membra noſtra alteret. Sunt verò hæ, aut primæ elementorum differentiæ, aut ex ijs ſubortæ. Præterea, quæ ſubiecto inſident qualitates, vel cõgenitæ illi ſunt, vel aduentitiæ. Vtrumque genus delibat modo Hippocrates, aſſeritq; potabilem aquam, & madefacere, & refrigerare, quæ primæ ſunt, & congenitæ qualitates. Extra ordinem eſt, ſi calefaciat; quod continget, vel per ſe, ſi calido admoueatur, vel per accidens, reuocato interno calore, qua de re in poſterùm vberiùs.

HIPPOCRATES.

Aliter verò nulli commodat, aut detrimento eſt potata.

LOcus, ni fallor, prima fronte difficilis. Quum enim ſibi præſcripſiſſet Hippocrates, vt dicebamus, vtilitates Liquorum proſequi, & aquæ potulentæ vires præſertim expiſcari, ſi quando exterius admoueatur, importuna videbatur potus cuiuſcunque inductio, aut penſitatio. Quem nodum haud ægrè ſoluis, ſi dixeris abundantioris doctrinæ gratiâ noſtrum Anteſignanũ meminiſſe interni vsûs. Mens illi, vt conijcio, talis eſt. Afficit corpora noſtra potabilis

aqua

aqua fotu, & potu, vno prorsùs, eodemq; modo. Cui dilucidationi egregiè fauet versio Fœsij. *Potu verò ad nullum alium vsum vtilis est, aut noxia.*

HIPPOCRATES.

Vbi modica potabili in spongia vteris, optimum oculis est.

QVod præceptum, Therapeuticæ Medicinæ parti alioquin vtilissimum, multa perturbant, atq; suspectum faciunt. Quandoquidem ambiguum est, & sordidas sapere videtur Empiricorum tabernas. Varijs in primis tẽtatur morborum generibus oculus, varia insuper illorum sunt tempora, dissimiles causæ, corporis proba, improbaue constitutio, ita vt recurrat, & modò C. Celsi querela, *Sed eorum tempora, & causas parùm explicuit, in quibus Medicinæ summa est.* Accidit, quòd neq; explicat Author, calida ne, an frigida vti debeamus aqua in affectibus oculorum persanandis? Speciosa sunt, quæ opponuntur, verùm non multùm habent roboris. Enerue est, quod ab incertitudine morbi petitur argumentum, nam κατ' ἐξοχὴν Ophthalmia semper designatur, quæ inflammatio est adnatæ oculorum tunicæ. Morbus frequentissimus est, & qui fotibus facilè tollitur, si tempestiuè, non inconsultò administrentur. Non dubito frigidam indicare, quod mihi persuadet cautio illa, vt *modica* sit, veritus ne oculi temperamentum, quod à natura frigidum obtinuit, vitietur, algentis adhæsu, aut diutino incubatu. Qua in curatione pennicillo pro spongia vtitur Celsus; neque à ratione abhorret etiam pennicillo vti expresso, si leuior impetus est, ex aqua; si maior, ex posca. Quod si impetum declinamus, dubiò procul in principio, &

Lib. 6. c. 6.

augumento illud continget; neq; periclitabitur æger, probis improbisuè succis scatens, si placidissimo, molliq; vtatur tunc præsidio. Non negarem tamen, & senescenti affectui calidam aptari posse, vt discutiantur, quæ impacta sunt, & concreta liquentur: hæc verò, non nisi probè priùs expurgato corpore, tentari debent, nisi tamen purum alioquin sit, exuletque metus omnis, trahendi excrementa ad partem affectam.

HIPPOCRATES.
Cutis ipsa supernè exulceratur calidæ aspersione.

CAlidæ commoda prosequuturus posthac, incommoda priùs recenset, nequis temerè calidâ vtatur, sperans ab omni noxa se futurum immunem. Nam si cutis ipsa quotidiano exposita discrimini, & neruea constans substantia, lauciatur à calidæ perfusione, moneberis, credo, qua cautione cutem illâ perfundas, aut membra reliqua, cute longè molliora.

HIPPOCRATES.

Fomentum corporis totius, & partis.

BEnè est, quòd fomentum distinguat in *particulare*, quod vni tantùm parti debetur, & *vniuersale*, quod corpori toti congruit, atque aptatur. Imprimunt siquidem magis fomenta, quàm perfusiones, præ mora, atq; adhæsu, non tamen vniuerso debentur illa corpori, nisi laboret, sæpè verò vnicæ destinantur parti, iã labefactatæ, inq; pręceps ruenti.

HI-

HIPPOCRATES.

Cutis duræ mollitio, distentæ laxatio, neruorum, carnium, humorum sub cutem effusio, sudoris secretio.

SVbsequuntur non immeritò vtilitates, quas potabilis aqua, calore affecta, exteriùsque admota, corpori humano communicat. Ac primum *mollescit dura cutis*, præ calidæ contubernio. Nam quum plures sint, illæq; diuersæ causæ, cur induretur cutis, singulis illa strenuè occurrit. Æstu, si torreatur, tam interna, quàm externa occasione, mollitur; temperato caloris excessu, tepido calore, sublatâq; siccitatis limulâ. Frigori induranti propterea è diametro se opponit, frangitq; siccitatem, non tam domestico humore, quàm & reuocato alimento partis in subsidium. Interim, quęso, mecum animaduertite, hanc repetere sententiam multotiès Galenum, nempè 5. *Simpl. cap.* 11. 7. *Cata. c.* 9. 7. *de Tuend. San. c.* 6. *Comm.* 1. *in lib.* 6. *Epid.* & alibi, quam tamen, quum aliundè mutuari non potuerit Pergamenus, subscribentem nanciscimur dignitati præsentis tractationis. Prosequitur noster.

Distentæ laxatio.

CVtim tendunt flatus, nonnunquam, & humores, quibus discutiendis, atq; euocandis, strenuè cõfert aqua calida exteriùs admota, ita vt incantamenti ad instar Colicis, & Iliacis medeatur, aut sublato dolore, recreataq; natura, medelæ præbeat, faciatq; spem reliquam.



Venarum, carnium, humorum sub cute effusio.

E Dictione Peripatetica, impoſſibile eſt, non tangens mouere. Duplex verò, vt nôſtis, eſt contactus, immediatus, quum extrema ſunt ſimul: virtutis, dum medijs ille peragitur qualitatibus. Priori modo noſtra calida cutem dudum tangebat, non negârim tamen, & modicam poſſe illius ſurrepere portionem, quanquam nudæ facultates promouere valeant prædicatam *effuſionem*. Hanc patrio idiomate nuncupauit Hippocrates ἐκχύμωσιν, quæ Fæſio ſignificare videtur vniuerſalem ſuccorum ex vaſis *refuſionem*, ita vt partes illæ ſe deonerent calidæ fauore.

Sudoris ſecretio.

ET liquari humores, & poros laxari præ calidæ contubernio, nemini difficilè creditu eſt, præterquamquod non leues fert illa ſuppetias innato partium calori. Quo fit nonnunquam, vt extenuati Ichores, intra cutis cancellos coerceri neſcij, qua via data ſemel properent ad exitum, breuique concreſcant cutis in ſuperficie.

HIPPOCRATES.

Humectare prolutione, velut nares, veſicam, flatus.

NOuos in ſcopulos rurſus impingimus, dum calidæ beneficia nobis inſinuat Hippocrates *perfuſione humectari nares*, & patior, & fateor, de *veſica* non adeò certus ſum, niſi humectationi ſubſtituas emollitionem, aut quod certius, copioſum fieri prouentum, præ liquatis humoribus, illuc ſtata lege confluentibus. At flatus humectari poſſe, parado-

radoxon penitus videtur nunquam admittendum in Medicinæ Sacrarium. Expertus Nauclerus Erotianus præmonuerat φύσας, quas interpretes, *flatus*, vertêre, conſueuiſſe Hippocratem vocare τὰ ἐν ἡμῖν πνεύματα, videlicet Spiritus, qui in nobis ſunt. Euidentiſſimè in lib. de flatibus, *Spiritus quidem, qui in corporibus inſunt, flatus vocantur, qui verò extra corpus exiſtunt, aer.* Non eſt igitur, quod ad morboſos tantùm, & naturæ noſtræ infeſtos, contrahat quis Hippocratis oraculum, quanquam, & hos manſueſcere, velutq; coctionis ſpeciem quandam ſubire non dubito: quo fit vt faciliores, minuſq; rebelles in poſterum ſe exerant. Vt hoc credam, ſuadet experimentum, ſi quando fotibus, aut ſemicupio, dolentibus conſuluerim. Suadet & ratio, quid enim, aliud eſt flatus, quàm humor quidam extenuatus? at humores concoqui iam vulgatum eſt. Cicurabitur igitur effrenis ille, profligabiturq; tandem. Exardeſcere ſpiritus, qui naturaliter ſunt in nobis, nemo eſt qui ignoret: quibus temperandis, ni ſedulus occurrat Medicus, dubiò procul ſolida inficient, proq; leuiſſima Ephemera, in grauiſſimã Hecticam impingent ægrotantes. Quam tamen declinabunt tepentis balnei congruo vſu: qua de re conſulendus eſt Galenus in li. 8. meth. med. c. 3. qua de Diaria ex animi perturbationib.

HIPPOCRATES.

Incarnare, attenuare, liquefacere, minuere, colorem reuocare, colorem diſpergere.

ÆNigmaticam cenſebit nunc tradi doctrinam inexpertus Cenſor, parùmq; aſſuetus Hippocraticæ lectioni, quum tamen planiſſima hæc ſint, omniq; ex parte veritati conſentientia. Vnico verbo omnia abſoluam. Pro modo, quo calida corpori noſtro adminiſtratur, varij, necnon

oppoſiti ſubſequũtur effectus, quos recenſuit Senex. Compendiò pariter ediſſeram ſingulatim propoſita.

Incarnare, attenuare.

VVlgatum eſt, expertumque, tumefieri artus, & lacertos, vt calidæ immerguntur aquæ, cuius cauſa eſt ſanguinis aſfluxus, & humorum, qui è corporis centro ad peripheriam euocantur. Abſumuntur verò, ſi diutiùs quis inſtiterit, rugoſamque abeuntes cutim reddunt pro turgida, quæ cauſa eſt, vt mediocris plenitudo balnei vſu quandoq; tollatur. Si quis verò anteuertere ſtudeat diſpendium, properet carnoſior iam redditus ad frigidum, quod innoxiè illi ſuccedet, ſi tepida gradatim vtatur, Galeni ſano
11.Meth. 10. conſilio.

Liqueſacere, minuere.

NOn diſſimilia ſunt opera, concretorum humorum liquatio, & liquatorum minutio. Maius dubiò procul occupant ſpatium, quæ liquantur, neq; eadem ſub mole perſeuerant, verùm pari euentu decreſcunt, iugi calidæ incubatu concedere tandem adacti.

Colorem reuocare, colorem diſpergere.

VNicuiq; veſtrûm, Auditores, peruium iam eſt particulam interpretari. Humana cutis, vt nôſtis, pellucida, penè, eſt, nulliuſq; coloris particeps, afficitur verò præ affluente humore. Reuocat calida floridum colorem, euocato ſanguine, quem tamen breui peſſumdat fatiſcente cruore.

HIP-

HIPPOCRATES.

Somniferum, & in caput, & in alia.

EVidentiùs vertit Fæsius. *Somnum conciliat capiti affusa, & alijs partibus.* Non est quod dubites de veritate sententiæ nuper allatæ; nam quotidiana experientia monemur, somno conciliando plurimùm conferre, si æstuanti cerebro affundatur moderatè calida, aut extremæ tangantur corporis partes. Causam refero in excitatos vapores, vasorum ministerio, capiti, & præcordijs communicatos; quò fit, vt oppressa tandem pars oneri succumbat, accersatque soporem.

HIPPOCRATES.

Conuulsionum, tensionum, mitigatiuum.

APpositè magis vertes, *Spasmi, & Tetani paregoricum:* sunt verò ambo symptomata virtutis motiuæ deprauatæ, Conuulsionis generico nomine à Latinis nuncupatæ. Quorum prius, si in Anticam propellat partem, patria voce *Emprosthotonon* dicitur, *Episthotonon*, si in posticam: minùs subtiliter ex Celso, indiscretis his nominibus nonnulli vtuntur. At rigidum si corpus perseuerat, posteriori illa *Tetani* insignitur nomenclatura. Fiunt verò, vbi particularium musculorum fines, præter voluntatis imperium, sua ad principia contrahuntur. Vetus est, hæc contingere affectis neruis, præ repletione, vel exinanitione, nuperum dicam inuentum, vellicatis ijs, seu quod verius, vt mea fert sententia, lancinatis membranis cerebri, aut particularium neruorum. Sat hæc sunto in præsens pro recensitis affectionibus, illarumque causis immediatis, cætera enucleabunt

Excellentiſſimi Praxeos Medicæ Profeſſores. Manet nos difficultas, cur, quomodoue ſit aqua calida præſidium *paregoricon*, quod appoſitè vertitur *mitigatiuum?* Dicam quod ſentio, permittens cuiq; ſuo abundare ſenſu. Primùm quidem contingere illud non dubito, quanquam non expertus, fiſus tamen Authoris integritati; deinde quauis in ſpecie Conuulſionis,& à quacunq; cauſa, poſſe illud accidere, ratum habeo. Quòd ſi tibi impoſſibile videtur, nam contraria contrariorum ſunt tantùm præſidia;animaduertas velim, indicante Hippoc. *Naturas morborum eſſe medicatrices, nos autem miniſtros*, calidam verò, vtpotè qualitatibus primis calori noſtro innato perquam ſimillimam, ſuppetias illi vtcunque ferre, qui noſtra eſt Natura, Aſclepiadarum in ſchola: quapropter niſi morbum tollat,minuit ſaltem dolores, pacatis ad tempus illorum cauſis.


6.Epid.

HIPPOCRATES.

Dolores alleuiat auris, oculorum & quæcunque talia.

EA propter multiplici nomine Aqua calida doloribus exanguium partium conducit, qui vt plurimum à frigida cauſa oriuntur. Nam præter id, quòd innatum calorem ad propria reuocabit officia, oppugnabit domeſticis qualitatibus inſidentem parti intemperiem. Quòd ſi contigerit calidum fuiſſe materiæ affluxum,puta,ſi Ophthalmiâ ſanguineâ oculus laboret, nihilo ſeciùs huic ſubuenit, digeſta infeſtante materia, inque halitus diſſipata; quod & aliàs oculis laborantibus conducere notauerat Hippoc.

In aph.4.



HIP-

HIPPOCRATES.

Frigida calefacere, velut pix vlceribus.

COntractó præ calore aquam potabilem *frigida calefacere* poſſe, & ſenſus iudicat, & ratio conuincit. Quid ad rem faciat inducta pix, non video? præſertim quum illa calida ſit virtute, aqua verò ex aduersò natura ſua frigida, affectione tantum calida. Non ſat eſt aſteriſco notâſſe, mi Fęſi, aut vulgatam lectionem mutare, quæ peſtis hodie frequentiſſima, quandoquidem, ſi attentè lectioni huic vacemus, omnis fugiet hæſitantia. Senſus planus eſt. Potens eſt Aqua potabilis calida, quæq; frigida calefacere, vt pix vlcera calefacit, quibus *frigidum mordax*, eiuſdem depoſitione. Veritus, credo, ne tibi ſuſpecta foret latens illa qualitas, dum auribus dolentibus, & oculis aquam admouet, teſtatur par ſubſequi ex peregrina aquæ affectione beneficiũ, ac contingat ex virtuali picis calore ipſiſmet vlceribus.

HIPPOCRATES.

Præterquam à quibus ſanguis erumpit, aut erupturus eſt.

CAutè nihilominùs calidæ potabilis beneficijs vti debemus, neq; immerſiones, perfuſiones, aut fotus ex hac adminiſtrabimus, vbi hæmorrhagiæ metus eſt, quod & 19. *Aph.*5. *ſect.* nos monuerat. *Quæcunque perfrigerata ſunt, excalefacere oportet, præterquam à quibus ſanguis erumpit, aut erupturus eſt*. Quod præceptum, vtinam memoriter tenerent, qui tabeſcentes ex hemoptijſi, confeſtim ſolio calidæ immergendos curant, hinc recrudeſcit morbus, & priſtinæ duplicantur difficultates. Diſcriminis cauſæ ignotæ vobis

eſſe


esse nequeunt, si memineritis eorum, quæ superiùs nos docuit Senex: nam liquari humores, atque effundi obseruabat, mollescere præterea atque extendi, quæ contracta esse debebant, non controuersor. Vnicum superest, quod vos moneam, Auditores præstantissimi, illudque forsan non necessarium vestræ sagacitati, dicam tamen, ne mihi desim: nō interdici ab Authore calidæ vsum, vbi futura est sanguinis eruptio naturalis, sed quæ præter naturam. Sic vbi tardigradus attenditur mensium reditus, nullum præstantius auxilium, quàm insessio in calida, præsertim si fuerit medicata.

HIPPOCRATES.

Fractis, luxatis, reliquis quibus linteola sunt Medicus.

Lib. de Fract. FRactis ossibus constanti sententia noster Auctor calida vtitur. *Postquam autem solueris, aquam calidam affundere oportet, & postea deligare.* Fracturam quinetiam calcanei ex saltu curat eodem lib. *Hos curare oportet cerato, splenijs, & linteis, & aqua plurima calida, & linteis pluribus*, & quòd magis est, *plurimum confert ad ossium fracturas maximè denudatas.* Mittamus testimonia, scrutemur quæ sint *linteola* illa *Medici* præstantia officium. Dubio procul deligaturæ omnes, quibus membrum continetur, ne amplius à naturali statu recedat. Vt enim, probè restitutum est, vinculisq; munitum, vacat Medici opera, satq; ægrotanti est ipsa deligatura, quæ si laxetur, vt sæpè fit, aqua calida infusa coarctatur rursus, manetq; in officio: cętera Naturę debētur.

5. Aph. 22.



HIP-

HIPPOCRATES.

Capitis grauitate.

HInc depromptum fuiſſe vniuerſum penè Aphoriſmum *vigeſimum ſecundum V. ſect.* clarè conſtat, quæ fidem certiſſimam faciunt pertractationi, vt dicebamus in exordio. Et quantùm eſt è re noſtra, *rigores, conuulſiones, diſtenſiones mitigat, capitis grauitatem ſoluit.* In promptu cauſa eſt: *calida* nanque *ſuppuratoria eſt*, grata præterea, & *iudicans*. Hæc cum Hippoc. cui ſuccedit Gal. incunctanter. *Calor verò extrinſecùs facit hæc omnia, quæ dicta ſunt, nonnullaque concoquendo, & ad meliùs alterando: quædam diſcutiendo, & euacuando noxia ad ſanitatem perducit: quòd ſi non ex toto ſanet, ſaltem dolores mitigat.* Cominùs, & ad rem proſequitur in poſterum Pergamenus. *In capitis verò diſpoſitionibus, & hæc eadem facit, & eas, quas καρηβαρείας, id eſt capitis grauitates nominant, ſanat, concoquens, atque diſſoluens, quæcunque moleſtant.* Sat hæc vobis ſunto pro ſententiæ minimè dubiæ congrua explicatione. Gal. in Com. Aph.

HIPPOCRATES.

Moderatio in vnoquoque, ne vltra torqueamus.

EXplicaret nihilo ſecius Poëta concinnè.

„ Eſt modus in rebus, ſunt certi deniq; fines,
„ Quos vltra citráq; nequit conſiſtere rectum.

Satiùs proinde eſt in remedijs adminiſtrandis infra cōſiſtere, quam nimia procacitate ſanas partes vitiare, aut infirmas vexare, præter antiquam M. Hippoc. edictionem μὴ βλαπτεῖν, *non lædere.* 6. Epid.

HIPPOCRATES.

Velut calida corpori ex excessu in vtramq; partem, vt ab vtraq; non aberret.

MElius vertit Fæsius, *velut calidum corpori adhibitum, excessu in vtramque partem vitato, vt vtraq; ex parte minimè abberret.* Ea cautione, nempè, ne pro calida vrentem, vel tepida infirmiorem corpori administremus.

HIPPOCRATES.

Coniectatione ex detrimento, aut inutili facta, velut in tepida.

NEmini controuersum, plures esse gradus caloris, qui aquæ communicari valent, hos verò non ex æquo deberi singulis corporis partibus, singulisque affectibus, quapropter artificiosa coniectura indiget Medicus præsens, vt debitum aptet gradum eius quod admouetur, indicatione sumpta à partis natura, & gradu curãdæ affectionis. Secùs si faxit, aut lædet, opponens remedia grauiora malis, aut non iuuabit, infirmissima eligens, *velut in tepida* euanido iam necessario, expetendoq; calore.

HIPPOCRATES.

Oportet enim detrimẽtis, aut vtilitatibus, etiamsi sint, vti, vsquequo iuuent, aut donec lædant.

VNiuersale præceptum tradit, illudq; religiosè seruandum in Medicina facienda, eaque præsertim in parte, quæ materias medicas & elligit, & admouet. Durum

tamen

tamen videtur, atq; enorme. Nam quod *vtilitatibus vti quis* debeat *vsquequo iuuent*, facilè concipio, *detrimentis donec lædant*, neque concipio, neq; patiar. Quis scit, an Hippocrates eadem mente, diuersaq; loquutione, aphoristicam illã, celebremq; sententiam nobis insinuet, *omnia secundùm rationem facienti, etsi non succedat secundùm rationem; non est transeundum ad alia, suppetente eo, quod ab initio probaueris.* 2. Aph. 52. Et Romanus Hippocrates C. Celsus huius doctrinæ memor consulebat aliquando, vt in morbis chronicis, quos tempus, vt facit, sic soluit, non statim mutetur, si quid non profuit, profectus enim tempore expletur, quæ etsi verissima, parùm congrua præsenti sententiæ illustrandæ existimo. Alia mens est in præsens nostro Dictatori; quam vt assequamini, recogitate iam tradita. Præcipitur nobis curantibus moderatione vti, ne malum ex malo fiat, quod in calida exemplificat, ne longiùs abeamus, monetq; euitare excessus, & repudiandam tepidam. Hinc elicit commune præceptum, vt ijs, quæ prosunt, vtamur, vsquequo iuuent, quod in calida tepescente contingit, postea verò abijciantur: his autem, quæ lædere valent, ad vltimum vsque, *quod non* pertransire licet; vno verbo difficultatem absoluam, Scholarum more, ad læsionẽ vsq; *exclusiuè.* Quis verò præter Medicum coniectorem competens futurus sit Iudex, in sequentibus decernet. Hęc germana est Hippocratis mens.

HIPPOCRATES.

Madefactio itaq; debile quid est, frigefactio verò, & calefactio, forte: velut ex sale.

TRia contingebant aquæ, duo ex natura, nempè, vt frigefaceret, & humectaret, alterum ex affectione, calefacere, scilicet, quæ contangit. Debile est quod madefa-

defaciendo præſtat; eſt enim humiditas paſſiua qualitas, robuſtum quid frigiditas, atq; caliditas præſtant, actiuæ namq; ſunt, eaq; propter attentum oportet eſſe Artificem, ne validiſſimâ materiâ temerè abutatur.

HIPPOCRATES.

Verùm frigida calida exiſtens, velut potabilis aqua, debile quid eſt.

INfirmiſſima quinetiam eſt potabilis aqua, dum à naturali frigiditate ad calidum properat, quanquam actiuiſſimis participat qualitatibus: hæ namq; ex mutuo, quem peragunt, tunc congreſſu, retanguntur, euaditq; corpus imbelle.

HIPPOCRATES.

Calida autem, ne vlteriùs pergat, vt vrat.

LImites calidæ, quos ſuperiùs innuerat, apertè nunc ponit, docetq; infrà ſubſiſtendum, & ad tertium vſquè actualis caloris gradum procedendum, ſi expedire videatur, nunquam verò vltra pergendum, ita vt vrat, qui quartus eſt gradus caloris, naturæ noſtræ infenſus, atq; pernicioſus, quod proſequitur poſthac:



Iudicat autem de ijs ipſe ægrotus, exceptis mutis, aut leuiter ſyderatis, aut ſtupefactis, aut velut in vulneribus perfrigeratis, aut nimio dolore vexatis.

EN qui ius dicet, ac ſententiam feret; patiens .ſ. qui calida perfunditur, ſi valet, & ſentit. Duo hinc corollaria elicite: primum quidem, non ſimpliciter res conſiderari à Medico, verùm contractas ad humanam naturam. Præterea non mederi Artificem homini in ſpecie, verùm ſpeciei indiuiduis, Calliæ, & Platoni, quorum naturæ quàm diuerſæ ſint, & corporis temperamenta, fieri non eſt inconueniens, vt quod vni innoxium eſt, alterum lædat. Et ne vagemur perperàm, tertius v. g. calidæ gradus vret pueri cutim, mulieris, necnon cuiuſuis alterius, cui par contigerit mollities. Valet præterea, & conſuetudo; nam qui calidam tractant, vt infectores lanarum, & ſerici, ob peruſtum corium, bullientem aquam vix formidant. Et vt hoc dicam obiter, frigore etiam cutis peruritur. Nam qui piſcantur hyberno tempore noſtris in fluminibus, frigidam aſpernantur, dummodo limites conſuetos non tranſcendat. Qui fines ſubfuluo diſtincti colore, ad media vſque fæmora, dum ab aquis ſuperantur, intolerabilem frigoris inuehunt ſenſum, vt qui ſuperiores partes, nec gelu, nec vndis durauerint. Appoſitè proindè calidæ iudicium commiſit Senex ſoli patienti.

Exceptis mutis, aut leuiter ſyderatis.

E Loqui impotentes, noxam articulatè exprimere neſciunt, nutibus tamen ſignificare egregiè valebunt. Viue-

Viuebat dudum apud Aurificem noſtratem miſer quidam Surdus, cæcus,& mutus,in reliquis pancraticè. Parùm huic erat, obuios quoſq; breui tactu dignoſcere, verùm, & ferramenta ſingula Officinæ, illorumq; vſum probè callebat. Ridicula res contigit, atq; admiranda. Redibat is baiulus è foro piſcario, meq; præſente, heri mandata coquo ſignificabat, cocturæ præterea modum ſingulis piſcibus aſſignabat. Cancellatim diſpoſitis digitis Sardas craticulæ imponendas,inuerſo pileo lebetem ęmulatus,Lucij fragmentum elixandum, minutos piſciculos ex Arni flumine, frixorio credendos, in orbem contractis vtriuſq; manus pollice, & medio, ſedulus præcipiebat. Quid ſingula referam vniuerſis Ciuibus cõpertiſſima? Is credo, qua pollebat in reliquis ſolertia, facilè indicaſſet perceptam noxam ab vrẽte aqua. παραπληγικοισῖν, quod patria voce dixit Hippocrates, & vertêre vnanimiter interpretes, *leuiter ſyderatis*, dubios poteſt nos reddere, atque incertos. Puto ego paſſionem illam indicari,vbi ſuperſtite motu,adimitur membro ſentiendi facultas. Non igitur *leuiter* vſquequaq; ſyderantur, ſi per ſenſum conſtat animal, verùm reſpectu habito ad vtramq; læſionem ſimul iunctam, quod malum *frequentiſſimè vexat* mortales.

Cur pereat ſenſus illæſo motu?

NOn recoquam Crambem: ſed opportunè monebo, vitia illa Paraplegiæ congenera, facultati ſenſitiuæ, aut motrici minimè imputari debere, quod vulgò faciunt, ſed organis. Manet illæſa facultas, donec vita ſuperſtes, quin ipſa particulare vitæ genus conſtituit, vt dicebamus, Actio eſt, quæ deprauatur,aut tollitur, aut imminuitur. Ad actionem verò abſoluendam concurrunt & facultas, & organa. Sit ne illud temperies membri, an quid aliud, non

de-

decerno modò: cadit ſub quæſtionem, cur inſtrumentum illud, qualecunq; fuerit, agere valeat, non autem pati, quum pauciora ad patiendum ſufficiant, quàm ad agendum, omnium confeſſione. Valet argumentũ, & vrget, ſi per vnum, & idem organum. motus abſoluitur, & ſenſus; ſecùs, ſi per diuerſa, quo diuerticulo eludunt redarguentes, qui Galeno nomen dedêre. Quæ tamen præ mea imbecillitate difficilè concoquo: Non enim diuerſa eſt materia, aliave ex origine nerui oriuntur, qui motui, vel qui ſenſui præficiuntur. Anteriori è cerebri parte, vtpote molliore, ſi ſenſifici tantùm emanant, vacat ſecundum par oculorum motui deſtinatum, ne ſingula recenſeam. Poſteriori è parte, & ſpinali medulla, quæ cerebrum elongatum eſt, ſi neruos motui inſeruientes tantùm deduces, iniurius es, volæ manûs, & digitis, qui exactiſſimo perfruuntur ſenſu, omnium conſenſu, vt præteream reliqua animalis membra, tangibiles qualitates exactè dignoſcentia. Latitare quid ſub cute dicebat Peripati Princeps, hoc verò quid, qualeuè ſit, mox indagabimus.

Aut Stupefactis.

AB externâ, puto, cauſâ, vt frigore, compreſſione, aſtrictioneuè, & ſimilibus; ſecùs, ſi ab internâ. Recideret enim cum ſuperiori paraplegiâ, quæ *ſtupor* Latinis.

Aut velut in vulneribus perfrigeratis.

DVbium eſt, an denegetur iudicium præ refrigeratis vulneratis partibus, an verò præ vniuerſo corpore ſic affecto? Non controuerſa eſt, quæ ſubſequitur frigiditas, quamlibet inſignem hæmorrhagiã, ob calidi innati certam deperditionem, quæ labes, ſingulas dum affecit partes,

valet inſuper & mortem inferre. Cui ignotum eſt, quod Poeta cecinit?

Vitam cum ſanguine fudit? necnon
Purpuream vomit ille animam?

Quapropter in agone conſtituti, & ex priuatiua cauſa intẽperati iam redditi, nequeunt, vel de excellenti ſenſibili, proferre iudicium. At ſi vulneri *refrigeratum* tribuas, dubio procul vacat hoc ſenſu, & in proximo eſt, vt pars vitâ priuetur, iam penè extincto innato illius calore. Inepta proinde ſunt vtraq; iudicium ferendo de calentis aquæ gradu,

Aut nimio dolore vexatis.

CAuſa, cur qui vehementi dolore priùs vexabantur, nequeant iudicare calidam, ea eſt, quam tradidit Hipp. 2. Aph. 46. in Aphoriſmis, *duobus doloribus ſimul non eundem locum infeſtantibus, vehementior alterum obſcurat.*

HIPPOCRATES.
His enim hæc ſenſu non percipiuntur: nam non ſentiunt, alia peruſti.

NOn aduertens ſe ſentire, non ſentit, in Schola Hipp. Sat eſt oraculi illius meminiſſe: *quicunq; dolentes parte aliqua corporis omninò dolorem non ſentiunt &c.* quapropter vera eſt in omnibus recitata ſuperiùs ſententia: quandoquidem cùm *ſenſu*, nempè interno, quem communẽ dicunt, hæc *non percipiantur*, iudicari nequeunt. Reliqua nec ſenſum mouent, qui in parte nullus ſuperſtes: indicio ſit illata vſtio abſque querela.

Item-

Itemque profundæ, ac magnæ luxationes.

QVæ, nempè, neruis incommodant, illosq; premunt: quô fit, vt præ compreſſione exulet tunc ſenſus in ſubiectis partibus, gradus caloris illius malè conſcijs, nonnunquam & penitùs ignaris.


De Organo Tactûs.

TEmpeſtiuum iam eſt, genuinum Tactûs organum ſcrutari. In primis ſtatuendum eſt in hac ſpeculatione, quod longa euicit obſeruatio, nonniſi cõmunicata vi quadam, à ſuperioribus partibus fieri poſſe ſenſationem: quæ vis, ſeu energia ſi intercipiatur, perit ſenſus; redit ſi amoueatur impedimentum. Sit ne verò hæc ſpiritus quidam ſui generis, aut qualitas perfectiua, velut lux in perſpicuo, non eſt præſentis negocij, ſicut & pari pacto, quæ vera illius ſit origo, Cerebrumnè, an Cor? quandoquidem à Cerebro deriuari, & Medicorum conſenſus, & ſpecioſa experimenta firmare videãtur; A Corde illam oriri, mordicùs tuentur Peripatetici, quibus nec propria deſunt argumenta, nec quæ ab Aduerſarij confeſſione extorquent: Illudque in primis, quòd ſyncopè eſt præceps virium cunctarum lapſus, at hæc primaria cordis paſſio eſt, nemine refragante. Cuius controuerſiæ deciſio reſeruatur edendæ tractationi *de Regia Animæ* (ſi Deus vitam largiatur) non ſecus ac per quos irrepat energia illa, canales, arterias, an neruos? Præterea oriantur ne hi à corde, an à cerebro? Eſto per neruos communicetur, quorum, vel origo cerebrum ſit cum annexa ſpinali medulla, vel ſaltem implantatio; adhuc ſub quæſtionem cadit peculiare ſenſûs organum. Quandoquidem diſſimilare corpus non tantùm eſt cerebrum, verùm & ipſemet neruus. Præcipuæ horum partes duæ ſunt, inter-

na, & medullaris, quæ ſenſûs penitùs expers; externa, & membranoſa, quæ exquiſitiſſimo ſenſu prædita eſt. Nunquam diſiungitur medulla proprio ab inuolucro, neque intra cranium; neque, poſtquàm emigrârunt ex hoc nerui, qui duplicem ſecum deuehunt membranam, cerebri ad inſtar, ſclireticam, ſeu duram; tenuem, ſeu piam, ex officio ſic appellatam. Rata hæc ſunt in vtrâq; ſchola, neque minùs certum, conſuluiſſe ſagaciſſimam Naturam partibus nonnullis, quæ præ ſui corporatura ſenſûs erant incapaces, tenuium membranarum, ſenſuq; pollentium amictu, quo munitæ illatas iniurias, aut propulſarent, aut declinarent omninò. Me tacente, ſat modò eſt in propatulo pars illa, cui committitur ſentiendi functio. Excluditur dubio procul nerui medulla: nemo enim dat, quod non habet: at illa ſenſûs penitùs expers, quomodo ſenſum, illumq; exactiſſimum communicabit? Membranæ ius confirmant, quæ cauſæ cuique vulgò tribuuntur. Nam, quo poſito ponitur, & quo ablato aufertur, ea cenſenda eſt cauſa: ſed poſitâ membranâ, pars ſentit, ablatâ non ſentit: igitur membrana eſt cauſa ſenſûs: quod intelligas velim in genere cauſæ materialis, & velut principium *quod*, animæque organum, cuius prouidentiâ, vis illa, à nobis ſuperiùs cõmendata, liberaliter huic tribuitur, fluens à principio, *vt quo*. En vobis compendio, Auditores, animi noſtri patentiſſimum ſenſum

„ *Nullius addicti iurare in verba Magiſtri.*

Hinc elicere fas eſt cuique, vel modicè verſato, occurrentium problematum enodationem: quapropter tempus iam eſt, vt Hippoc. audiamus, grauia damna interminantem ex calidæ abuſu.



HIP-

HIPPOCRATES.

Iam vero etiam pedes deciderunt perfrigerati ex calidæ perfusione.

ENormi ex calidæ perfusione deduci potuisse in discrimen ægrotãtis membra, & capio, & subscribo Hippocratris obseruationi. Verùm quod perfrigerati fuerint pedes ex calidæ perfusione, hoc mihi nouum, atque inopinatum. Quandoquidem orta suis debent atteſtari principijs; præter id, quòd calidi est calefacere, in bona, cultaq; Philosophia, non refrigerare. Cui hæsitantiæ facilè satisfacietis, si dixeritis, calidum per se calefacere, per accidens autem refrigerare, quod & viceuersa facit frigiditas, vt audietis in progressu. Modum nôsse, si vobis est in optatis, dicam breuiter, quod excedentis calidæ perfusio innatum menbri calorem abigit, atque corrumpit; hoc destituta, pars terrea ex prædominio, & aquea, frigida redditur. Inepta proindè nouo caloris viuifici influxui, breui marcescit, atque syderatur, quod aliàs enucleatiùs ex me audietis.

HIPPOCRATES.

Sed his corpus perfusi iudex est, similiter etiam frigidæ.

SIc vertit Cornarus, Mercurialis *perfundentis*, Fœsius *verùm in ijs, eius qui affundit, cutis iudex esto, ac similiter & in frigida*. Hanc libenter amplectar interpretationem, duplici de causa: prima quidem, quãdo tautologia incongrua est moribus Hippoc. Dixerat vero dudum, *de ijs autem ipsi ægroto iudicium permittendum*. Altera causa est, quoniam enarratæ texturæ facilè annectitur. Siquidem ægrotantis

iudicio ſtandum, niſi enarratis affectibus laboret: quo in caſu propria in cute gradum caloris, aut frigoris experiri debebit perfundens, priuſquam ſenſu orbatis membris calidum affundat.

HIPPOCRATES.


Harum autem vtraq; paucitas debilè quid eſt. Multitudo verò forte.

VEtus eſt, in magna mole magnam eſſe virtutem, exiguam in parua. Quapropter, licèt actiuis maritetur qualitatibus aqua, *& frigefactio & calefactio forte quid ſit*, vt audîſtis ſuperiùs, attamen, niſi multa perfundatur corpus, debile præſidium erit. Iugi proindè officio, multaq; perfuſione opus eſt, ſi quando cōtumax ſuperādus ſit affectus.

HIPPOCRATES.

Veruntamen ſinere oportet, donec fiat id cuius gratia fiunt. Antea verò, quàm poſtremum fiat, ceſſandum.

NOn eſt cur operam meam efflagitetis in re aperta, conſtat enim eo vſque in calidæ perfuſione procedendum, vt poſtremus excludatur exceſſus, qui Naturæ noſtræ intolerabilis eſt, atque deleterius.



HIP-

HIPPOCRATES.

Harum porrò vtraque lædit, & calida quidem amplius ea vtentibus has læsiones inducit, carnium effæminationem.

COnfert modò, refertque damna, quæ ab immoderato calidæ, & frigidæ vsu mortalibus eueniunt. Sat habet in præsenti contextu enarrare læsiones à calida inductas, quæ profectò eædem sunt ad vnguem cum recensitis 5. *Aph.* 16. ita vt clarè constet hinc erutum illum fuisse, nouũq; in Encheiridion translatum, vel ab Hippoc. vel à posteris: quæ res auctoritatem conciliat nostræ tractationi, vt dicebamus. Non dissimulabo insuper illorum in gratiam, qui attendunt Galeni iudicium, durumq; illis videtur, nunquam meminisse præsentis libelli. Quod tamen falsum esse euincit Commentarij exordium in citatum Aphorismum, habet verò: *De calidi, & frigidi vsu immodico, & modico dictum est non parum in libro de Vsu humidorum, dicta sunt autem, & hoc in loco Aphorismorum omnia fere capita &c.* quapropter alacres incumbamus posthàc, attentiq; huius lectioni.

Carnium effæminationem.

SApiam modò cum Galeno eodem, & loquar. *Hoc est debilitatem: dictum est enim; nomen per translationem, quoniam fæmina debilior est masculo.* Cui astipulatur hoc, quod subiungitur.

Neruorum incontinentiam.

COnsonum profectò rationi videbatur, vt si frigidum, nerius inimicum; quod aliàs tradidit Hipp. calidum 5. Aph. 18.

 ami-

amicum esset, illorumque tenorem seruaret. At meminisse oportet, excessûs damna hîc recenseri, haud moderati beneficia. Congruam offensæ assignat causam idemmet Pergamenus loc.cit. *Nam & hi fiunt imbecilles, cùm illorum substantia à calore dissoluatur.*

Mentis torporem.

1. Aph. c. 15. Facilè fuisset Galeno, cui Natura, & Anima nihil aliud est, præter innatum calorem, causam torporis reddere, quæ menti contingit, ob immoderatũ calidæ vsum. Hæc enim innato calori insidiatur, quin aduersatur, vt excedens mediocri, & quòd habent Scholæ, minùs tale, respectu magis talis, habet rationem contrarij. Verùm abstinuit, causamq; non malè reiecit in organum, asseuerans quòd *mentis torpor, mentis est imbecillitas, cùm ita scilicet substantia cerebri, sicut etiam neruorum dissoluatur.* Subscripsisset forsan Arist. cui cerebrum factum est in cordis refrigerium, si torpor ille contingeret ex embrocis capiti administratis. Verùm quoniam neque embroca illud faciunt, neq; ex Hipp. habetur, alia processisset via. Non facere torporem mentis, capitis irrigationes, quin torpentem excitare, fidem faciunt, calidæ d ucciæ capiti languenti administratæ; quales sunt apud nos D. Philippi Benitij, olim Medici, ad cliuum montis Amiatis in Agro Senensi: quarum efficaciam, vel nupero experimento fatentur Epileptici.

Profluuia sanguinis.

Liquari humores à calido, euocari insuper; poros, & oscilla aperiri, nulli controuersum, qui tractârit aliquando, vel moderatè calidam, ad breue tempus. Reserari ora venarum ijs, quibus in delicijs est, proprias carnes per-

calidis balneis elixare, & credet, & fatebitur: Neque diffitebitur præterea, valere liquatum ſanguinem, atque turgidum vaſa diſrumpere, feruentis muſti ad inſtar. Quòd ſi accedat difficilis ſpiratio, quam æſtus infert, halanteſq; vapores, dubio procul in proximo eſt, vt vas aliquod pectoris aperiatur.

Animi defectiones.

HAs cõſequi ad ſanguinis profluuia dicit Galenus non malè, verùm non ad Authoris mentem, qui ſingulatim narrare modò profitetur mala, quæ infert calidæ abuſus. *Lypothimias* ſuccedere, vbi quis in calidum ſolium ſe immerſerit, diuq; permanſerit, nouum non eſt, quin & ipſo aere balnei impensè calido exanimari quamplurimos, pro comperto habeo.

Hæc ad mortem.

VItia namque ſunt hæc cordis, qui vitæ fons, atq; origo. Vitiatur verò, denegato ipſi debito refrigerio ex aere. Feruere namq; viſcus hoc neceſſe fuit, ex quo calor in corpus vniuerſum deriuatur. Frigida proindè ſpiratione egebat, ne ſuffocaretur. Non mirum igitur, ſi hac denegata; incidat homo in animi defectiones, tandemque mors ſubſequatur.

HIPPOCRATES.
Frigida verò, Conuulſiones, diſtenſiones, nigrores, rigores febriles.

QVæ ad verbum eadem ſunt cum ſubſequente *aph.* 19. *V. ſectionis* nuper explanato, hoc vno excepto, quòd

quòd hîc frigidam dicat in concreto, ne limites excederet propositi, sibi argumenti, frigidum ibi in abstracto, quò redderet enunciationem magis vniuersalem.

Conuulsiones.

QVid sit Conuulsio, iam nôstis, quæuè illius species. Possit ne verò spasmus fieri à frigida, & quo modo illud succedat, hoc examinãdũ venit in præsens. Et quãtùm est de primo, illustre habemus experimentũ in Magno Alexandro, qui æstu flagrans, frigidissimis Cydni fluminis Ciliciæ aquis se immersit. Cuius temeritatis mox pænas luit, conuulsione neruorum distentus, quam superauit ingenui Medici opportunis auxilijs. Vt hinc discant Principes Viri, cuius fidei se committant, & quibus officijs deuincire sibi debeant medentes, ne vacillent. Herois illud fuit, dextrâ potionem ori admouere, sinistrâ Epistolam ab amico conscriptam, vt à Medico caueret, eidem Paulo porrigere. Quæret forsan vestrûm aliquis impensè curiosus, quod nam fuerit genus illud pharmaci? Historici profectò mutiunt: si quid verò conijcere datur, necesse est, vt alterum nobis propositum problema absoluamus, quomodo scilicet, à frigido, vel frigidæ immersione fieri possit conuulsio? Dubio procul musculi sunt, qui conuelluntur, dum fines per fibras sua ad capita vi contrahuntur. Huius causæ sunt, quæ a Galeno recensẽtur in comm. scilicet *refrigerari, & in vnum cogi, ac cohiberi.* Lædit membra penetrabile frigus. Quapropter antiquâ naturæ lege, contrahunt se se illa, & in vnum coguntur vi quadam, quæ tandem vniuersum genus neruosum trahit in consortium. Cogitur necnon sanguis, & reliqui humores vagantes: quò fit vt duplicentur difficultates, præterq; intemperiem, non desideretur materia. Cuius suasu verisimile est, Nobilem Medicum,

Cor. cels.

cum, Castoreo, Piperi, Laseri, & similibus, comites adiunxisse deiectoria pharmaca. Quod vt credã, facit dysphoria, atque discrimen M.Alexandri, quæ tandem vincente Naturá, superata est magna cum medenti gloria, vniuersorumq; Macedonum lætitia.

Distensiones.

QVas τέτανους sua lingua dixit Hippoc. vtroque laborante musculorum genere fiunt. Quapropter distenta ex æquò manent, vt si quis palum erectum duabus funibus alligatum vtrinque trahat ex æquo. Sæuum genus morbi, quod tamen vel à solo frigidæ vsu excitari posse, & nos experimur, dum delitiosas, & saluberrimas Arni fluminis aquas frequentamus diebus Canicularibus. Contigit namque non infrequenter, obriguisse crura peritis natatoribus, inque maximum vitæ discrimen venisse: quod mali genus *granchio*, nostrates, *gransum* alij, parùm detortâ nomenclaturâ, appellant.

Nigrores.

SAnguis naturâ suâ frigidus est, Hippoc. & Arist. obseruatu; calidus affectione, quã illi communicant perpetua cordis officia. Vt verò his orbatur, concrescit actutùm, cutemq; inficit cadaueroso colore; orbatur verò tum extincto partis calore, præ frigidæ actiuitate, tum etiam denegato subsidio, ob proprium discrimen, viarumq; conniuentiam.

Rigores febriles.


RIgent, qui frigent, & concutiuntur euidenter, non tamen febricitant. Qui frigida perfunduntur exiliunt,

noxam dum declinant, neque vlterius procedit malum. Frigidum proinde *rigores* excitare videtur, *febrilium* ad instar. Quæ tamen Hippoc. parum congruunt, cuius ætate nunquam contigit, referente Galeno, fieri rigores absque febre. Facilè proindè febricitant astrictis meatibus, viâq; denegatâ fuliginibus, dum interim æstuant viscera, corque præcipuè, innati caloris focus, & lares, refugiente sanguine validissimi Aduersarij congressum. Quapropter benè agitur tunc, nisi Ephemeræ putrida febris succedat, ob turbatam corporis vniuersi œconomiam, fortuitamq; humorum quorumcunque, non minùs, quàm perniciosam mistionem.

HIPPOCRATES.

Ac moderatus quidem horum vsus iuuat.

NOn est difficile assequi, dum excessus frigidæ, aut calidæ euitamus, conducere illam ægrotantibus, & quamquàm debile dixit præsidium, *iuuare* tamen non dubitat. Quæ moderatio, non tam temperiei debetur, quàm minùs frequenti administrationi Aquę vtriusq;, valent enim præ diuturno contubernio intentata inferre damna. Quæ sequuntur, difficilia captu sunt, Interpretum vitio, sequar propterea Fæsium sic vertentem.



HIP-

HIPPOCRATES.

Reliqua autem prædicta omnia, lædere, vel prodesse conspiciuntur, ex voluptate, & tolerandi facilitate: ex dolore etiam, & ferendi molestia, quæ singula, pro cuiusq; confessione, ad salubritatem consentire videntur.

INtegra hæc est sententia, benèque cohærens, quam tamen nũquam eruetis ex Mercurialis, vel Cornarij versione. Nectitur superioribus non ægrè; laudabat dudùm Hippoc. mediocritatem, admittit necnon modò excessus mediocres, non vltimos illos, quos vitandos à nobis superiùs monuerat. Causa verò, cur ab exacta mediocritate recedere quandoq; cogamur, ea est, quoniam impar est auxilium gradui ægritudinis, eaq; propter vlteriùs progrediendum est, donec non lædat, & iuuet, quod ex obseruatione, & ægrotantis depositione, facilè quis conijciet.

HIPPOCRATES.

Corpus tegi, ac velari adsuetum, quicquid insuetum est, quicquid longissimè à familiari calore abest, & peregrino frigori propinquissimum, id ipsum auersatur: & propterea sanè calidâ gaudet, & ferre potest.


VOluptatis cùm meminisset superiùs, nunc causã inuestigat, cur calida voluptuosa sit eã vtentibus? refertq; in consuetudinem. Corpus namq; humanũ glabrum quum sit, & frigoris impatientissimũ, vestibus eguit, quas Diuinus Opi-

Opifex, à Mundi vſq; incunabulis, pelliceas primis largitus eſt parentibus. Conſuetudo iam ceſſit in naturam; quapropter non mirum, ſi nudati doleamus, amicti voluptuemur. Nudæ partes tegi aſſuetæ, vt calida perfunduntur, vel ei immerguntur, ad naturalem ſtatum redeunt, fugantq; quod *inſuetum, & perigrino frigori propinquiſſimum.* Voluptas autem eſt, reditus in naturalem ſtatum, non ſecùs, ac dolor receſſus quidam: eaque propter edictione Hippoc. *hi dolent, quibus natura corrũpitur.* Sublimiora interim meditatur Senex, velutq; manu nos ducit certiſſimam in demonſtrationem, conſtans ex ſolido hoc verborum contextu maiorem propoſitionem. *Quicquid inſuetum eſt corpori, & longiſſimè à familiari calore abeſt, & peregrino frigori propinquiſſimum, hoc, inquã, corpus auerſatur.* Obſeruemus modò progreſſum.

HIPPOCRATES.

Cerebrum, & quæ ab hoc oriuntur, frigidâ quidem triſtantur, calidâ verò gaudent, ſi ſanè frigidius, & ſolidius naturâ fuerit.

SEd frigida inſueta eſt cerebro, & longiſſimè à familiari calore abeſt; iure igitur cerebrum, & quæ ab eo oriuntur, frigidâ triſtantur, calidâ verò gaudent.



HIP-

HIPPOCRATES.

Propterea oſsibus, dentibus, neruis, frigida inimica, calida verò amica: quia ab illa conuulſiones, tenſiones, rigores febriles, quæ ſanè frigida facit, calida verò ſedat.

A Meta recurrit ad carceres, nempè, ab obſeruatione ad ratiocinium, Calida ſedat mala, quæ intulit frigida, igitur calida amica Naturæ noſtræ eſt, vt frigida inimica, præcipuè partibus exanguibus.

HIPPOCRATES.

Ob id etiam à calidâ voluptates, & illecebræ: à frigidâ verò dolores, & auerſationes.

IVre, meritoque igitur calidam appetimus, in eaq; libenter diuerſamur, ob vtilitatem, & delicias, vt frigidam auerſamur præ noxâ, quam infert.

HIPPOCRATES.

Ideoq́; ſpina, pectus, dorſum, præcordia, contraria perpeſſa ſunt, quia ſunt contraria.

PErgit demonſtrare à ſigno, quibus membris noſtri corporis inimica ſit frigida; ſicq; procedit. Spina, pectus, dorſum, præcordia, frigidâ læduntur, calidâ iuuantur, igitur amica hæc membris recēſitis, inimica illa. Nam contrariorum eadem eſt diſciplina. Neque vos fugere interim credo, Auditores, hinc mutuâſſe *Aph.* 19. *ſect.* 5. illum, qui

cele-

celebre Enchiridion compilauit; indigum tamen demonſtrationum, quæ hìc habentur.

HIPPOCRATES.
Propterea ſanè in hoc loco, anxietatem, ex calidâ obortam frigida ſedat.

NImis ampliat præſentem ſententiam Martianus, quàm tamen coarctat noſter Hipp. & frigidum conducere dixit *anxietudini* nuper enumeratarum partium, non omnium, neq; à qualibet cauſa, ſed à ſolius calidæ abuſu. Sed dicet veſtrûm aliquis, quæ inconſtantia Auctoris eſt, à frigidæ incommodis ad commoda confeſtim exilire? An non eadem frigida eſt, quæ dudum contraria, & inimica naturæ noſtræ dicebatur? cur igittur tanta facilitate huius in gratiam redijt? Optimè dubitaſtis? Verùm illud nôſſe par eſt, frigidam hîc laudare, vt emendantem, non tamen vt fouentem. Remedium eſt, præſidium non eſt. Vrgebitis inſuper: at calida necnon remedium dicitur malorum, quæ intulit frigida: ergo nulla reſponſio. Admittimus: verùm neque vos denegetis alterum calidæ officium minimè dubium, quòd familiariſſima ſit humano corpori, eaq; propter, & præſenti ſanitati conducat, & abſentem reuocet. Si quando verò ex huius abuſu æſtuent præcordia, & thorax, frigidæ aſperſione tollitur ſuborta anxietas, reditq; corpus priſtinam ad temperiem.

HIPPOCRATES.
Propterea ſanè frigidæ potu gaudet.

REcreat nos frigidæ potio, ni vitium inſideat ſtomacho, & naturalibus viſceribus. Naturâ ferimur in frigidam

gjdam potionem, suadente siti, quæ appetitus est frigidi, & humidi, ob indigentiam amborum: indiget autem, vrgente calido, & sicco. Quare vtrumque causarum genus concurrit, & priuatiuum, & positiuum, ad sitim constituendam. Grata est frigidæ potio; verùm nostris in Regionibus, ob insolentiam, & aquarum salubrium penuriã (putealibus enim vtimur) ægrè admittitur, cuius in locum succedunt vina nostratia lymphata, quæ si moderatè frigida sumantur, præter gratiam, valetudini quinetiam conducunt, tenoremque stomachi tuentur.

HIPPOCRATES.

Propterea sanè cibis calidis delectatur.

PAr, inquam, vtriusq; appetitûs, famis, scilicet, & sitis, ratio est. Vt enim hæc oriebatur ex indigentia frigidi, & humidi, eaq; propter illius præsentia lætabatur, pari pacto & fame detentus, quæ appetitus est calidi, & sicci, *cibis calidis delectatur*. Contraria proindè præsenti passioni, & Naturæ familiaria illa sunt, quæ hanc labefactatam restituunt, dum interim iocundè excipit auxiliaris operam.

HIPPOCRATES.

Propterea sanè, & in animi deliquijs, frigidam extremis partibus affundere prodest.

MOlestum primâ fronte mihi est illud, *propterea*, neque video, quorsum particula illatiua referatur. Nõ controuersor, frigidâ perfusos reuocari à lypothymia, hoc enim probe noui, experimento edoctus: ambigo, cui nam ex recensitis dudum causis illud tribuam, contrarietati ne,

an aſſuetudini? Et verò excludi prorsùs videtur prior, nam frigidę fiunt tunc extremæ corporis partes euidenter, quod & ipſe fatetur Hippoc. paulò inferiùs. Inutilis propterea erit frigida, quæ malum duplicaret hac ratione, non tolleret. Nullum hîc nanciſcitur locum aſſuetudo: quandoquidem, etſi nudata plerumque exponuntur extrema corporis ambienti nos aeri, non ſemper frigidus ille eſt, aut adeò intensè, vt eſt frigida, qua membra irrorantur. Quin dicam infeſtam illis futuram, vtpote à fonte caloris diſtantibus, iugiſq; fotùs indigis, ob frigidam ſubſtantiam, ex qua compaginantur. Renuncio proindè huic aſſuetudini, ſequarque in præſens frigidas partes. Inſultabit quis confeſtim. At frigidum frigido non eſt contrarium, ſed ſimile, nulla proindè hîc ſuccedet actio, ne dicam victoria. Reſpondeo, frigidam abſolutè, & per ſe, refrigerare ſemper, poſſe necnon per accidens calefacere, quod facit in animi deliquio, dum reuocat innatum calorem. Perfunditur frigidâ conuulſus, & conualeſcit, vt audietis ſuo loco, *calor verò hæc ſoluit,* dicit Hippoc. qui duplicatis viribus frigidas cauſas ſuperat. Cogit frigida perfuſa abeuntem, vireſque illius, per accidens, inſtaurat. Non diſſimili hoc ſuccedit ratione in Lypopſychia, & frigidum calidi in cauſa eſt prouentus. Nam extremis è ſedibus, quod illius reliquum erat, exturbato, naturali propenſione, ſuum ad fontem recurrunt humores in vaſis contenti, indeque nouam gratiam adepti, reduces tandem antiquam repetunt cumulatiſſimè ditionem: En vobis modum, quo frigida conducit in animi deliquijs, innatumq; calorem auget, quamquam frigida per ſe infrigidat ſemper, neque minùs infeſta eſt calori, quàm inferiori frigori, ſiquidem minùs tale, reſpectu magis talis, rationem habet contrarij, apud Philoſophos.

HIP-

HIPPOCRATES.

Quòd autem posteriores partes calidam magis sufferunt, quàm anteriores, quæ relata sunt, in causa sunt.

CAlidum præterea magis tolerant posteriores partes, quàm anteriores, eò quia tegi assuetæ sunt, rarumq; pati frigus. At verò anteriores exponuntur non infrequenter ambienti,(quod faciunt nostrâ ætate calamistrati adolescentis) perfundi proindè calidâ ægriùs sufferunt.

HIPPOCRATES.

Quòd verò etiam frigidæ, rectè habet.

DVplici ratione frigidæ partes calidâ gaudent,& quòd tegi sint assuetæ à prouida Natura,quæ carneis indumentis, & adiposis illas amicit, inque meditullio membrorum plerumque illas constituit; & quòd insuper exangues quum sint, teporem saltem externum aueant, atque exoptent. His de causis proindè calida exanguibus partibus commodissima.

HIPPOCRATES.

Nam & extremæ partes anteriores sunt, & tegi non adsuetæ.

ILlud assumpserat,anteriores partes calidâ minùs gaudere, quàm posteriores. Annectit modò minorem, At extremæ partes, anteriores sunt, & tegi inconsuetæ, minùs igitur calida gaudebunt, aut illius illecebris trahentur. Se-

cundam in ordine propositionem non ægrè confirmâsset, quapropter abstinuit, tamquam à re non necessaria: potest verò quisque, suo cum commodo, obseruare, anteriorem vergere in locum extremas corporis nostri partes, prædicataq; discrimina experiri.

HIPPOCRATES.

Velut etiam interna pars se habet ad externam.

EXpendit rursùs familiare commercium cum priuatis membris, vt securum calidæ, & frigidæ vsum ex arte constituat. Sic verò ratiocinatur. Vt se habent anteriores partes ad posteriores, sic externa ad internam. Sed anteriores partes, tegi inconsuetæ, minùs calidam amant, quàm posteriores, igitur & hoc continget externis, quum tamen internæ tegi assuetæ, impatientissimæ sint nuditatis, proque tegumento, calida ad tempus proficiant.

HIPPOCRATES.

Sciendum autem, quod vtrumq; in vtraq; corporis parte, cutem externam superat, quæ cùm sibiipsi, & neruo sãguineo sit cõtinua, eo quòd extra proprium calorem in frigore externo versatur, ab vtrisq; frequenter superatur, & vtrorumq; frequenter indiget, frequentiùs tamen calido, ad voluptatem.

ARrisit Fæsij versio, vtpote dilucida, dictisq; cohærens. Quapropter, sic procedo. His præhabitis, quæ de proportione membrorum singulatim ad inuicem neces-

ſaria ſcitu recenſuit Hippoc. noſtræ modò conſulens eruditioni, monita nonnulla tradit, digniſſima Cedro. Illudq; primum edocet, quòd, tam calidum, quam frigidum *in vtraq; corporis parte*, interna ſcilicet, atque externa, ſuperant nonnunquam cutem externam. Hæc verò, *cùm neruo ſanguineo*, membranæ, nempè, carnoſæ, *ſit continua*, ob idq; non vſquequaq; calore orbata, tueri tamen illam non valet iniurijs expoſitam. Quò verò proprias vires recreet, *vtrâq; frequenter indiget*, & calidâ, & frigidâ, pro ratione illatæ noxæ: quanquam *frequentiùs calidâ ad voluptatem*, vt quæ innatum partis illius refocillet calorem, reditumq; moliatur ad naturalem animalis ſtatum, in quo ſtat voluptas.

HIPPOCRATES.

Perpetiuntur autem, & externæ partes tale quid; quare citò multa percipiunt, tardè autem primum attolluntur.

PAres experiuntur noxas extremæ partes cum ipſa cuti; expoſitæ namque ſunt externis iniurijs, illiſq; frequentibus, & inſtantaneis, à quibus tamen ægrè, tardeque reſurgunt, præ diſtantia, ignobilitate, & viribus infirmis.

HIPPOCRATES.

Et venæ quoq; aliæ priùs, aliæ poſteriùs.

E*T venarum quoq; manifeſtum eſt, quòd aliæ priùs, aliæ poſteriùs*, ſupple, attolluntur, hæc ex Græco codice ad verbum. Venarum nomine arterias quinetiam intellexiſſe, nemini poteſt eſſe controuerſum, qui verſatus modicè fuerit in Hippoc. lectione. Has verò primùm attolli, atq; re-

 ſtitui

ſtitui par eſt, redintegratis viribus à cordis calore, & allecto ſanguine, ob tenuitatem ſubſtantiæ, ad motum expeditiſſimo, nouo calidæ officio. Non ociantur interim, quæ venæ à nobis dicuntur, verùm præ contenti liquoris ſegnitie, ſeriùs reuiuiſcunt, atq; *poſteriùs:* vt habet Hippoc. Facilè ſe expediret ab hoc problemate amiciſſimus noſter Gugl. Harueius, & *ſanguinis Circulationi* nobile adiungeret columen, ſiquidem impulſus à corde ſanguis, in arterias primùm, deindè per has, in venas ſubit. Quapropter *priùs* reſtitui arterias, & *attolli* par eſt, *poſteriùs* venas.

HIPPOCRATES.

Atq; ſic omnia apparent, & vbi frigeſiunt extremæ partes, & vbi caleſiunt in vaſorum euacuationibus, & animi deliquijs.

EVidentiam aduocat modò dictorum in patrocinium: non enim ſimul, & ſemel, vaſa illa in priſtinum reſtituuntur, verùm alia priùs, alia poſteriùs, quod videre eſt, vbi frigidâ, vel calidâ in extremitatibus perfundimur. Idem contingit præterea in *euacuatis,* ſic verti debebat, in quibus venæ conciderant, & *animi deliquium* paſſis, his enim non ex æquô vaſa concidunt, aut attolluntur, ſed alia priùs, alia poſteriùs. Plana hæc ſunt, atque veriſſima.

HIPPOCRATES.

Et iuxta rationem meritò etiam venas ſequuntur, quæ ab his eueniunt.

In Poet. QVãdoq; bonus dormitat Homerus, vt habet Flaccus; dormitant necnon quotquot ex Interpretibus præ-

ſentis

ſentis contextûs nobis videre contigit. Subtrahunt nobis illud θερμαίνει, & ſubſequenti largiuntur, quum tamen interpunctione diſtinguantur, poſt quam ſequitur quadrata littera Π: reſtituetis igitur ſic, *venas ſequitur, quod ab ijs prouenit, & caleſcit.* Ad rem modò noſtram. Quid venis contingat, dudum audiſtis, harum namque aliæ priùs, aliæ poſterius *attolluntur*, quod varijs confirmauit experimentis Hippoc. infert modò eadem quinetiam euenire debere ei, *quod ab ijs prouenit, & caleſcit.* Ad quorum intelligentiam reuoco veſtram in memoriam, quod placuit Priſcis, venas eſſe fontes ſanguinis,& caloris, hiſq;,velut canalibus,à corde deriuari in corpus vniuerſum ſpiritum, calorem, atque alimentum. Quo influxu partes orbatæ vix tepent, Galeni obſeruatu, ſatque eſt, ſi non rigeant. His ſtantibus, de quibus ambigere nefas, conſonum prorſus rationi eſt, vt pro modo venarum diſponantur,nec non,quæ ab illis pendent; orta namque, vt nôſtis, ſuis atteſtantur principijs. Pendent verò partes ſingulæ, quamquàm non æquè: ſingulæ proinde proprijs obſequuntur principijs, non ex æquò, ſed proportione quadam, habito,ſcilicet,reſpectu ad modum,quo participant.Reualeſcent proindè aliæ priùs, aliæ poſteriùs.

HIPPOCRATES.

Et calefacit primùm calida, velut in manibus, internas partes.

FAlſa ſententia, experimento,& rationi aduerſans.Quis enim refrigeratus, vt calidæ manum immergit, non percipit actutùm in cute calorem, rigentibus adhuc internis partibus, quæ res incautis dolorem non minimum in vnguibus excitat. Obſtat nec non ratio, quandoquidem actio omnis fit per contactum, ea verò dicuntur ſe contin-

 gere,

gere, quorum extrema ſunt ſimul. Non igitur priùs internæ manûs partes caleſcent, quàm externæ, ſat erit ſi poſteriùs. Non aberrauit à via noſter Dictator, vt qui nunquam fallere, vel falli potuit, Macrobij teſtimonio, vt putauimus aliàs; verùm illius Interpretes πρῶτον τον θερμὸν οἷον τῶν χειρῶν τὰ εἴσω. quod ſonat. *Primùm calida velut in manibus, quæ intùs*. Multa perpeti dixerat ſuperiùs, extremas partes, tardè verò attolli, atq; reſtitui. Non eodem momento venas omnes exurgere, ſed alias priùs, alias poſteriùs, quod & ijs, quæ ex venis pendent, contingere debere inſinuat; experimento ducto à manu recaleſcente, quæ inter extremas partes eſt. Huic verò primùm calorem contingere, inquit, *intùs*, vbi inſigniora ſunt vaſa, quæ materiam quinetiam vberiorem miniſtrant, calore, & ſpiritibus onuſtam, eaque propter citiùs recaleſcunt internæ partes, vel in manu ipſa, quàm externæ, quod & contingere in reliquis magis carnoſis, nemini poteſt eſſe controuerſum. Hæc pro interna cauſa, modoque recalefactionis. Quod ſi quis veſtrûm externam calidæ perfuſionem nihilominus ſequi malit, illudq;, *intùs*, ad manûs volam referat, tanquam tegi aſſuetam, fas eſto, dummodo intelligat congruere dicendis magis, quàm dictis nuperam loci expoſitionem. In veſtra manu eſt, alterutram amplecti.

HIPPOCRATES.

At vlcera calidâ gaudent ex confeſsò, quia tegi aſſueta ſunt, meritò itaq; ex alterâ grauantur.

QVod alibi aſſumpſerat frigidum vlceribus mordax, vberrimè hìc demonſtrat, eodem principio fultus, quo & in ſuperioribus frequentiſſimè vſum fuiſſe

au-

audiuimus, idq; calidæ in gratiam. Sic verò procedit. Partes tegi consuetæ, calidâ gaudent, frigidâ tristantur: sed vlcerata caro tegi erat consueta, frigidâ igitur lædetur, vt calida iuuabitur. Minorem propositionem, vtpote iam per se notam, nullâque probatione indigam, minimè vallat: cui enim nostrûm non perspectissimum est, primoq; Medicinæ in Tyrocinio exploratum, *Vlcus esse continui solutionem in parte carnosa*: at carnes tegi consuetæ sunt amictu copioso.

HIPPOCRATES.

Meritò igitur, & ipsæ venæ, quia sunt in calido.

EOdem planè medio conuincit calidá gaudere venas, quia tegi assuetæ sunt, frigidis tristari, quoniam naturaliter in calido loco, benèq; contecto constitutæ ab exordio animalis fuêre; frigidam proindè *meritò* auersantur.

HIPPOCRATES.

Meritò etiam ipse thorax, & ventriculus ipse à frigida superatus, molestè fert, & mortem minatur, quia maximè desuetus est.

DAmna frigidæ prosequitur, & quibus præcipuè partibus sit infensissima, propalat: causam tandem insignis læsionis annectit. Ab hac igitur exordiri libet, non dissimili à superioribus progressu. Quæ membra nostri corporis maximè desueta sunt frigidæ, ea vehemẽtioribus tentantur noxis. At thoracem, & ventriculum maximè desueta esse, nemo inficias ibit: grauioribus proindè tentabuntur noxis ventriculus, & thorax. Audio interpellantem, & quæ superiùs dicta sunt obijcientem, nempè, anteriores par-

partes faciliùs frigidam ferre, quàm posteriores, quæ minùs assuetæ, thorax verò situs est in anteriori parte. Respondeo aliud esse partes comparare ad inuicem, aliud absolutè illas considerare: primo modo minùs patitur thorax, quàm dorsum: patitur tamen absolutè, si spectes, proq; desuetudinis mensurâ, damna in promptu sunt. Vberius satisfaciam denuò, & pernego anteriorem tantùm esse partem ipsum thoracem. Costis enim quodcumq; concluditur, thorax est, mediusque venter, quem malè quidam partiuntur in thoracem, & dorsum, nisi intelligant hoc esse nec non thoracis partem, sitq; generis in species partitio. Quantùm verò est de frigidæ noxis in potu sumptæ, videri poteritis obseruationes varias, præcipuè verò, quã refert Amatus Lusitanus adolescentis cuiusdam, qui inter ludendum frigidam bibens, miserè, actutùm extinctus est. Hinc arripere potuissem occasionem carpendi illos, qui sibi licere impunè credunt frigidissima quæque ingurgitandi, vel media hyeme, quos tamen monitos velim Galeni nomine, grauissima illis imminere mala, nunquam, aut vix expianda. Prudens abstinebo, quod feci, & in reliquis, ne ambitu quodam vniuersam videar huc transferre Artẽ Medicam.

HIPPOCRATES.

Verùm plurimùm abest ab eo, vt patiatur, propinquissima autem inter se sunt, egere, & pati.

LOcus difficilis, vt video, nobis proponitur, eoq; præsertim nomine, quòd Prosper Martianus, fidus alioquin Præceptoris à secretis, mirum in modum se inuoluat. Nos ex more, paraphrasim potiùs, quàm commentarium instituemus. Pugnant prima fronte inter se propositæ enunciationes: *Plurimùm abest à ventriculo*, vt patiatur. Altera


verò,

verò. *Propinquissima inter se sunt egere, & pati*. Adnecto confestim: sed Ventriculus eget: ergo patitur; Eget verò naturaliter, patitur igitur ex sua indole, & connaturale illi est pati. Quòd egeat, sensus ille suctionis, indicat euidenter, vel omnium confessione: quapropter contrarium conuincere potiùs visus est Hippoc. quàm quod ibi proposuerat, faciuntq; hæc ad probandum maximè expositum esse, suapte Natura Ventriculũ ad patiendum, si *egere* est quoddam *pati*; ventriculus verò sæpius in die *egeat*. Martianus illud *pati* refert ad perfusionem frigidæ, de qua institutus est sermo in præsenti tractatione, sed malè, neque ad rem. Fuga enim est, non solutio difficultatis: & illud *egere* ipsi Martiano abundat. Et, vt liberè fatear, quantùm conijcio, enodatio difficultatis in hoc stat, quòd ventriculus nescius est superari: superat nihilominùs illius calorem frigida quandoque: tuncq; perniciosa est, quia *maximè desuetus est*, non pati absolutè, sed pati, & superari. Proxima verò passioni est indigentia.

HIPPOCRATES.

Meritò igitur frigidæ potu delectatur.

QVàm indigentiam ventriculus, vt abigat, imminentis passionis in medelam, *frigidæ potu delectatur*, fugatq; siccitatem, & calorem, à quibus affici grauiter poterat, procedente tempore.



HIP-

HIPPOCRATES.


Et sic consentiunt inter se omnia hæc.

VNico desuetudinis prætextu, plurima ex ijs, quæ narrata sunt, à frigidâ abhorrent, calidam verò auent, atq; expetunt, nisi frigidam aduocent quandoque excessus in medelam, quod tamen rarò contingit.

HIPPOCRATES.

Quod verò omnia desquamata, & ambusta in superficie, non valdè tegi adsueta, maximè frigidam molestè ferunt, par est, citissimè enim superantur.

VBerioris doctrinæ gratiâ, dictorumq; in confirmationem, adducit in Scænam *desquamata, & ambusta in superficie*. Iurarem, non eam fuisse Authori mentem, vt desquamata diceret, quæ cute nudata sunt, quod placet Martiano: Poëtæ reseruentur illæ translationes. In summâ, quicquid operimento orbatur, vel naturaliter illud sibi contigerit, vel à causa præter naturam, cuncta hæc *frigidam molestè ferunt meritò*. Cuius euentûs causam verissimam, & proximam adfert, quoniam *citissimè superantur*, debito tegmine orbata.




HIP-

HIPPOCRATES.

Et profundissima si superentur, maximè vtiq; grauentur: deindè etiam neruosa natura participant.

INfesta præterea est frigida partibus, quæ in profundo corporis sitæ sunt, vt viscera cuncta, *si superentur*, pereatq; illorum temperies, nam tunc *maximè grauantur*, extincto penè naturalis partis calore, quo vitæ opera edebat, futura in posterùm oneri, atq; perniciei, si superstes animal. Nam & equum obseruaui Principis Viri, dum riuum vadaret, carptîm absorpsisse, inuito equisone, frigidissimæ illius minimam portionem, paulòque post expirâsse in Tridentina platea. Hinc discant moniti assentatores, & qui voluptatibus ęgrorum inseruiunt, frigidam copiosissimam quotidie febricitantibus indiscriminatìm propinantes, quã aberrent ab Hippocratica norma, & reliquo Priscorum Medentium Choro. Obseruent insuper damna, quæ infert frigidæ abusus, frequentissimam Hydropem, refrigerato iecore, immedicabiles intemperies, Atrophiam, quam Tabi proximam, vix superauit Nobilissimus Eques annis elapsis, longo vsu Lactis humani. Sed hæc parergon: prosequamur Senis monita. Noxæ illæ profundis partibus à frigida illatæ duplicantur, si naturâ fuerint neruosæ, nam frigidæ quum sint, noui frigoris accessu superantur facillimè, præsertim quum tegi sint assuetæ.



HIP-

HIPPOCRATES.

Quoniam imus venter calidâ delectari videtur, considerandus locus est, & postea extremæ partes, & vesſica, & genitalia.

MAior pars imi ventris neruoſa eſt, non mirum igitur, ſi calidâ oblectatur, atq; iuuatur. Inteſtina, quæ vniuerſam penè huius cauitatem cõplent, in neruos fatiſcunt, breuiq; artificio adacta, fidibus famulantur: *extremæ partes;* non corporis, ſed imi ventris, neruoſæ quinetiam ſunt; iuremeritoq; proinde *calidâ delectantur*, & frigidâ læduntur.

HIPPOCRATES.

Et virilis membri glans natura frigidior eſt, quàm quis putat. Surſum enim, non deorſum exilit caliditas, & propterea calidâ delectatur.

DIfficultatem incutere poterat appendix illa carnea, ſui generis tamen, quæ frigida nihilominus eſt, atq; fungoſa, eaq; propter *calidâ delectatur*. Experimento ſunt procliuitas in nechroſim à leuiſſima cauſa, niſi rectè tractetur à prouido Artifice. Reuocat me concedentem noſtri Senis oraculum, quo moneor, infimas partes, cæteris paribus, ſemper eſſe frigidiores, ſupremas calidiores, eò quòd calor nõ deorſum, ſed ſursũ aſcendat, glans verò deorſum eſt. Penſito, libroq; euidentiæ ad trutinam, verumq; prorſus deprehendo, quod & vos facere per ocium ſuadeo.

HIPPOCRATES.

Conſiderandum etiàm, quòd poſt calidam frigeſcit corpus magis perfrigeratum; poſt frigidam verò recaleſcit magis contractum.

VBiq; prouidus Hippoc. cautiones in frigidæ, & calidæ adminiſtratione nobis ob oculos ponit, monetque modum ponere, ne reuocemus profligandum affectum. Immoderato ſiquidem calidæ vſu frigeſcere corpus, & ratio, & experimentum, vberrimè confirmant. Euocato nãq; calore, & alimento, frigidum remanet corpus, vtpote terreum ex prædominio: euocatur autem à congenere, patulis poris. Frigida, ſi modum excedat modici, non ſuperet tamẽ; cutim denſat, hinc denegato tranſitu calidis effluuijs, eliminandum calorem auget, atq; intendit.

HIPPOCRATES.

Velut etiam aquæ frigefaciendæ, & calefaciendæ ſunt propter tenuitatem.

ALtera cautio eſt, pro recto materiæ vſu, vt aquis adminiſtrandis tenuitatem conciliemus. Attenuantur verò coctura; nam craſſiores deponuntur partes; quæ remanent, tenuioris ſunt ſubſtantiæ. Inſultantem, quæsò, compeſcite Frubertum, qui auolare credit, quod tenue eſt in aqua, ſi coquatur. Quàm hæreſim in Medicina compeſcemus aliàs, non enim vacat in præſens.



HIP-

HIPPOCRATES.

Et quòd post calidam durescit magis corpus resiccatum, velut oculi post frigidam.


REfrigerari, præ calidæ abusu, corpus nostrum, dixerat dudum Hippoc. his attexit in præsens, & exiccari insuper, atq; *durescere*, non tam exiccatum, quàm exsuccatum præ calido effluuio. Durescunt & oculi à frigida, verùm expresso humore, non attenuato, perque poros spontè abeunte, quod præstabat calida.

HIPPOCRATES.

Altera enim similis est aeri ambienti, altera non.

CAlidam aquam externis corporis nostri partibus admotam, & temperie, & effectibus similem penitùs ambienti non aeri experimur. Calidus hic est, & humidus suapte natura, nisi alteretur, exhauritq; corpora quęq; si diu in eo permanserint. Concitat præterea putredinem, Aristotelis monitu, dum extrahit genuinum calorem, ad quem consequitur humidum, solâ superstite in mixto frigiditate, & siccitate. Hæc nec non præstare valet Aqua calida, ambientis aeris æmula, siquis eâ abutatur, *non altera*, frigida, nempè, quæ proprias nec non habet noxas, & vtilitates, vt audîstis superiùs. Hæc meta est potabilis aquæ; subsequitur Marina.

4.Meteoror. c. 8.



HIP-

HIPPOCRATES.

Maris aquà pruriginosis, & qui ab acribus humoribus vellicantur, prodest vt & lauent, & foueant se calidâ.

ABsolutâ potabili aquâ, cuius damna, & commoditates recensuit hucusque, Marinam aggreditur eâdem prorsùs Methodo, enarratq; quibus benefica sit, quibus infesta, exteriùs si admoueatur. Non adeò expeditum est, manus dare Præceptori nostro docenti, quanquam priſca edictione, *oportet addiſcentem credere*, dubitari tamen non denegat idemmet Philosophus, qui alicubi enunciauit, *quòd dubitare de singulis, non est inutile.* Dubitemus igitur in præsens futuri prouentûs in gratiam. Haud enim concipio, quî valeat Aqua Maris, quæ salsa est, alicubi verò amara ex salsi intentione, velut intra portus, iuxtaq; littora, vbi frequentes natationes, *pruriginosos* iuuare, aut vexatos ab *acribus humoribus*: par namq; æquũque videbatur, vt noxas illas intenderet, proprio sale, salsuginosos, stagnãtesq; in cute humores, acuens, atq; adaugens, quin excitans, vbi non sunt, quod contigisse nonnunquam compertum habeo. Qui nouæ Medicinæ nomen dedêre, facilè se expedient à difficultate, & similia similibus curari posse, ac deberi, stata lege certabunt, nec non ex nupera Hippocratis depositione propriam confirmabunt Theoriam. Similitudine quâdam allici plurima, non repugnabunt Physici, similitudine præterea attrahi humores à pharmacis, fatebuntur Galenici. Sed hæc nihil ad Rhombum. Consulamus proindè Hippocratem monentem, vt *& lauent, & foueant se calida*, cutem nempè curent, extergendo, si quid inhæsit salsi, aut acris. Illotus siquidem sudor, *Q. Sereno* fatente, scabiem excitat, eâ de causâ credo, quoniam salsus naturâ est, euaporatoq; aqueo,

remanet in cute ſal merus, bilioſo ſedimen to permixtus, qui procedente tempore partes illas exedit, at q; lancinat. Huic conſulit lotio, atq; deterſio, liquat enim ſt agnantem, atq; abigit, præſertim ſi *foueant ſe calidâ*, nam ex d iutina mora meliùs enarrata abſoluuntur, reſeranturq; corporis noſtri occluſi meatus. Et vt vno complectar ſingula verbo, non facit hæc *marina* per ſe, verùm per accidens, & alterius ratione prurigi-nem ſuâ naturâ excitat, quod inſueti experiuntur, qua de re mox.

HIPPOCRATES.

Qui verò non adſueti ſunt, vngitent aliquantiſper.

NE ſibi deeſſet Hippocrates, probèq; poſteris conſuleret, inſuetos marinæ balneationi monet, vt leuiter ſe vngant ab immerſione, ea inquam de cauſa, vt emendent illatam à mari noxam. Duplex verò illa eſt, contracta ſcilicet ariditas, & ſal in cute ſuperſtes. Vtriſq; ſubuenit oleum illitum, nam & ſal liquat, & cicurat; curatq;inſuper ſtabili ſua humiditate recentem cutis vtriuſque ſiccitatem. Sic lego cum Mercuriale. Fæſius poſtremam lectionem eligit *in aſſuetis moleſtiam quamdam excitat.* Cornarius *aliquantum læduntur*, cui læſioni, & moleſtiæ occurritur, vt nuper audîſtis.

HIPPOCRATES.

Verùm ad vlcera ambuſta, & deſquamata, & quæcumq; talia, contraria eſt.

QVanquàm aperta ſunt verba, dubia tamen videtur præſens ſententia, illudq;in primis controuerſum eſt, quod cauet, ne vlceribus Marinam adhibeamus. Scitum eſt, vlcera exiccatione egere, cuius rei cauſam clarè expreſſit

idem

idem Dictator initio libri huic morbo dicati. *Siccum*, inquit, *ſano propiùs eſt, & humidum non ſano; eſt enim vlcus humidum, quod verò ſanum eſt, ſiccum.* At verò aqua Maris ſicca eſt, præ ſalis admixtione, conducet igitur vlceribus ſanandis, quod & ille admittit in piſcatoribus paulò inferius. De Vlcerib.

Ambuſta, & deſquamata, & quæcunq; talia.

PAri quinetiam ratione hiſce tædijs ſubuenire poteſt marina, quin impetiginibus, lychenis, & conſimilibus cutis fœditatibus egregiè ſubuenit. Quum enim vlcerata illa ſit, & nonniſi tegmen exoptet, ſuccedat verò profligato humore, quo ſcatet, hoc verò præſtat ſal, præter id, quod balſamicâ ſuâ virtute putredinem arcet. Salis indolem, atq; encomia proſequutus olim vberrimè fuit Bernardinus Gomeſius. Accedit inſuper, quòd *ambuſta, & deſquamata,* interdixerat frigida: cõgruet igitur calida, qualis eſt aqua marina.

HIPPOCRATES.
Aptum eſt autem puris.

NOdos ſoluere aggreditur Hippocrates, primùmq; aduertit, marinam aquam innoxiam eſſe *puris*, qui, nempè, prauis non redundant humoribus. Quantumuis etenim aſpergat cutis ſalſugine illa, niſi ſubſint acres ichores euocandi, prurigine nunquã oſſiciet, aut breui diſcutietur cauſa offendens. Scabiem igitur excitat *impuris*, qualia forſan erant obiecta à nobis dudum, at *pura* immunia ſunt ab omni noxa.

Bona eſt, & ad attenuãdum, & ad piſcatorum vlcera: hæc enim neq; ſuppurantur, niſi vellices.

DVo interim beneficia recenſet, quæ erogat *marina* aqua. Primùm quidem *ad attenuandum*, non tantùm humo-

res, verùm & corpora hydrope detenta, & quæ obæsa. Alterum beneficium est, quod conducit piscatorum vlceribus. Cur non & reliquis? Respondet actutùm.

Quoniam hæc non suppurantur, nisi vellices.

CVrantur igitur, vt aiunt, per primam intentionem. Non suppurandi causa, est partis siccitas, quam contraxit, præ maris contubernio, vitaq; negociosa, nisi quis tamen impatiens exasperet prurientia vlcera, malumq; recentet.

HIPPOCRATES.

Et ad vlcera cuniculosa, & depascentia proserpendo sedat, ac sistit, velut Sal, Salsugo, Nitrum.

FIstulosis vlceribus, & depascentibus, *Marina* maximè conducit, *Salis* ad instar, *Salsuginis*, & *Nitri*, antecellit verò, quoniam liquida est, facilèq; penetrat vbique. Hæc nostram confirmant hæsitantiam, vt dicebamus.

HIPPOCRATES.

Omnia autem hæc, si quis parùm vtatur, irritant, si excellenter, bona sunt.

EN vobis apertissimam solutionem dudum propositarum à nobis dubitationū. Marina aqua, si quis parùm illâ vtatur, vlcera exacerbat, molestaq; est cute nudatis membris; vlceribus præterea cuniculosis, & depascentibus, & reliquis. Verùm si largâ manu administrêtur, iuuat, quòd contingit etiam, dum *Sal, Salsugo, & Nitrum* corpori nostro admouentur. Cuius rei causa est, quoniam vbertas illa causas superat, atq; abigit.

abigit. Prodeſt igitur, & obeſt marina, pro modo, quo administratur.

HIPPOCRATES.

Meliùs autem eſt calidum ad plurima.

SEù ad Mare referas illud *calidum*, ſeu in genere illud accipias, veriſſima ſententia eſt. Actiuiſſima qualitas, calor eſt, & naturæ noſtræ perquàm familiaris, niſi excedat. quapropter illius dotes, frigidæ commodis excellunt, vt memoranti patebit. Marina aqua, ſi calida adminiſtretur, commodiùs facultates proprias exercet, magiſque ſe inſinuat in penitiores corporis partes.

HIPPOCRATES.

Acetum ad corpus, & articulos ſimile eſt mari, & potentius.

QVid ſit acetum, nemo ignorat, quale verò ſit, & quam vtilitatem noſtro corpori præſtet, non omnibus compertum. Meritò proindè huius effecta recenſet in præſens Hippocrat. arrepta occaſione à Marina aqua, cui illud comparat.

De aceto nonnulla.

EX vino, ſeu vinoſis fieri Acetum, omnibus eſt in confeſſo, vinum autem mixtum quoddam eſt, non ex elementis tantùm, quæ vniuerſum conſtituunt, ſed ex proprijs, quod aſſequeris viua illius Anatome. Perire formam vini in generatione Aceti, nemo in dubium reuocabit: carpet, forſan, ſciolus generationis nomen, cum ignobilior forma introducatur ex Theoriâ Ariſtotel. in *lib. de Generatione, & Corruptione*, cui

tamen reſponſum velim ex præceptis eiuſdem Scholæ, quòd ſi preſtò loqui velimus, hanc eſſe putredinem ſecundũ partem ipſius vini, cuius propria, proximaq; elementa reſoluuntur, & hoſtili depopulante calore, ſuſque, deque vertente vniuerſam compagem, afficiuntur illa, labefactataq; ſecedunt. Plus verò labis contraxit pars ea, quæ acida euadit, ob aduerſarij diuturniorem incubatum; quum tamẽ ſpirituoſa vini pars priùs auolet, quàm grauiter afficiatur. Hac, inquam, abeunte, nulla repugnantia ab externo conficitur hoſte, quicquid eſt reliquum, donec acorem longè intẽſiorem in vniuerſam maſſam diſpergat. Habet neſcio, quid acidi, omne vinum, ſi quis pitiſſando diligenter aduertat, plus, minuſuè, pro naturâ vinorum, & natalitij ſoli, quam aciditatem euidentiſſimè deprehendes in ſale, dolij parietibus adhærente, quem Tartarum vini dicunt, huncq; alterum à ſpiritu, vini alexiterium, & prædicant Oenopolæ, & experiuntur. Vario artificio, vt credimus, paramus Acetum, quum tamen vnicum illud ſit, verèque pronunciauit nobilis Auctor *lib. de Diæta: Diuina enim mens edocuit ipſos ſua ipſorum imitari, ita vt cognoſcant, quæ faciunt, & non cognoſcant, quæ imitentur. Omnia enim ſimilia ſunt, diſſimilia exiſtentia.* Abigit natura ſpiritoſam Vini portionem, vt reliqua aceſcat, non .n. aceſceret illâ præſenti, quod nôrunt œnopolæ, dũ periclitantibus Vinis, alieno ſpiritu infuſo, benè conſulunt. Aemula naturæ ars hoc vnicum præſtat, cœcaq; intendit, vt ſpiritum a vino expellat. Abſumi accenſo vino, quod flagrare non deſinit, donec ſulphurea illa, & ſpiritalis portio integrè pereat. Lenius eſt, reſerato vaſe, aut modicè depleto, exhalare permittere: non ita lene, calorem extraneum inducere, quo ſollicitatus penitùs auolet. Abeuntem ſpiritum, obice circumpoſito, cohibent Artis filij, concretumq; reſeruant, magnâ adhibitâ cautione, ne fugam rurſus capeſſat. Reliqua pars leui artificio aceſcit, promouente ſe inſito ſale, antiquo rerum naturalium priuilegio, extenſaq; ditione in conter-

terminos. Vt video, Acetum eſt ſal vini fixus denuò in mutatione affectus, congeneri aqueo reſolutus. Palpâſtis ſalem contineri in vino, fixus ille eſt, quoniam non auolat, ſed grauitat. Malè igitur petit hinc ſpiritum Libauius, vbi nullus ſpiritus ſuperſtes: peiùs ſentiunt, qui ſalem Armoniacum credunt. Præter enim inſulſam nomenclaturam, illud vitio vertitur, quòd Aquila illa volans ima aſpernatur, atq; refugit. Vexatum putredine, atque extraneo calore ſalem, illumq; nouas vires fuiſſe adeptum, priſcaſq; acuiſſe, non eſt inueriſimile. Liquatum tandem, ſeu reſolutum, teſtatur encheiriâ, dum Marinæ aquæ ad inſtar, ſalem dat ſeorſum ab aquâ inſulſa: quanquàm ob adeptam partium tenuitatem, vrgente Vulcano, inuitus ſuperiora nonnunquam conſcendat. Hoc memori mente tenete, Auditores, quod aciditas omnis in ſale eſt, ſalque quilibet acidus eſt: prouoco vos ad experimenta, ne tempus inutiliter pereat. *Oculis autem magis credere oportet, quàm opinionibus*, vt cum nuper laudato Auctore, ſapiam modò, & loquar, ne dicam, cum Comico. p. de Diſt. Plaut.in

„ *Manus noſtræ oculatæ ſunt, credunt quod vident.*

Acetum ſimile eſt mari, & potentius.

TEmpeſtiuum iam eſt, vt experiamini, quid profuerit, nupera excuſſio. *Acetum ſimile eſt Mari*, idque pluribus nominibus, nam ſal eſt liquatum, illudq; fixum, ſalis marini ad inſtar, apertam præfert aciditatem, quam abſcondit marina ſui in meditullio. Hanc tamen deſtillatione crues, facilique encheiriâ paterno è ſolo educes liquorem acidiſſimum, merumque acetum. Supprimo modum volens, & prudens, non inuidiâ, ſed ne vobis facere videar fucum. Habent .n. hoc artis illius opera, vt oculata fide neceſſe ſit, priùs illa aſſequi, quàm manum admoueas, aut dicenti ſubſcribas: secùs ſi faxis, nõ plus præſtabis, quàm ſi ex libro Nautam euaſurũ te ſperes.

Et potentius.

QVa de re, nullus dubio videtur locus, ſi de impræparatis liquoribus, vt illa ferebat ætas, inſtituatur conſideratio, ſecùs noſtrâ contingeret, in quâ è ſalibus Stygiæ educuntur acidiſſimæ, humanum corpus vorantes, neque metallicis parcentes. Potentius eſt acetum, ob maiorem partium tenuitatem, quibus ſe altiùs inſinuat, liquatq; interim obuium humorem, edictione *Auth. lib. de Diæta*. Infirmiùs hoc præſtat marina, vtpote quæ minûs culta, longèque minùs affecta, & craſſiore famulante ſubſtantia, neque penetrat, neque liquat vehementer, aceti ad inſtar, verùm placidè ſuo perfungitur officio.

HIPPOCRATES.

Ad perfundendum, & ad fomentum.

COrpori vniuerſo, & articulis, potentius marinâ aquâ eſſe acetum ad externos vſus, non eſt cur dubitemus, præcipuè verò ad perfundendum, ſi ſtillicidij in morem membris adhibeatur. Præter enim partium tenuitatem nuper obſeruatam, motus ille imprimit, altiùſque penetrat deſtillantis energia, quòd tamen non æquè præſtat fotus ex eodem Aceto. Valet quidem in leuioribus paſſionibus opitulari; at grauiore, inſtante, vel præſente, ſtillicidio reſeruatur ſanatio. Dubium eſt, quî conferat articulis acetum? Quandoquidem natura partis auerſari potiùs videbatur huiuſmodi præſidium. Niſi eſſet, quòd coniunctæ materiæ ratione artubus inſidentis, aduocaret in auxilium Acetum. Nôſtis prouidam conſuluiſſe naturã humanis iuncturis, ne attererentur, aut igniſcerent, præ mutua, diutinaq; confricatione; cuius ad exemplar ſuas Tro-

chleas


chleas ſmegmate obducunt Mechanici, vt expeditior ſuccedat motus, ac declinentur enarrata pericula. Cauit & hoc Natura, mucoque quodam illiniuit oſſa, qua parte artuantur; qui mucus non infrequenter craſſeſcit, aut euadit viſcidior, quàm par eſt, humorum affluxu, aut congeſtione: hic, niſi exturbetur, periculum imminet, ne artus coaleſcant, præ nupero gypſo. His ergò malis auerruncandis confert Acetum; nam & craſſitiem humoris contumacis attenuat, extergitque inſuper illius viſciditatem; Præter id, quòd tumores, aut dolores à flatu ibi exortos, aut lenit, aut tollit, ſoloq; vapore, ab ignito pyrithe excitato, tophis eſt infeſtum, certiſſimâ obſeruatione.

HIPPOCRATES.

Et ad vlcera recens vulneratis.

Hæmorrhagijs conducere Acetum, nemo eſt, aut fuit hucuſque, qui ambigat; lis eſt de modo. Quibus placuit Acetum eſſe calidiſſimum, hi, referente Galeno, credidêre, ignis ad inſtar, ſanguinem ſupprimere, quos tamen redarguit abſens eſchara. Propius collimant, qui frigiditati repulſoriam facultatem iungunt: neque reijciendus ille, qui leui mordicationi illud fert acceptum: hâc enim circumſitæ partes munitæ, ſe ſe contrahunt, diſciſſæq; venæ fiunt operculum. Vt vt ſit, certiſſima eſt Senis ſententia, *recens vulneratis* præſidio eſſe Acetum, ob hæmorrhagiam, forſan verò, & quòd ſua ſiccitate viam faciat futuræ vnioni partis ſolutæ. Ridicula ſunt, quæ produxêre nonnulli fautores caliditatis, vt refert Galenus *primo ſimpl.* velut enim eſcharam ab aceto induci neceſſe habebant dicere, inuito ſenſu, & repugnante autopſiâ.

1. Simpl. c. 18.



HIP-

HIPPOCRATES.

Et ad ſanguinis grumos.

2. Catar. c.2. IMploranda hîc eſt attenuatoria facultas, quam Pergamenus Aceto tribuit; non malè, ſi inciſoriam illi iunxeris, quas lucrifecit ob tenuium partium ſubſtantiam, quâ præditum eſt. Hac, inquam, auſpice, metalla peruadit, lapides, & marmora diſrumpit, nihil ipſi intactum, aut imperuium. Quid mirum igitur, ſi concretum ſanguinem diſſoluere valeat, qui naturâ ſuâ dudum fluidus erat?

HIPPOCRATES.

Vbi nigredo pudendorum.

DIſiunctim à ſuperioribus hæc videntur legenda; ſic enim aceti iuriſdictio ampliabitur, & veritati fiet ſatis. Præter vim igitur diſſoluendi ſanguineos grumos, hâc quinetiam obtinuit acetum, vt conducat *nigredini pudendorum*. Quæ nigredo pluribus à cauſis excitari poteſt; frequentior, naturali ſuperato partis calore à prauis, feruidiſq; humoribus illuc cõfluentibus. His egregiè reſiſtit acetum: nam & temperat, & ſua ſiccitate putredini reſiſtit. Inſuper addas necnon balſamicam ſalis cuiuſcunq; facultatem, quâ putredo arcetur.

De nuper obſeruatis Vermibus in Aceto.

PLacuit curioſis quibuſdam Rerum Naturalium ſcrutatoribus, microſcopio intueri Acetum. Mirum dictu, obſeruârunt innumeros illic vagari vermiculos, penè incõſpicuos, ſurſ; deque, & ad omne poſitionis genus perreptantes, irre-

quieto

quieto motu, illoq; perturbato, quanquam liquor, vasq ue liquorem continens, ex multo tempore quiescerent. Admirabantur nonnulli, quî viuerēt mollissima animalcula in re acerrima? Sat ijs fiebat exemplo pyraustarum, quæ patriũ indemnes incolunt solum: non inconueniens esse, vt ex ijsdem animalia alantur, ex quibus constituta sunt à principio; alitio verò familiaritatem præfert. Grauius erat, quod obijciebant alij, quî fieri potuerit, vt noua suborta sit putredo in substātia aceti, quod à putredine vindicat, vel horarios fructus, illosq; diutissimè conseruat illæsos? Derogabant hæc dubiò procul dignitati Aceti, & illius existimationi. Quapropter monitus à Sapiente, pedetentim, lentèq; festinans, me contuli ad speculationem: nam *qui facilè credit, leuis est corde.* primùmque, vti par erat, explorãdum accuratissimè duxi ipsum *An sit*, quod & vos facere, vbi noua problemata enodanda occurrunt, ex animo suadeo. Obseruabam in aliquibus Aceti generibus vermes, in alijs non. Rimor horum natalia, tandemq; assequor, vermibus scatere Aceti genera illa, quę ex vappa, aut debilibus è vinis confecta fuêre, reliqua vermibus penitùs carere. Qua obseruatione edoctus, conieci nouam potuisse excitari putredinem, præ aqueo copioso, illoq; impuro, superstite in Lora, & Vappa, secùs quàm succedat in generosis vinis, vbi modica est aquea portio, illaq; bene confecta. *Quapropter nullam sentit nouam putredinem.*

HIPPOCRATES.

Vstio aurium, & dentium.

FÆsius legit, *& aurium, & dentiũ ardor adest*, Cornarius: *collutio est ad aures, & ad dentes*, quæ omnium pessima. Illaudabilis namque est Aceti vsus, tempore sanitatis, partibus naturâ frigidis, & exanguibus, nisi quid præter naturam illis contige-

tigerit, vehemens nempè phlogosis ex humorũ affluxu. Quibus reprimendis, atque temperandis, collutio proderit, aut perfusio, aut fomentum, pro naturâ partis, & affectûs vehementiâ. Nôstis enim, quòd pars indicat remedij modum.

HIPPOCRATES.

Calido autem hæc fiunt, & alia.

APertiùs vertit fæsius, *calidum autem hæc, & alia præstat.* Congruunt siquidem hæc cum nuper traditis, nõ enim excidisse credo, quæ de Mari, seu Marinâ administrandâ monuerat. *Melius autem est calidum ad plurima*: Acetum autem simile esse Mari, statim annectit, calidum proindè erit vsurpandum, præcipuè vbi partibus frigidis, & sanguine ferè orbatis, quocunq; illud fiat modo, à nobis administratur; quales sunt nuper ab illo recensitæ. *Et alia,* reliquæ, scilicet, cunctæ eiusdem cum ipsis sortis. Nisi transferre vobis libeat ad *alia* genenera morborum, præcipuè verò ad suffocationem ex accensis carbonibus, quam medelam fortuitò fui expertus, dum calidum aceti vaporem casu naribus haurirem in mensa. Euanuit nanque actutùm vertigo, capitisque tensiuus dolor, discussis vaporibus crassis, illic stabulantibus, quod præsidiũ alijs quinetiam mirificè contulit. Quapropter hoc memori & vos mente tenete, Auditores, si quando infortunium hoc frequentissimum, vobis accidat, quod Deus auertat, aut occurrant semisuffocati à carbonum fumo, quos vel solo Aceti calido vapore, restituetis egregiè.

Sed ex tempore coniecturam facere oportet.

HIppocraticum τῇ ὥρῃ, tempus coarctat ad anni horam, in qua licet calori moderari, si æstuet ambiens, secùs, si rigeat.

rigeat. Modum verò præscribit partis natura, & passionis status. Abhorret, vt dicebamus cum Hippoc. exanguis pars à frigido, calido delectatur: Quòd si calida passione tentetur, calidumque sit ambiens, remitti debet caliditatis gradus in ijs, quæ exteriùs administrantur, ne malum inualescat; coniecturâ factâ, reque benè pensitatâ Naturæ, & morbi ad libellam, cui supparasitatur feruidum ambiens.

HIPPOCRATES.

Ex eliquatione Salis.

Coniectura, scilicet, est facienda. Vbi enim acidum sal, quo pollet acetum, sat liquatum est, cunctisque illius partibus ex æquò commixtum, non est cur calorem vlteriùs intendamus: sat enim instructum est ad morbum debellandum. Sin autem legere libeat cum Mercuriale, *eliquati Sales*, congruet rei, non litteræ; vbi enim sal, qui in homine liquatus est, seù resolutus, vt dicunt, pro resolutionis modo intendi, aut remitti, liquoris affundendi calor debet, ne vltra quàm decet, sales illos Arsenicales fixet, partique inculcet: quâ de re mox ipse Auctor.

Et vt alia, quæ impetigine, lepris, ac vitiliginibus conducunt, affusum ad calidum solem.

Intentio est, virus educere cutim inficiens: quapropter cùm ex genere salium sit, & liquari illud, & euocari debet. Liquat verò acetum, Hippoc. obseruatu, vt diximus superiùs, præcipuè verò quòd sibi congener est. Nam, vt didicistis ab Aristotele, non quodlibet agit in quodlibet, neque patitur à quolibet, sed determinatum in determinatum & à determinato. Salina proindè salinam naturâ afficit, & euocat, cui si vber-

rimè effusæ, calor Solis fouentis, aut promouentis accedat, dubio procul fæditates illæ cutis profligabuntur. Non est nostri instituti singula persequi, hoc enim reseruatur Excellentissimis vestris Practicis, neque decet me falcem modò immittere in messem alienam. Hoc vnum nobis permittant, non ignotam fuisse hanc curandi semitam Paulo Æginetæ, quòd adnotauit etiam P. Martianus.
l. 4. c. 2.

HIPPOCRATES.

Præcipuè verò vnguibus scabris confert, quos temporis progressu superat.

EXedente facultate pollet acetum, quâ mediante, æquat scabros vngues, & ad priorem reuocat læuitatem. Seriùs hæc præstat, ob partis naturam, quæ solida, atque renitens: assequitur tamen intentum temporis diuturnitate, improboq; doctum hæc superare labore.

Verrucas formicarias attenuat, aurium sordibus medetur, cutem etiam emollit.

INfrequentes sunt huiusmodi verrucæ, non adeò tamen, vt singulo vitæ decursu nequeat sensatus Artifex illas obseruare. Prodest his acetum, quocumq; modo illud administretur: nam extenuat, & absumit enormes eminentias, viasq; futuræ eruptioni intercipit.

Aurium sordibus medetur.

SI quando non licuit aduentantē phlogosim arcere, hincq; ortum sit apostema, dubio procul extergendo plurimûm potest Acetum, vt quod absque insigni caliditate hæc assequi valeat.

Cu-

Cutem etiam emollit.

INduratam cutem, non à quacunque causa, verùm à crasso spiritu, rebelliue humore, aut extraneâ substantiâ ibi congesta, vel confluente, emollit Acetum, attenuatâ, nempè, materiâ cutim extendente, illâq; discussâ; seù, quod verius, liquato humore, atq; consumpto, Hippoc. obseruatione. Cuti verò per se non innoxium est, verùm illam exasperat, diuturnoq; vsu inflammat, vlceratq; tandem.

HIPPOCRATES.
Multis & alijs, nisi odor offenderet, & mulieres præsertim.

COnfert necnon Acetum plurimis affectibus, nisi esset, quòd eius vapor plurimis insuauis est, atq; noxius, præcipuè verò mulieribus, illarumq; vtero, qui nerueus, ac frigidus, abominatur vel illius afflatum. Quapropter cautiores Medici religione quâdam cauent in mulieribus, vel ab vsu oximelitis. Longum esset disquirere., quî percipiat vterus odores, quouè sensu illos diiudicet; non enim præsentis est negocij, importunas quæstiones attexere, vt opus excrescat in immensum. Neminem carpo, sat est, si cum Lyrico dixerim:
„ *Sed non erat hîc locus.*

Conferret & podagricis, nisi cutem vlceraret.

MOrdicat dubio procul Acetum, & nisi nactum fuerit solertem Artificem, lædet cutim. Quòd si alio liquore temperetur, aut minùs acre eligatur, commodissimum erit in principio podagræ, à biliosis humoribus, aut sanguine biliosiore.

re. Suâ namque frigiditate illos temperat, abigitq; fluentes, quod experiri cuique in promptu eſt. Iuuat prætereа in declinatione, vel interuallo, extenuato ſedimento humorum reliquo, vel inciſo Tartaro peruicaci, iuncturis pertinaciter inhærente, quod vel ſolo vapore perficere valet, nullo diſcrimine, aut vlcerationis periculo.

HIPPOCRATES.

Eadem etiam fæx Aceti facit.

Nouit profectò fixã naturam Hippoc. & experientiâ monitus, non euanidam, aut ſublimem, verùm in ſedimẽto latitantem, quam etiam ſub nube vidit Galenus: *Omne, quod eſt in Aceto,* inquiens. *Atq; neque tale quid repertum in aceto eſt, neq; manifeſtè demonſtrare poſſis, quod quantum eius eſt tenue, atque humidum, exactè refrigeret, quod verò ſecundùm fæcis ſubſtantiam in ea defertur, velut in vinis, calefaciat.* Quod tamen poſterioribus ſæculis facillimè aſſequutus fuiſſet, nouiſſetq; euaporare inſipidum quid, penitùſq; aqueum, ſi obicem oppoſuiſſet, quod fecit alia in cauſa Ariſtoteles prior natu. Fæces aceti ſummam continere aciditatem, plura conuincerent; primùm quidem, quoniam fermentum ſunt, atq; ſeminarium contubernali vino in Acetum vertendo. Quapropter œconomi, qui ſapiunt, nunquam patiuntur mundari illius dolia. Præterea compendio fit Acetum, ſi fæx illius in pilas redacta leniter exiccetur in furno, vnaq; ex pilis in vas vini introducatur, quandocumq; libuerit. Poſtremo ex Aceti fæce exiccatâ, debitiſq; vaſis, & igni commiſſâ, ſtygia acidiſſima educitur, quæ neque Auro parcit. Plura prætereo, ne ſim vobis tædio in re clariſſima: Sat nobis eſt in præſens, Auctoris ſententiam confirmâſſe, quòd *fæx Aceti* eadem præſtat, ac faciat proprius liquor.

HIP-

HIPPOCRATES.

Vinum dulce ad diuturna vulnera commodum est assiduè vtenti.

EGregiè connectit liquorum examen noster Hippoc. nam ab Aqua potabili ad marinam dum gradum extendisset, Acetum obuium habuit, quòd propter similitudinem, & substantiæ, & operationum, recusare non poterat. Quo absoluto, introducit iurè, meritoque Vinum, Aceti parentem, intra Medica claustra. Huius quum variæ sint species, quod gratissimũ est, præfert, & humanæ naturæ per quàm familiare, non interno tantùm vsu, verùm & externo, qui scopus est præsentis tractationis. Docet igitur, quòd Vinum dulce conducit diuturnis vulneribus, assiduè vtenti. Antiqua vulnera pro vlceribus habentur, *vlcera* verò *vniuersa* ex Hippoc. norma, *nisi vino humectare non oportet*. Lib. de Vlc. Cadit sub quæstionem, cur antiqua, & non recentia, si gratum est dulce vinum; cur insuper præcipitur assiduus vsus? Primo quæsito nõ ægrè satisfacimus: nam in recentibus vulneribus periculum est hæmorrhagiæ, quam promoueret dulce vinum, calidarum partium ratione, & mollitie, quam inducit, succedente illius in locum Aceto, vel Austero vino, quod incunctanter proponet. At in diuturnis solutionibus continui, elanguisse verisimile est partis temperiem, cui restituendæ iugis illius fotus sat facere docet Hipp. longo experimento, vti credere par est, edoctus.

Sed & ad medicamentorum potionem.


IN *alimento medicamentum optimum*, prædicauit aliquando Hippoc. blandè namq; seducitur natura, nouusq; hospes palliatus introducitnr in viscerum penetralia. Quam vtilita-

tem, licèt extraneo in loco, dissimulare nequiuit optimus Senex, verùm refricare nobis optimum duxit, vinum, illudque dulce conducere, ad *medicamentorum potionem*, infusis ijs, aut per ebullitionem exhaustâ illorum vi; seu tandem, quod elegantius, atque tutius, liquatis solidarum rerum extractis, lento Solis, aut compari calore, deinde per manicam, quam dicunt Hippocraticam, colatis simul & cum liquante dulci vino, ad depurationem vsque considere permissis. Quo artificio elegantiores Medici, tutò, citò, & iocundè, peruicacibus morbis mederi consueuêre. Admiscetur nec non & alijs medicamentis: qua de re consulatis Practicos, præcipuè vero Gal. in lib. de Med. sec. loc.

HIPPOCRATES.

Austerum autem, & album, & nigrum vinum, frigidum ad vlcera commodum est, frigidum propter caliditatem.

LAudatur Austerum Vinum ab Hippoc. in Vlcerum collutione, tam si album, quàm si nigrum adhibeatur. Quum enim vlcus sit continui solutio in parte carnosa, nulli dubium, quòd vniri debeat; vniunt verò Austera, præcipuè si quoquouersus insinuare semet, atq; penetrare valeant. Tenuitate substantiæ, angulos quosque alluit vinum, qualitate adstringit, contrahitq; dissidentes partes. Periculo tamen non vacat, nisi frigidum administretur; virtute siquidem calidum est, nouamque calamitatem posset vlceri superinducere.



HIP-

HIPPOCRATES.

Lanæ, quæ frigiditatis gratiâ, aut perfunduntur; aut inducuntur, aut intinguntur, aquam frigidissimam postulant.

SVpererat, vt quibus medijs prænarrati liquores administrari debeant, quibusuè cautionibus admoneret nos Hippoc. quod præstat abundè in præsens. Nam si quando frigidæ ope egemus, ne labilis substantia inutilis concedat, remoramur cursum, illamque obuiæ lanæ implicamus, Hæ verò, siue perfundantur, aut inducantur, aut intingantur, semper aquam frigidam postulant, ne, dum ibi retentę incalescunt, ferum præstent, aut nullum genus auxilij.

HIPPOCRATES.

Quæ verò adstrictionis gratiâ, vinum nigrum etiam lanas aspergere potest, velut etiam betarum folia, aut linteola intingũtur in plurima, quibus adstrictio inest, velut sunt hederæ albæ folia, & quæ acerbiora sunt, aut friabiliora, velut hedera, & rubus, rhus coriarius, saluia, & in ea quæ mollire oportet, velut farina cocta.

PAri pacto & imbibendæ sunt lanæ vino nigro, si quando adstrictio expetitur. Non secùs ac facimus, quum betæ folia, aut linteola liquore adstringente tingimus.

HIPPOCRATES.

Aqua frigida prodest papulis rubicundis.

VNiuersali excursione peractâ, particularibus morbis cōsulit modò Hippocrates, P. Martiani obseruatu, neque malè. Ab vniuersalibus namque est inchoandum; Violauerit ne methodum Auctor inuitus, non est mihi ocium inuestigandi, illud prosequar, quod habet in præsens, nempè, quod *Aqua frigidissima prodest papulis rubicundis.* Assequor hæc summâ facilitate, quandoquidem color ille index est non vulgaris caloris, cui aduersatur frigidæ conspersio. Sit ne verò ex vsu, erumpentes cōpescere, & virtuti expellenti aduersari, reticet Auctor, eâ ratione credo, quòd nonnisi intemperiem, fluentemq; humorem præ oculis habuerit, quibus conducere frigidæ perfusionem certò certiùs nouit. Multa decent purum corpus, quæ dedecent impurum, atque cacochymum, non frictio, non cucurbitulæ, non repellentia huic conducunt, quæ alterum iuuant. Cautè proindè, & vt aiunt, cum micâ salis, assentiendum est huic sententiæ, ne præ nostrâ vecordiâ, in præceps ruat ægrotans.

Quales alia, atque alia parte sublatæ erumpunt, qualesuè in tumidos lienes habentibus emergunt.

QVantùm hæc à latitudine deflectunt, tantùm ad acuminatum accedunt, eaque propter subesse indicant feruidum humorem, immitem, pruriginosum, & purâ ele-
6. Epid. mentari cicurandum. Latæ pustulæ, quales Simon habebat, nō pruriunt, neque valdè molestæ sunt, his tamen frigida noceret, non secùs ac ijs, quæ vitiato Liene erumpunt. Siue enim scorbutum innuat, fœdissimum morbum, & Aquilonaribus ver-

vernaculum, siue papulas ex refluo sanguine, non expurgato à tumidò Liene, lædet frigida affusa, nisi tamen ad breue tempus, & symptomati tollendo quis eâ vtatur. Hanc dicunt Medici, curam coactam, induitq; symptoma tunc rationem causæ, cui tollendæ semper incumbit cordatus Artifex.


HIPPOCRATES.

In carnosis verò, & tenerâ carne præditis, subrubicundæ sunt.

QVæ papulæ, si in eusarco, molliq; corpore subrubicundæ sunt, certò certiùs indicant mistum esse humorem illas facientem, plurimumq; deflectere à sinceritate. Quin & suspicari licet, vel criticè illic fuisse à natura expulsas, eructãtibus venis patula per oscilla omne quod molestum erat, seu eiusdem cutis vitio, illotæ, aut malè conficientis statũ alimentum, præ contractâ calidâ intemperie à causis externis. Quibus sic stantibus, impunè frigidâ vtitur ægrotans, breuique fugabit malum, nutantesque causas.

In nigris autem, & veluti rotundæ existentes, Dothienes vocant.

SIc lego cum Martiano. Sensu quidem germano, perturbatâ tamen phrasi. Mens igitur Hippoc. ea est, vt frigidam laudet, atq; consulat in papulis rotundis *dothienum* ad instar, quæ fieri consueuêre fuscis, seu nigris in corporibus. Hæ verò non eleuantur in acumen, ob miscelam nigri humoris, qui feruidos temperat, neq; sursum ascendere patitur.



HIPPOCRATES.

Et quales in ipsis calidis lauacris oboriuntur, & mulieribus ex mensium sub cutem recursu fiunt, & ab irritamentis cutis, aut insolita vestimentorum asperorum gestatione, & ex sudoris exitu, aut vbi quis ex frigore, de repente ad ignem, aut calida lauacra accessit.

SEriatim enumerat papularum species, quas ille, aut indicat, aut distinguit, præ causarum diuersitate. Sunt verò hæ vel internæ, vel externæ. Prioribus sui exortum tribuunt papulæ; quæ fiunt mulieribus ex mensium recursu, ex sudore incuriosè exterso, posteriobus quæ in Thermis oriuntur, aut ab exteris cutem vellicantibus, inter quæ locus est Rori, & asperis indumentis. Nomen dant præterea, quæ præ subitâ mutatione ambientis erumpunt papulæ. His, inquam, omnibus frigida affusa prodest, superatâ calidâ intemperie, forsanque & infestante materiâ disiectâ.

Nam si hæc posteriùs fecerit, nequaquam ampliùs erumpunt.

NOn infima laus est nostræ frigidæ, vt præseruet ab erupturis papulis, non tam à balneo intempistiuè, adhibito, quàm à reliquis causis. Hìnc est, quòd frequenter frigidâ se lauent meretrices, vt cutis fucato nitore imponant incautis adolescentibus. Et sanctè iurare possum, nouisse me famosum scortum, cui in more erat singulis diebus frigidæ se immergere. Factum deindè fuit procedente tempore, vt vel, ipsâ inuitâ, Gallica vlcera, vniuersam cutim fœdantia, tandem erumperent,

rent,

rent, maloq; consilio, quo ijs mederetur, Thermales D. Cassiani peteret, funesto euentu. Non est tamen, quòd frigidæ frequentia à papulis erupturis, aut cutis efflorescentijs non præseruet, quod monitũ in præsens nobis tradit Hippocrates.

HIPPOCRATES.

Alioqui quæ ex frigore fiunt, aut quæ exasperantur, instar milij, deindè exulcerantur, eas frigida lædit, calida verò prodest.

COnsona prorsùs rationi hæc sunt, certoq; in Arte Medica cognitionis principio, sola contraria contrarijs mederi, similia verò, nonnisi per accidens, conuenire ad curationem. Quapropter frigida, vt iuuat, quæ fiunt à calore exanthemata, sic obest ijs, quæ à frigido oriuntur. Hinc ansam arripio conijciendi diuersa esse vlcerata hæc vlcuscula, in quibus frigidam prohibet Hippoc., ab Herpete, quem dicunt miliarem. Hic enim à feruidissimâ oritur bile, cutim exedente, minutis excitatis, frequentibusq; vlcusculis, conspersi milij ad instar. Milium nec non æmulantur nostra hæc, verùm asperitudine, quæ præter id, quòd à frigido excitantur, habent insuper quòd vlcerentur: frigidũ verò vlceribus cunctis mordax, atque hostile; quandoquidem pars illa tegi priùs erat assueta, iugiq; calore foueri.

Quibusdam autem vtraq; prodest.

HIc magna texturæ perturbatio, Interpretum audaciâ, qui finem sententiæ huius similem Aph. 25. *sect.* 5. obseruantes, integrum hùc transtulêre, veriti credo, reliqua excidisse vitio Amanuensium. Benè est, quòd cohærentem agnoscant doctrinam, & Hippoc. dignam, quæ res confirmat librum

hunc de *Liquidorum Vſu*, vel ipſis inuitis, legitimum eſſe Coi Dictatoris partum. Inofficioſi tamen apud me ſunt ſuâ cum obſcurâ diligentiâ: aliud enim eſt, quod ſibi proponit in præſens noſter Auctor. Ambas aquas, frigidam ſcilicet, & calidam, ijſdem affectibus prodeſſe nõnunquam, diſertè enunciat atq; confirmat, occaſione ſuperioris curationis; vbi calidæ, & frigidæ iuuantium, vel lædentium meminit abundè. Permittamus nos, quæsò, ſuo quæq; ſtare loco, neque poſt tot ſæcula vim inferri patiamur Oraculis, quibus pepercit edax temporis vetuſtas, barbarorumq; furor execrandus. Satiùs proindè erit nuper propoſita perpendere, illudq; ſcrutari, quî fieri poſſit, vt ſi vnum vni contrarium eſt, quod docuit nos Stagirita, idem effectus à contrarijs cauſis produci poſſit? Cui hæſitantiæ facilis eſt reſponſio ex traditis dudũ à nobis: nam eundem numero effectum à contrarijs cauſis *per ſe* operantibus naſci, impoſſibile fatemur, verùm ſi harum vna *per ſe* operetur, altera *per accidens*, neutiquam repugnat, quod mox experiemur.

HIPPOCRATES.

Veluti ſunt articulorum ædemata, & podagrica abſque vlcere.

GEneris nomine, Ædemata in *Tumores* vertit Fæſius, viceque verſâ *Podagrica*, quod genericum eſt, in ſpeciem coarctat, vtraque malè, præterque Auctoris mentem. Ac primùm, non omnibus articulorum tumoribus frigidum confert, quibuſdam verò nocet euidentiſſimè. Inſuper neque ſolis pedum doloribus, ſed & alijs malis pedes non infrequenter lædentibus, frigida conducit. Ædemati igitur illi frigida tutò adminiſtratur, quo d euaneſcente phlogoſi in articulis obſeruamus. Dedecebat verò primis temporibus abigere feruidum confluxum, ne retroacti humores in partem principem impinge-

gerent, quæ calamitas frequens est ijs,qui imprudenter repellentibus, intẽpestiuèq; vtuntur. At obijciet vestrûm quispiam; neq; pariter licere in fine statûs, aut declinationis exordio, aquam frigidam, quæ validum est repellens, aduocare in auxilium. Cui satisfacimus cum Hippoc. dudum enunciante, *quibusdam & vtraq; prodest,* statimq; enarrata pro exemplo adducit; haud enim dubium est, resoluentia tunc temporis conuenire, qualia sunt moderatè calida, quæ per se malum discutient, verùm neque frigida quandoque in huiusmodi casibus sunt repudianda, vt quæ *per accidens,* contractâ parte, humòrem exprimant, innatum calorem recreẽt, intrusumq; augeãt: cuius viribus facilè extenuabitur, & propelletur imbibita circùm artus peregrina materia, quæ tumorem faciebat. Alterum est commodum, quod præstat affusa frigida, nam intemperiem calidam ex humorum incubatu contractam per se tollit, articulis incommodam, valentemq; in posterùm nouas excitare fluxiones.

HIPPOCRATES.

Et podagrica absque vlcere.

LAudabili œconomiâ studet Natura, si quid molestum in corpore est, aut impurum in partes, longè à principibus dissitas, relegare. Extrema corporis nostri, sunt pedes, quos labor conficit, & humorum colluuies, propriâ suadente grauitate, opprimit. Quapropter non mirum, si frequentibus tententur affectibus, vt quotidiè experimur, nulloq; non genere malorum vexentur. Frequenter dolent, non infrequenter tumènt, & vlcerantur, frequentissimè Erysipelata experiuntur. His curandis, absente vlcere, cui frigidum mordax, tutò frigida in vsum aduocatur. Ignobilis namq; pars, & frigori assueta, illam admittit, enormisq; à Regia distantia recursûs suspicionem eliminat.

HIP-

HIPPOCRATES.

Et conuulſa pleraque.

NOn enim omni conuulſioni, & quâcumq; de cauſâ excitatæ, opitulari valet frigida affuſa, quum plures expetantur conditiones pro rectâ illius adminiſtratione, quâ de re in poſterùm vberrimè noſter Hippoc. eademque repetit in Aphoriſmis.

Hoc conſtat frigidam copioſam aquam affuſam extenuare, & dolorem ſtupefacere.

FÆſius dum legit ἱδρῶσιν, vertit *ſudoribus affuſam*, nullâ veriſimilitudine, nullâque cohærentiâ, non enim ſudoribus vel ſudantibus affunditur, hoc enim pernicioſũ eſſet, niſi enormi, lethaliq; diaphoreſi quis tentaretur, verũ *Extenuat, dolorẽq; ſopit.* Curatur igitur quoquo modo moleſtiſſimum ſymptoma externâ aquæ perfuſione; ſuccedat ne verò illud per accidẽs, an verò per ſe, non eſt præſentis negocij. *Extenuat* autem dolorem, aut corpus, aut cauſas dolorem inferentes. Mulcet dubio procul dolores, quod non ſemel expertus depono, quinimò in totum tollit, magnâ gloriâ Medentis.

Torpor autem moderatus dolorem ſoluit.

25. HÆc verò, & repetit *ſec.* 5. *Aph.* digna ratus, quæ in hominum memoria aſſeruentur illæſa. Nos verò occaſionem nacti breuiter ſcrutemur, atque dilucide, quî fiat vt *Modicus,* ſeu moderatus *Torpor,* ſeu ſtupor *dolorem ſoluat.* Quod idem eſt, meâ ſententiâ, ac quærere, cur narcotica, ſeu Recentiorum Laudana, dolores ſedent, aut leniant? Prætereo vo-

lens

lens beneficia, quæ erogant pharmaca illa in Causone, & consimilibus passionibus, facilè namque esset, primis qualitatibus illud ferre acceptum, quanquam non sum nescius, intimiùs scrutandas esse causas, cui labori parco in præsens, ne *extra chorum*. Dolor, vt hinc auspicer, est tristis sensatio à re præter naturam, quæ morbus est, isque vel intemperies, vel continui solutio, quanquam posterior hæc priorem continere videatur, Galeni assensu. Enucleatiùs Hippoc. *Hi dolent, quibus natura corrumpitur*, quâ de re alibi vberiùs. Quærimus igitur, an Narcotica causam tollant, an facultatem sopiant, & torpefaciant? Vtrique sententiæ visus est fauere Gal. nam *pro causa* illud habet in puncto de nostrâ frigidâ. *Quapropter & dolorem in talibus soluit, quin eius causam abscindit*. Pro facultatis sopore, faciunt ea, quæ eodem loco prosequitur idem Auctor, *refrigeratio etenim partium largior, affert torporem mediocrem, qui & ipse dolorem soluit, sensum hebetando.* De Alterco, & Papauere in specie hæc pronũciauit alibi: *Habent enim quippiam etiam doloris mitigatiuum, puta stupidam refrigerationem propinquis partibus inferentes*. Falcem præsenti disputationi imponere mihi visus est laudatus Auctor in *lib.meth.med.*vbi, dolori ab acribus humoribus excitato, mederi studens, inquit. *Quippe tenuis consistentiæ, & calidarum virium, plurimi talium humorum sunt: quæ autem ex Papaueris succo, & Alterco, & eo modo frigidis composita, medicamenta sunt, simul omninò & refrigerant, & siccant: qua ratione, non solùm vt sensui torporem inducentia, salutaria sunt, sed etiam vt humorum tenuitatem cogentia, atque crassantia, præterea vehementem calorem refrigerantia*. Quæ memoriter à vobis, Auditores, sunt asseruanda, plurimùm enim interest, & in Medicina faciẽda, & in scolasticis quæstionibus ad manum hæc habere, quibus proprium tueamini placitum. Stat igitur, Narcotica pharmaca, præter stuporẽ, alijs quinetiã nominibus, corporibus nostris prodesse; neque frigidam aquam inter soporifera vera posse censeri,

6. Catag. c.2.

12.c.8.

&

oppugnare non vnicâ ratione res præter naturam è diametrô sibi oppositas; labanti præterea facultati succurrere, pactis inducijs, quamquam ad breue tempus.

HIPPOCRATES.

Sed & calida aqua attenuat, ac mollit.

IVnxerat dudum frigidæ, & calidæ opera; explicauit, quæ bona præstet frigida tumidis articulis, & podagricis: supererat, vt calidæ beneficia recenseret, quod facit in præsens. Duo verò illa sunt, *attenuatio, & mollitio.* Attenuat, non quia aqua, quanquam hæc tenuis præ cæteris liquoribus, verùm quoniam calida. Caloris namque est attenuare, dum obiectum materiam disponit, redditque idoneam interim ad propriæ formæ susceptionem. Ignis verò inter elementa tenuissimus est. Emollit necnon calida Aqua, idq; præstat connatæ facultatis dotibus, quibus fauet, & superinductus calor. Penetrat namq; sic affecta magis, durosq; obices dissoluit, cōpacta, nempè, excrementa, neruis, & artubus infesta; quô fit, vt calida prosit per se, quibus frigida prodest per accidens.

Podagricis, resolutis, ante, ac retrò distentis, conuulsis, talia accidunt, distentiones, tremores, leues siderationes: Talibus laxatis, claudicationes, torpores, vocis interceptiones, ad talia, excretiones per infernas partes suppressæ. Cauendum autem est in frigidæ vsu, ne modum excedamus.

CAsus quosdam nobis ob oculos ponit, in quibus frigidæ temperare debemus. Copiosam hanc superiùs laudauerat;

uerat; contingit verò ſæpè ex morbo morbum fieri, aut ingraueſcere vrgentem; hæſitat Medicus quid præſtandum? Reſpondet, magnâ cautione tunc vtendam, ne modum, quod & aliàs monuit, excedamus; ſcilicet, ne naturæ noſtræ iam deficienti, tertia accedat ærumna, calorq; innatus extinguatur penitùs, non reuocetur ex frigidæ aquæ perfuſione.

HIPPOCRATES.

Articulos induratos; aut ab inflammatione aliquando oborta, aut à diſtorſione, operæ precium eſt ſanare, aqua calida in vtriculum infuſa.

ALternat, nouaſq; enumerat calidæ vtilitates in particularibus affectibus. Succedit non infrequenter, vt diſtorqueantur, & indurentur vexati à fluxione articuli, quibus calida in *vtriculum infuſa* egregiè confert, Hippoc. conſilio, illoq; optimo, ſi rectè interpretamini. Obdurantur, tumentq; artus finitâ fluxione, nondum tamen diſſipato humore, quem aut pſeudophlegmonon intulit, aut phlegmonis veri reliquiæ ſuperſtites efficiunt, diſtorquentes anzylia, ob illatum tendonibus malum. Huic vitio calidam ſuccurrere nō ambigo, nam durum emollit, attenuatq; ſedimentum præteritæ phlegmonis, mox perſpiratu euacuandum ab innato partis calore.

Manum deligare, & oculos, lachrymas lenit, ita vt ad acres, ſtillamentum lene infundit quis, vt ne ſalſuginoſa contactu lædat.

VErſio magis congruet contextûs, ſi illud *manum deligare* ſuperioribus nectas, proſequariſque, *& oculos, lachrymæ paregoricum,* hic inquam ſacculus aquâ calidâ repletus, vt tumi-

midis, distortisque articulis est remedio, pari pacto, & oculis, siue fronti alligatus, acrium lachrymarum est lenitiuum, non tepore tantùm, verùm si quid effluere dextrè permittas, quod emanantem salsuginem diluat.

HIPPOCRATES.

Et fossulis vlceribus oculorum elotio prodest, & repletio ad naturam deducens.

F*ossulas* credit Fæsius, profunda corneæ vlcera, quam tamen profunditatem excluderet partis natura, quæ dura quidem, hincque sclirotica, verùm non crassa, & habilis, vt profundè perforetur, quod testatur inspectio. His calidã conducere non dubito, nam exilem partis tuetur calorem, morbum non exasperat, sed lenit, extergit, eluitque, si quid sordidum, viamque parat naturæ, quæ inculpatus Artifex, vt remotis impedimentis deperditam reparet substantiam, disiunctamque vniat.

Calida oculis conuenit, doloribus, suppurationibus, lachrymis mordacibus, siccis omnibus.

IN summâ, calida conuenit oculis, qui naturâ subfrigidi: cõstant enim ex membranis, tripliciq; humore, quorum dolores lenit, poros, & cauitates dilatando, materiam attenuando, temperando, innatum calorem vegetum reddendo, parùm dissimili qualitate inductâ, quâ ratione insuper suppurationes, quæ fiunt iisdem in oculis, promouet, lachrymis salsuginosis, vt dicebamus, conducit, substantiæ integritate ἄπυιος nanque est, temperatque acredinem. *Siccis* præterea *omnibus*, supplè, oculorum passionibus, conducere commodè potest: humida namq; actu, & virtute est, semetque caloris beneficio facilli-
mè

mè insinuat. Præter id, quòd aduocat alimentum, exuccis partibus apprimè necessarium, quod in Tabidis magno illorum commodo quotidie experimur.

HIPPOCRATES.

Frigida doloris exortibus; valde rubicundis, & qui collectiones tuberculorum iuxta venas habere solent, vt sunt vlcera capitis manantia, & alia dura.

EXplicatis calidæ beneficijs, quæ oculis laborantibus præstat, tempestiuum erat, vt frigidæ vtilitates, eâdem parte laborante, enarraret. Anceps primo loco sum, cur frigida non conueniat, vbi oculi dolent, si constat, quòd nos dudum edocuit, frigidam torporem inducere, hunc verò dolorem soluere? Ambigo præterea, quî fieri possit, vt oculi *valde rubicundi sint*, neque tamen doleant? Nôstis enim, quàm exquisito sensu præditus sit oculus, neque ignorare vos par est, intensam illam oculorum rubedinem, oriri tunc, quum inflammatur *Adnata*, præ sanguinis biliosi affluxu. Non enim video, quî possit membrana, exquisitissimo sensu prædita, inflammari, neque dolere, & hoc nomine frigidam admittere. Aut igitur frigida conueniet in oculorum doloribus; aut, si hoc displicet Hippocrati, non conueniet illius vsus in Ophthalmiâ. Crederem ego, summâ cum ratione denegari oculis dolentibus fridam, quum enim prosit illa, atque conducat non nisi copiosè affusa, & donec torporem inducat, quis dubitat, quin hic, ve modicus perniciem oculo tenerrimo, atq; exangui, certissimè afferat. Partis igitur natura, non affectus, prohibet remedium; à rebus verò naturalibus primæ sumuntur indicationes. Comes est rubedo Adnatæ tunicæ, ipsius Ophthalmiæ, non tamen in-

indiuidua comes: pluribus enim de causis rubescunt oculi, etiamsi non inflammentur. Iratis, ebrijs, ridentibus, vociferantibus, spiritum continentibus, vomentibus, rubedine consperguntur: præstant & hoc externa plurima, præter spontaneam Ecchymosin, Grauedinem, Corizam, intensumq; capitis dolorem. Quid Singula prosequor? frequentissimus est rubor oculorum, infrequens ophthalmia. Quapropter stat Hippoc. oraculum; quanquam non dubito, & Ophthalmiæ, dum est in principio, frigidam moderatè admotam, conuenire. Hanc laudat necnon in tuberculis, quæ *Enchantidas*, ni me memoria fallit, dixêre posteri, eò quod in chantis oculorum fiant, his tamen incipientibus, conducere non refragor; vigentibus aut prouectis, ne incommodet valdè metuo, donec quis meliora doceat.

Verùm podici, & vtero, non valde commoda est, neque sanguinem in frigore mingentibus.

FRigidam vtriq; membro incommodam futuram, & capio, & tuebor, si libet: partes enim hæ sunt tegi assuetæ, frigoris impatientissimæ, quibus calidum est in delicijs; non capio tamen, quid sit illud *sanguinem in frigido mingentibus*. Nam, siue tempus anni, siue frigidum affectum, aut similia temperamenta intelligat, non explicat, neq; indicat Author. Et quoniam coniecturis est procedendum, crederem ego, saluo meliori iudicio, singulis incommodare frigidam; non enim *ad ea, vnde influit* sanguis, admouere illam licet, verùm ad partem, ex quâ effluit, præter Hippoc. monita, frigidam verò frigido affectui, aut temperamento, frigidoue tempore, noxiam esse, nemo sanus, (credo) ambiget. Quapropter reliqua prosequamur.

HIPPOCRATES.

Vlceribus quidem frigida mordax, cutem obdurat, dolorosa non suppurari facit, liuefacit, nigrefacit, rigores febriles facit; conuulsiones, ac retrò distentiones.

QVi tantis nominibus frigidam efferri audierat, ne incautus illâ abutatur in posterùm, ex proposito nunc cauere monet Senex, illudque primum repetit, quod *frigida vlceribus mordax, doloremque infert*. Hinc transtulit quæ profitetur *in* 5. *Sect. Aph.* 20. nullis immutatis, præter frigidam in frigidum, concretum scilicet in abstractum, vt panderet Oraculum latiùs patens.

Vlceribus frigidum mordax.

AButi censet Galenus *mordacitatis* nomenclaturâ Hippocratem, quandoquidem mordacitas soli calori, & calidis deberi alibi euicit. Lis est de nomine, nomen verò hoc mordacis, improprium est, & figuratè tantùm doloribus aptatur, translatitiâ similitudine ab animalibus, quæ dentibus nos impetunt, doloremque propterea inferunt. Dolorificum proinde quum sit frigus, & insigniter penetrabile, quid prohibet mordax dici pari iure cum calido? Cutem mordet, aurefque præsertim, quod experimur hoc tempore, dum flat frigidus Boreas. Vlceribus propterea aqua dolorifica est, & quod frigida, & quòd vlceratæ partes foueri à calido, tegique sunt assuetæ, monitore eodem Hippoc. in principio Tractationis.

Cutem obdurat.

7. Polit. c. 17. PRiscus mos fuit Germanis hominibus, natum infantem mox gelidæ immergere, ratis, sic fore in posterùm frigoris patientiorem, induratâ cute. Sic ille apud Poetam

Virg. *Gelu duramus, & vndis.*

Conferre etiam statim à pueritiâ frigori assuescere, non improbabat Arist. *hoc enim & ad sanitatem, & ad res bellicas vtile est. Quapropter apud multos Barbarorum consuetudo est, vel gelido amne natos immergere, vel paruâ veste amicire, vt faciunt Galli. Ad cuncta enim, ad quæ possibile est, statim ab initio melius est assuescere.* Quam tamen consuetudinem adeò abhorruit Galenus, vt præceps in illam inuehatur *primo de sanit. tuend.* concludatque tandem. *Quis igitur mentis compos, nec omninò seruus,* c. 10. *Scythaue, proprium pignus in id agere discrimen sustineat, in quo errorem mors sequitur, potissimùm cùm ex eo periculo non magnum sit futurum, quòd lucrifaciet. Asino enim fortassis, aut id genus expertirationis animanti, vtilissimum fuerit densum ita tergus, durumq; effici, vt citra dolorem frigus toleret, homini verò ratione prædito, cuinam, quæsò, tam magno sit vsui?* Quâ forsan admonitione deliniti Posteri cultiori sæculo, renunciârunt discrimini, & alijs ingenijs corpus obdurant. Nõ cadit sub dubiũ proinde, quod frigida affusa cutem induret, cõtractâ in vnum illius substantiâ, antiquo frigoris priuilegio, cui inditum, vt congreget, inque vnum coire faciat, non tam homogenea, quàm etherogenea, res, inquam, similis, aut diuersæ conditionis.

Dolorosa non suppurari facit.

SAtiùs est cum Fæsio vertere, *dolentium tumorum suppurationem* impedit, vt omnis tollatur legenti ambiguitas. Par erat, si contrariorum eadem est disciplina, sicut aiunt scholæ,

vt si calida, quod nuper audiſtis, doloribus, & ſuppurationibus conuenit, frigida vtriſq; incommodaret. Scitum eſt, Dolores maximè tunc contingere, dum pus fit, humorq; concoquitur, concoquit autem innatus calor, cui ſuppetias, vtcunque, fert calida. Impediet igitur frigida ſuppurationem, doloremq; protrahet, & augebit, dum arcet, & hebetat immediatum ſuppurationis efficiens.

Liuefacit, nigrefacit, rigores febriles facit conuulſiones, ac retrò diſtentiones.

Congelato ſanguine, innatoq; partis calore ſuperato: quā de re, & de reliquis, in principio habitus eſt à nobis ſermo, pro re natâ lucubrantibus.

HIPPOCRATES.

Quandoq; verò in hàc diſtentione, ſine vlcere, iuueni carnoſo, mediâ æſtate, multæ frigidæ aquæ effuſio caloris reuocationem facit.

NE vileſceret frigidæ vſus, aut exploderetur penitùs in ſpaſmo, monet Hippoc. modo; quòd & fecit in *Aph.* 21. *ſect.* 5. & alibi frequenter, eandem frigidam diſtentis opportunè affuſam, malum profligare, dummodò concurrant enarratæ conditiones. Quâ verò ratione illud præſtet, explicat in ſequentibus.

Calor autem hæc ſoluit.

QVæ profectò eliminant omnem contradictionis ſuſpicionem. Incōmodat diſtētionibus frigida, vt talis, commodat quandoq; per accidens, coacto calore, cui

c. Aph. cit. debetur victoria. Modum exactè Gal. ob oculos ponit. *Et primum quidem de frigido, inquit, vt in distentione, liquet autem quò & in omni alia conuulsione, in medio æstatis tempore, cùm benè carnosus fuerit æger, ac iuuenis, frigidæ aquæ perfusio reuocationem caloris faciens, passionem sanet. Vnde & manifestum fit, quòd non suâ vi frigida aqua morbum tunc sanat, sed ex accidenti, quoniam iuuenibus benè carnosis reuocationem caloris facit.*

De frigidæ perfusione in Tetano.

NIl profuit nostro Antesignano tantâ cautione celebre commendare auxilium, casu, forsan, ab alijs inuentum, ratione tamen ab eodem Hippoc. confirmatum, & minimè fallaci experimento nobis per manus traditum constanti sententiâ, tum in nostrâ præsenti Disquisitione *de Liquidorum Vsu*, quàm in *Aphor.* & in 3. *lib. morb.* quod & sera amplexata est posteritas, quin maleferiati nonnulli laudatam frigidæ perfusionem Tetano correptis, solo arbitrio damnare non fuerint veriti. Non est mihi Cælius Aurelianus, neque bonis quibusque, iustus Hippocrati hostis, verùm sui generis sectarius, cui non tantùm frigida displicet, verùm & quæcunque remedia à Sene præscribuntur Distensionis in auxilium. Parùm curo singula prosequi in præsens, indigna forsan, quæ confutentur, verùm illa tantùm repellere est animus, quæ temerè iacit nostrum in Coriphæum. Et verò minùs irascor Cælio, quàm Paulo Æginetæ, qui inauditâ Parte, temeritatis damnat Medicinæ Parêtem, cui nomen dederat olim; quum nullum vitium exulet magis ab Asclepiadarum Scholâ, quàm ipsa temeritas, solemniq; veri depositione, si quid humanitùs aberrare contigerit, diluat actutùm, atq; abstergat. Tam candida est Auctori huic mens, tam casta pro veritate religio. Facessant interim importuni caduceatores; vacat enim illorum opera, vbi apertum bellũ, & singulare indicetur Hippocrati certamen. Audi

pro-

prouocantem Aurelianum Siccinensem. *Mirandum igitur, quòd in ijs, qui tali passione afficiuntur, frigidâ vtendum existimat Hippoc. qui iam dudum ait, frigida quæque esse inimica ossibus, neruis, dentibus, & cerebro.* Lacessentem miraberis Æginetam, præterquã modestiæ fines in M. Hipp. iniurium, & imprudentem, transfugam. Mecum obserua hominis impudentiam. *At verò frigidæ affusionem, velut Hippoc. dicit, quum maximè temeraria sit, & propterea posterioribus damnata, etiam nos reprobamus.* Nũquam temeritas cum sapientia commiscetur, Tullij depositione, nec ad consilium casus admittitur. At Sapientissimus, omnium consensu, habitus semper fuit Hippoc. fallere, & falli nescius; exulabit proindè à Coi laribus temeritas, propriumque conspuet in sinum Æagineta. Dic sodès, mi homo, quæ te intemperies exagitant, cui fidis, quo suasore aliena in castra diuertis? Posteriores illos natu, quos consuluisti, Galenus certè non est, qui præsidium laudauit, & pluriès extulit; obscuri proindè nominis homines, terræque filios, aut sequeris, aut fingis, vt Optimo Medicinæ Parenti, qui vnus pro mille nobis est, alienâ sub laruâ ambitiosè succenseas. Alienum profectò est patrocinijs pugnare in rebus Physicis, fateor, doque manus, hinc si hominem prouocem ad experimenta non controuersa Pænorum familiæ, & posteris Medicorum filijs, quid reponat ambigo, seu quod verius, ambiget censor ipse nondum expertus, & alieno rumore effascinatus. Siccinè de summa rerum sancimus, & Medicinæ oracula ad arbitrium pessumdamus? Verùm sordeant tibi, tuisq; congeneribus fida experimenta, longo æui decursu obseruata à Medicinæ Dictatore, quæ lex, quodnam plebiscitũ, reum temeritatis illum facit? Patrias producere sanctiones veritus est olim homo Numida, quapropter Hippocratem Hippocrati oppofuit, damnaque frigidæ inculcauit. Tu qui patriâ Æginensis, & Græciæ in meditullio altus, natusq;, dic nobis, quo iure mortalium sapientissimo *temeritatis* notam inuras, illiusq; non vulgaris, sed *maximæ*? Taces?

C. Aurel. 3. Acut. c. 8.

l. 3. c. 20.

Cic. pro Marc.

Cæl. Aurel.

exlex igitur es, aut nouas leges condere sperâsti; reclamante vniuerso Artis Apollineæ cætu, cui purus, putusque transcriptor es, vixq; hoc nomine suscipiendus, non Legislator, fidusuè Interpres. Non ignoro quàm infirma sint rationum arma, vbi vigent experimenta; verùm, qui neutro munitus prę̨sidio apertum indicit bellum strenuo Ductori, hunc medullam dicam temeritatis. Lex est Medicinæ in Aulâ, vt pro rato habeatur, quicquid ratio adinuenit, experimentumq; confirmauit, hanc obseruauit noster Hippoc. in re proposita: beneq; memor eorum, quæ nuper tradiderat, frigidæ perfusionem consulit in affectu suspectæ frigiditatis; in re ancipiti certum sperans ab innato calore auxilium. *Calor autem*, inquit, *hæc soluit.* Frigidi per se est frigefacere, per accidens, calorem inducere: caloris, viceuersâ, per se est calefacere, per accidens refrigerare, quod experimur post longam in balneo plusquàm tepido moram. Quapropter haud arduum erat rem percipere ijs, qui vel à limine Sophiæ sacrarium salutârunt, ne prouocem ad rusticos, & vulgares, quibus contigit, vt dum manibus niuem, glaciemue tractant, incalescant illæ vltra modum, penèque vrantur. Neque pari pacto admodùm difficile erat, tutissimum sibi euentum ex frigidæ affusione polliceri in iuuene carnoso, mediâq; æstate, si constat, quod illorum plurimis arridet, materiam molestam, intraq; musculorum carnes coercitam, flatum esse, seu vaporem crassiorem, educi nescium, non tam ob substantiæ modum, quàm præ languido mẽbrorum calore, quem ambientis squalor iam, penè, euirauerat. Vt enim ijs frigida affunditur, obescantur cutis meatus, & sanguis vterque se se recolligit actutùm intra maiorum musculorum venas, cui turbationi nouas fert solers Natura suppetias, consuetis officijs; hinc viribus instauratis erumpit breui, obsidentemq; hostem leui prælio discutit, extraq; fines expellit. Instabit vestrûm aliquis; esto, superet flatum duplicatus ille calor: quid si malum fiat ab inanitione, vel repletione humorum, quæ causæ fre-

frequentissimæ, aut solæ in schola Hippocratica? Vt vestræ satisfaciamus hæsitantiæ, primùm seponere vos necesse est alteram causarum: non enim iuuenis, isq; carnosus, Tetanum pati ab *Inanitione* verisimile est. Sit igitur à crassiore sanguine repletio; hic dubio procul repelletur à circumueniente frigore, intraq; maiores venas remeabit: quod sæpius fieri obseruauimus, diris vrgentibus doloribus, præsertim sanguine feruido inter initia ad partes irruente, quem postea commodè aliò auertimus, atque euacuauimus. Instabis rursùs. At sanguis ille redux duplicabit ærumnas. Benè est, nisi Natura suâ sponte aliò diuertat, aut remeantem intra maxima vasa admittat, tandemq; corrigat. Quòd si officium illa detrectet, subit onus perspicax Medicus, operamq; locat non pænitendam. Duo supersunt scrupi, quos frigus ministrat, congelatio, nempe, humorum quorumcunque, & impactio, si quando frigidi naturâ sint. Respondeo, quod æstate mediâ humores perquàm fluidi sunt, atque feruentes, præsertim in iuuene carnoso; quapropter metus omnis congelationis abest: Quæ conditiones insuper frigidos excludunt humores à Tetani ditione, vniuersamq; feruido, copiosoq; sanguini reseruant. Percunctabitur curiosus: Quid si à frigore rigeat quis, aut distendatur, quod contingit non infrequenter per loca niuosa itinerantibus? Frigidissima tunc consulunt Boreales distensioni, atque imminenti partis nechrosi, quin algidum membrum niue confricant, sensimque tepidam affundentes, ad calidam vsque procedunt. Sic reuiuiscit enectum penè membrum, rigorque mollitur, eductâ, seu familiaritate allectâ malâ merce, quam sensibus spectatorum fatentur esse obuiam, vel ipsis in fructibus à frigore lacessitis. Secùs si faxint, conclamatum est de partis vitâ, vel integritate. Viden' quo iure suaserit Optimus Senex in re difficili, frigidæ perfusionem, quantâue cautione illius vsum nobis commendauerit? Et ne quis vobis futurus sit in posterùm scrupo locus, obseruate primùm

l.1. c.2. Valeſcum de Taranta, frigidâ, curantem duos diſtenſos, *plures* l.3. f.2. *per hoc* (recidiuam) *euaſiſſe* teſtatur Auicennas. Atteχam Iaſo- c. 2 Obſ. nis integram depoſitionem ex Schenchio. *Iſto modo curaui iuuenem viginti annorum, de quo deſperabatur in Morlanis, quamuis non multùm erat carnoſus. Habui fere viginti vrceolos plenos aquâ, & quatuor viri ægrum ipſum crectum tenuerunt. Ego autem omnes vrceos euacuaui ſupra collum, & omnia inferiora membra eius, & ſtatim poſui eum in lecto, & poſt vnam horam cum dimidia vnxi ipſum à collo vſque ad poſtremum ſpondylem, ac tibias, & brachia, cum Dialthea, & Marciato, & Agrippa, cum oleo caſtorei, & dedi ſibi brodium pullæ, & verè nihil ampliùs feci, & in eadem nocte curatus fuit, cum Dei auxilio. Alium curaui in Burdegalis, qui erat Anglicus, ſed iſte fuit corpulentus; per modum ſuperiùs dictum. Itaq; ſatiùs eſt, aliquid nonnulla fiduciâ, vel cum periculo facere, quàm adempt ſpe certò perire, & potentibus, extremiſq; præſidijs pugnare, quàm nihil agere. Semper meliùs eſt anceps auxilium, quàm nullum. In quo tamen deſperata omninò Salus eſt, nec vllum patet effugium, imprudentis artificis fuerit, apud vulgus infamare remedia, quæ multis opem contulerunt.* I nunc infirmiſſime Lepus, & mortuum vellica Leonem, cuius ex ore emanare non ceſſat ſuauiſſima dulcedo.

HIPPOCRATES.

Calida ſuppuratoria eſt, non in omni vlcere, maximum ſignum ad ſecuritatem, cutem mollit, attenuat, dolorem eximit, rigores, conuulſiones, ante, ac retro diſtentiones lenit.

RVrsùs, quæ calidæ hic tribuuntur dotes, eaſdem in calorê tranſtulit 5. *Aph.* 22. conſtante doctrinâ. Quanquam enim calida ſuppuratoria eſt, cõtingit tamen, vt inutilis, & ipſa


sa quandoq; prorsùs sit, quum suppurationes prohibeat. Prohibet verò in Vlceribus fluxione tentatis, & putridis, quibus maximo esset incommodo. Coniungit verò hæc omnia in vnum Galenus, *nocere vlceribus, & minùs suppurare, sicuti contra prodesse, & suppurare.* Proque corollario tutissimo illud Galenicum habetote. *Nihil enim mali potest euenire vlceri pus generanti*, pus verò impediunt, quæ supra enarrata sunt, & quibus calida aduersa penitùs esset. Habeatis & hoc nec non superpondij loco, *maximum igitur signum vlceri ad securitatem est pus*, quod promouet vt plurimùm calida.

Cutem mollit, extenuat, dolores mitigat.

PRæcedentia hæc subsequentis sunt medela; vbi præsertim ex peregrina materiâ parti contingit calamitas. Laxatâ nanque cute, panditur extraneis exitus, quibus abeuntibus, non ampliùs tenditur vacuitas, aut grauantur partes, vel lancinantur, præ expirante humore.

Rigores, conuulsiones, ante, & retrò distentiones lenit.

INter commoda calidæ, illud non contemnendum est, vt exteriùs adhibita rigoribus, qui ex frigido procedunt, conducat per se, necnon conuulsionibus, & tetanis remedium sit *paregoricum*, cruciatus, vt concipio, leniens, qui contractis musculorum capitibus suboriuntur, mollit enim dubio procul, & impetus materiæ extenuat.



HIP-

HIPPOCRATES.

Ipsa quoq; capitis grauitatem soluit.

EAm præcipuè, quæ à conclusis vaporibus, aut concretis intra cerebri membranas humoribus ortum habet, quod frequentissimum; quibus obuiat calidæ vsus, humores liquans, vapores extenuans, vtrisq; verò vias recludens, quibus patulis extra corporis fines exulent.

Plurimum autem conducit ossium fracturis.

VTpote quæ suâ naturâ frigida, & exanguia, quia & tegi assueta, iugi fotu indigent, atque gaudent. Quapropter vbi casu disrumpantur, maiori quinetiam cautione illis opus est, præstat verò hoc calida decenter affusa.

Magis autem denudatis, & ex ijs maximè his, qui in capite vlcera habent voluntaria, vel inuoluntaria.

SI calida ossibus fractis, carneque munitis prodest, atque iucunda est, ob nuper productas rationes, cur non & denudatis grata erit? Verùm & gratissimam quisque agnoscet capiti vulnerato, vt quod frigidissimum inter membra corporis nostri illud censuerint Proceres; eaque propter caloris summopere indigum. Voluntaria illa vulnera, non nisi apud Barbaros, non Græcos homines, locum habuisse inuenio, aut religionis, aut Valetudinis suasu, refero ego ad illata ex alienâ hostili deliberatione, aut erumpentia ex interna causa; vtrisq; verò casibus calida commoda est, atque gratissima.

HIP-

HIPPOCRATES.

Et quæcunque præ frigore, aut moriuntur, aut vlcerantur.


IVuat quinetiam calida ijs, quæ *præ frigore moriuntur*: exitiale nanque eſt, ſoloq; calore fugatur, *& vlceratur*; ijs enim neque mordax eſt calida; ſed paregorica, atque leniens. Cauſam præterea vlcus facientem diſſipat, inſidentemq; intemperiem fugat atque ſuperat.

Itemq́; in vlcerationibus voluntarijs, ac inuoluntarijs, qualia ſunt deſquamata.

QVæ vlcera excitantur, ſeu ab internâ, ſeu ab externâ causâ ſuboriantur, ſingula hæc à calidâ auxilium experiũtur, confertque ijs curandis, pluribus nominibus, præcipuè verò deſquamatis; cute nanq; nudatâ, reſpirant ſub calida, & fouentur.

Herpetibus exedentibus.

QVanquàm videbatur primo occurſu frigida conuenire Herpeti, calidiſſimæ bilis legitimæ ſoboli, locum cedit nihilominùs illa calidæ innoxiæ, & labefactato naturali calori perquàm familiari. Huius aduentu refocillatur, ſic diſcutitur impactus humor, diluitur, tandemq; exterminatur extorris. hæc præſtat calida: vltraq; procedit.



HIP-


HIPPOCRATES.

De nigratis; siue gingiuis, siue in aure, siue in ano, siue in vtero.

QVæ nigredo, nisi à superassante calore ortum habeat; dubio procul frigidum agnoscit parentem. Quapropter huic profligandæ, opes perfusæ calidæ aduocari debent; vt quæ partis calorem, pro viribus, redintegret, cõpactum sanguinem liquet, inutilem discutiat, peruiosque reddat canales, quò nouam gratiam à vitæ fonte lucrentur.

His omnibus calida amica est, & indicatoria; frigida verò inimica, & occidens, præterquam in quibus sanguinem fluxurum timor est.

CAlida his omnibus quâ ratione amica sit futura, iam ordine explicauimus. Iudicatura ne sit propositos affectus, dubitare fas esset, nisi obstaret Hippoc. auctoritas, cui dictanti cedendum: Qnandoquidem oportet addiscentem credere. Frigida huic opposita, infensa vitæ, & recensitis passionibus, inutilis ferè penitùs, nisi vbi sanguinis timetur hæmorrhagia; tunc enim conducit, debitis seruatis normis, atque legibus.



HIP-


HIPPOCRATES.

Atque hoc modo vtendum est liquidorum perfusionibus, inunctilium illitionibus, foliorum impositionibus, aut linteolorum cataplasmatis quæcunque, aut frigiditate, aut caliditate prosunt, aut nocent.

CONcludit tandem præsentem Tractationem artificioso epilogo, illa recensens, quæ in præsenti prosequutus fuerat lucubratione, quæ tota est de *Liquidorum perfusionibus*, vsuque externo, vt frigiditate, vel caliditate conferunt, vel nocent humanis corporibus.


FINIS.

Et quando NOX plurimùm iam processerat, ne latis nuper Legibus derogaremus, salutato Eudemo, hilares discessimus.




NOX





NOX GENIALIS
S E C V N D A.





Epedabat iam NOX gratiſſima, GENIO comitata ſuo, cætumque alliciebat ouantem : quapropter tempeſtiui adſumus, neque vacui. Symbolum in primis dedit Præmigeres, apertum, non clandeſtinum, nuperam, ſcilicet, diſceptatiunculam, περὶ ἀρχῶν, ad mentem Stagiritæ, quam ſibi concredidiſſe fatebatur, neſcio quis, ſtudioſus, ſpe futuri prouentûs. Hanc recitabo, dicebat, ſi vobis arridet, minimè interruptâ ſerie: ſuſpendite iudicium vos æqui Cenſores, ad metam vſque totius Controuerſiæ. Annuerunt cuncti.

SEV

DE PROLIFICA Genituræ Facultate.

Cap. I.

Introductio ad disputationem.

DIuinæ Prouidentiæ duo maxima munera disertissimus admirabatur Phylo, Generationem, Lactisq; prouentum: cuius vestigia & nos aliquando sequuti, postremum in ordine, pro virili ad lancem librauimus in nostra *Physica Lactis Analysi*. Nondum quieuerat admiratio, quapropter, dato ocio, compendiosam, neque infrugiferam nauare opellam priori muneri in pręsens est animus. Suasêre in primis rei dignitas, & curiosæ eruditionis amor: dum insuper vrgebat necessitas, quæ futuræ nostræ expeditioni, *de Regia Anima* Velites hosce præire iubebat. Sat hæc erant pro priuato impulsu, cui succedit incunctanter & publicus. Graui nanq; suspicor premi veterno spectatorem, modò editi animalis haud reminiscentem, quibus ab exordijs vilissimis, pronubà generatione, euaserit cultissimam in essentiam, vitæ muneribus, fidoque sensuum satellitio, ad inuidiam vsq; mirabilem. Quæ vis, quæ facultas latitabat Genitoris in quisquilijs, molliori verbo vtar, redundantia in illa vltimi alimenti, quæ γόνος Græciæ, *Genitura* Latio, ita vt absente, vel extincto parente, absolutam stato tempore suscitet fæturam? Excute proinde somnum deses, mecumque scrutare sedulus nostræ generationis primordia: ardua quidem, fateor, verùm

neque imperuia, neq; odiosa, si Pulchra difficilia, vt est in adagio. Accitur non importunè Omnipotentis sanctio, qui *Prolificam* indidit *seminibus* energiam, certisq; legibus viuentium propagationi addixit. Integrum nihilominus nobis est, nulloque piaculo scrutari propiùs licet genitalem illam originem, curiosèque insuper inuestigare intimam, peculiaremque substantiam, quam Summus Opifex præfecit muneri præstantissimo obeundo. Et quanquam naturali quodam instinctu singula semet propagare student, sibiq; simile gignere, quem qui-
2. De Anima. dem conatum Peripati Princeps Aristoteles *naturalissimum*, non immeritò, appellabat, nusquam tamen emicat magis, plenioremue creditæ obseruationi facit fidem, quam Viuiparorum in generatione. Vt enim præteream mista, simpliciaque corpora, quibus etsi non denegetur enarrata propensio, latet nos tamen, præ nimio, quod habent cum materiâ commercio (hoc verò & animatis imi subsellij contingit) flagrant profectò illius desiderio nobiliora animalia, certisque periodis, ne dicam, incessanti nixu, nouæ sobolis procreationi incumbunt. Præter verò effrænem hanc cupidinem, cui Natura suaue quinetiam addidit calcar, indicat illa symbolum à mare collatum, suadetq; Sophiæ cultoribus, vt curiosè inuestigent, quæ, qualisuè sit perennis illa *Facultas Prolifica*, cui egregium, atq; mirabile delegauerat olim facinus. Parent hi, præque rei difficultate, varias distrahuntur in sententias, ita vt neque longo æui decursu composita adhuc sit controuersia, sedatusue altercantium animus. Et quod cordatum quemque impellere debet, ea est quorundam cæcitas, vt in fulgentissimo Orthodoxæ fidei iubare caligent adhuc, inque impietatis semitas, nescio quo amentis Sapientiæ sub prætextu, miserè diuertant: Qui tamen, si Stagiritæ placita accuratiùs pensitâssent, dubio procul quem venerantur Præceptorem, secùs sentientem facilè depræhendissent. Quapropter quum damnata olim opinio nouos nanciscatur fautores, ne dicam putidos sectarios, ma-

ximo cum Sophiæ dedecore, & incautorum periculo, boni consulet cordatus quisque, si duram prouinciam modò aggrediar, enitarque omni conatu in posterùm ἀρχὴν ἐν illud reuelare, proximum, nempe, agens, atque Generantis organum in medium sistere: priùs tamen inductis, atque confutatis erroribus, ne quod supersit posthac malè feriatis effugium. Quæ tamen vt faciliùs succedant, altiùs repetito principio, Seminis indoles, cui *Facultas* illa *Prolificæ* insidet, curiosè, neque prolixè indaganda venit, *Diuino aspirante Numine.*

Cap. II.
De Naturâ Genituræ.

PRiùs verò quàm vlteriùs progrediar, illud admonuisse non importunum arbitror, quod præscripserat olim Sophorum Dictator, Semen, atq; Genituram, si presſè loqui studeas, plurimùm distare; siquidem Genitura est, quæ à generante proueniens causa est, quæ primum obtineat principium generationis, videlicet in ijs, quæ coire Natura voluit. Semen autem est quod ex ambobus coeuntibus illis originem trahit; quale semen plantarum omnium est, & animalium nonnullorum, in quibus sexus distinctus non est. Impunè tamen licebit quandoq; disputationis in progressu vocibus obuti, dummodò infracta seruetur Summi Legislatoris enunciata sanctio, præsertim quum ille promulgatæ à se legi derogâsse non semel obseruetur. Hæc de vocibus præmonuisse satis: rem modò inuestigemus. Cauit olim prouida Natura, declinauitque nobili artificio fatale rerum sublunarium exitium, benè conscia, præ materiæ inexplebili malitiâ, singula composita ad non ens, corruptionemq; in dies properare. Quapropter veluti per traducem, labantibus semet propagare, cupitâq; perennitate, quantùm patiebatur caducæ rei indoles, potiri, statâ lege permisit. Ea enim est conditio motûs cuiusque, vel

mutationis, vt duo necessariò exigat, & mouens, quod agendo à potestate ad actum deducat, & mobile quod actioné excipiat atque deducat. Hinc factum, vt si quando nouum substitui debeat animal, illudq; perfectum, duo conueniant principia, mas, inquam, & fæmina; ille motûs origo est, hæc verò motum excipit, locum insuper, & materiam, in quam commodè operetur, non denegat, quin sedula ministrat. Quanquàm enim lis adhuc sub iudice est, An conferat & fæmina impulsum, masque materiam, illud tamen ratum, cunctisque in confesso, longè maiores efficiendi vires huic deberi, patiendi verò alteri, quàm è conuersò. Quum verò minimè interpolatam agentis actionem esse oporteat, dedeceret autem animalia præstantiora perpetuo nixu propagationi insistere, posthabitis reliquis præstantissimis, atque necessarijs functionibus (quod tamen onus vilioribus quibusdam non immeritò Natura iniunxit) hinc prouida sanciuit, vt symbolum ambo statum in loculum conferrent; Genituram, nempe, mas, fæmina sanguinem; quibusdam & semen, quòd aliàs ventilabimus. Reuocat nanque modò nos grauior difficultas, quæ, nisi superetur, imperuius ad veritatem penitùs reddetur aditus. Quandoquidem vacillet apud malè feriatos nonnullos Aristotelea fides, de Seminis natura, quam ille in *lib. de Generat. Animal.* enucleatissimè pridem cõmunicauerat. Haud enim sat habuit tunc Præceptor, effata hęc minimè cõtrouersa producere, *Omnia scilicet ex semine gigni, semen autem proficisci à generantibus*: verùm seminis indolem, primæuamq; illius originem incõparabili methodo reserauit. Quum enim, semen aliquid sit corporis, neq; tamen pars naturalis, aut præter naturã, sequetur necessariò, quòd sub censu constituatur, vel alimenti, vel colliquamenti, vel tandem excrementi. Exulat dubio procul colliquamentum, siquidem solis hoc contingat morbosis corporibus, nequit verò res naturalis oriri ex ijs, quæ sunt præter naturam. Alimentum nemo dixerit, quum intrinseca res sit semen,

Arist. 1. de Gen. Animal. c. 17. 18.

men, non aduentitia, aut extrinſeca: quod ſupereſt igitur, ſemen erit excrementum. Mirabilem hunc progreſſum ingenioſi quidam redarguunt, atque improbant, rati incongruum eligi genus *excrementum*, & excludi *alimentum*; his verò ſuadentur rationibus. Sanguis non eſt vltimi alimenti excrementum: quod trahitur ad teſtes, eſt ſanguis: igitur quod trahitur, non eſt excrementum. Minorem experientia, & Auctorum comprobat conſenſus: qui enim Venere incontinēter vſi fuêre, pro ſemine ſanguinem eiaculauerunt. Vacillantem verò maiorem, maioribus vallant præſidijs. Scopas diſſolutas interim ego nectam. Excrementum poſterius eſt re, cuius eſt excrementum: ſed per te ſemen eſt excrementum vltimi alimenti: ergo ſemen eſt poſterius vltimo alimento. Sed non datur vltimum alimentum: igitur neque eius excrementum. Quô verò eliminent vltimum alimentum, tali vtuntur medio. Quum vltimum alimentum incipit eſſe, tunc deſinit eſſe ſanguis: ſed ex conceſſis, quod trahitur ad teſtes, eſt ſanguis: ergo quod trahitur ad teſtes, non eſt vltimum alimentum. His tamen nō multo negocio quis pro Ariſtotele ſatisfaceret. nam quod aſſumunt, excrementum eſſe poſterius re, cuius eſt excrementum, vt forſan admittet de inutili, ſic meliorem adferet intellectum de vtili. Dum nanque Philoſophus ſemen dicit eſſe excrementum vltimi alimenti, non ea ipſi mens eſt, quam tribuunt iniqui Cenſores: secùs idem ſui ipſius eſſet excrementum; contra, alimentum, & quod ſuperfluit, eiuſdem ſunt ſpeciei, & naturæ; verùm dicitur excrementum reſpectu habito ad partes, quæ dudum alebantur: Quod ſi dem, his eſſe poſterius; quid conuincet operoſa argumentatio? Excidiſſe interim obſeruo Aduerſarijs probationem alterius effati, *Cùm vltimum alimentum incipit eſſe, tunc deſinit eſſe ſanguis*: quæ tamen pernceſſaria erat in diſputatione ad hominem. Eſt enim Ariſtoteli ſanguis vltimum alimētum ſanguine præditis. Ario labor rurſus; percunctorq; Aduerſarium: dic ſodès, quod ab

Argent. Comm. in Artem Paru. Steph. de Caſtro Metcor. Microc.

Lib. de Aliment. Aristotele dicitur *vltimum alimentum*, ab Hippocrate verò simpliciter *alimentum*, hoc inquam, vel desinit esse sanguis, quoniam in alium degenerat humorem, & hoc veritati repugnat: quâcunq; enim insigniatur tunc nomenclaturâ, quæ operosiorem indicet apparatum, semper sanguis erit, & maximè talis habebitur: vel desinet; quoniam iam mutatus sit in naturam partis alendæ; & hoc falsum, atque in Philosophiâ erroneum. Nam etsi Altio sit mutatio substantialis, sub censu tamen motûs continetur, nequit verò simul, & semel esse sub vtroque termino, dici alitum, & alimentum, quantumuis momentanea concederetur mutatio, quod tamen & rationi, & Auctorum placitis repugnat. Quum igitur *vltimum alimentum* non desinat esse sanguis, isque superfluus membris alendis, *non infamabit*, vt ipsi accusant, qui excrementum dicet. Nam etsi contradictionem existiment, excrementum dicere, & vtile, quum de ratione excrementi videatur inutilitas, vt morosiores nomen etiam superflui pro excremẽto reformident, non veremur tamen, ex quo res deducta est ad Grammaticorum subsellia, fidem aduenis derogare, indigenæ verò Aristoteli, græcè scribenti assentiri, quòd excrementum, non solùm prædicetur de inutili, verùm vtili etiam competit. Et quod mireris, extorquet tandem veritas ab aduersarijs, & si alimentum censeant testium, *quod superest*, inquiunt, *in semen reponunt:* Hoc verò tam dissonum est ab illorum credulitate, quàm consonum Galeno dicenti, *hoc quidem commune est omnibus animalis partibus, quæ aptæ sunt humores aliquos vtiles generare, aut partibus alijs, aut ad generis propagationem, aut ad conceptûs nutritionem, esse humorem illum quandam veluti superfluitatem* (nota) *partis ipsum generantis*. Constat igitur, semen esse excrementum vtile; vtilissimum autem, quod vltimum est, & ex quo iam vnumquodq; gignitur membrum.

Gal. Plat. Hipp.

Lib. I. c. 18.

l.c.cap.2.

Lib. 5. Aph. cõ. 39.

Cap.

Cap. III.

Defenditur Ariſtotelica definitio ſeminis: Impugnatur allata à Recentioribus.

OBſcurâ diligentiâ Recentiores nonnulli carpunt Ariſtotelicam ſeminis deſcriptionem, &, quæ hominum eſt ambitio, propriam ſubſtituunt: vtrumque malè. Mancam dicunt, quoniam poſthabitis cauſis efficiente, & formali, ſolam materiam explicat, neque hanc vniuerſam, cùm ſpiritum, alteram partem ſeminis, prætcrierit. Mirùm, quomodò eis exciderit cauſa finalis. Abſurdam inſuper cenſent. Nam dicere excrementum vltimi alimenti, idem eſt, ac ſi ſemen definiret ſanguinem. Inſigne ergo beneficium Litterariæ Reipublicæ collaturi, proprio marte hanc ſemini aſſignant definitionem. Semen eſt corpus humidum, ſpumoſum, & album ex reliquijs alimenti vltimi, & ſpirituum vbique oberrantium permixtione, vi ſolâ teſtium excoctum, elaboratumq; idque ad perfectam animalis generationem; ſupprimit tranſcriptor ad teſtium alimentum. Quæ tamen, Philoſophi ſanctiones minimè labefactant. nuſquam enim profitetur ſe integram ſeminis aſſignâſſe definitionem; ſed in præſentiarum methodo diuiſiuâ proprium ſeminis inueſtigare genus. Alibi verò enunciauit *ex eo primum oriri, quæ ſecundùm naturam conſtituuntur*, quo ex fonte hauſit Doctiſſimus Fernelius, iniuriâ tamen ab ijs repræhenſus. Rurſus Philoſophus genituram id vocat, *quod à generante proueniens cauſa eſt quæ primum obtineat principium generationis, videlicet in ijs, quæ coire natura voluit*. Verùm etſi liceat cuique, vel parùm exercitato, integram ex traditis conficere ſeminis definitionem, ſit tandem pro deſcriptione, quæ ab Ariſtotile deducitur; quid culpabunt, ſi ſapiant? Nonne pernéceſſarium genus cauſæ in naturalibus, & ſine quâ Phy-

Cap. 18.

fica definitio esset nulla, in medium sistit. Si quidem debeat res ita se habere ad cognosci, quemadmodum se habet ad esse; ius verò materiæ, quæ altera compositi naturalis est pars, in definitionibus assignandis ecquis ignorat? cæteræ nanque inutiles, & vitiosæ definitiones, repudiantur, nisi materiæ primàs dent, quod rectè cauit Præceptor. Includit præterea Aristotelæa seminis definitio formale genus causæ: nam qui dicit *excrementum alimenti sanguinei:* quod vltimum in membra digeritur, indicat materiam, præuiæ alterationis ope eminenter continentem membrorum Ideam, ita vt si consulueris Pergamenum, eandem dicturus sit cum assimilatâ, & appositâ, iisdemque dotibus præditam, quod elegantissimis exemplis manifestat. Hanc verò quis orbatam spiritu, calidoue fæcundante credet, quum inutilia excrementa, & quæ toto genere dicuntur præter naturam, neque ijs destituuntur? Tandem inductam absurditatem deridet Peripateticus, & semen dicet quid vltimi alimenti. Sanguinem fatebitur, verùm vlteriorem iam adeptum perfectionem, præ membrorum opificio. Quis verò definiturus domum, dicet illam calcem, & lateres? Sciolis hisce meliùs rem percepit, rythmisque complexus est Illustrissimus Philosophus & Poëta Dantes.

5. Aph. c. 39.

25. Can. Purg.

„ *Sangue perfetto, che poi non si beue*
„ *Dall'assetate vene, e si rimane*
„ *Quasi alimento che di mensa leue.*

His pro Aristotele, & Galeno vindicandis à calumniâ iam examinatis, superest vt Censorum definitionem pensitemus. *Semen*, inquiunt, *est corpus;* mirum cur non dixerint substantiam, vel ens. Si *corpus humidum*, cur non humor? non enim, opinor dicturos *solidum*, vel solum *spiritum*, ex quibus tamen partibus, Hipp. Præceptore integratur corpus. Præterea *corpus humidum spumosum, & album*, saliuam describit, neq; sequentia verba, *ex reliquijs alimenti vltimi*, illam excludunt: est enim saliua excrementum cerebri ex vaporoso spiritu spumescens.

Sin

Sin verò, quod incuriâ suppresserant, modò suppleant, & reliquias dicant vtiles, dant manus Aristoteli. Quo verò animo laturus sit naturalis Philosophus in definitione substantiæ includi accidentia, hæsito, præsertim non necessaria. Nam dato etiam, quòd semen in vasis spumescat, albedo erit superflua; quandoquidem spumescentia omnia ex incluso spiritu albescant. Quòd verò *spirituum vbique oberrantium permixtionem* vnus dixit, alter *spirituum omnium*, vocat, neutrum à censurâ liberat. Vnicus nanque est spiritus in corpore, Peripateticis, Medicis verò *Naturalis* dubius, vel nullus, vel tandem immobilis, *Animalis*, tantùm irradiat: Solus igitur supererit *vitalis*, qui in definitione debeat admitti. Addunt *vi solâ testium excoctum*; præterquam iam candicet in vasis deferentibus, vt infra discutiemus, quum alteram statuunt seminis partem *spiritum*, hic quinetiam concoquetur, euadetque spiritus testicularis: talia enim ridicula, & erronea consequuntur illorum positionem. Si quis verò totam eorum conferat orationem cum Aristotelicâ descriptione, longè imparem deprehendet. nam vt hæc singula comprehendit genera viuentium, quod par erat, sic quæ à Recentioribus adfertur, excludit Serpentes, pisces, insecta, atque tandem vegetabilia. Carpere igitur promptius est, quàm imitari talem Coriphæum, summumq; Sophiæ Antistitem.

Cap. IV.

Prosequimur principia, & naturam seminis indagare.

QVanquàm Philosophus iure conuicit ex liquescentibus membris semen non conflari, illud tamen ratum, orta suorum generantium referre similitudinem, non specificam tantùm, verùm & illam quæ particularis materiæ

se-

ſequitur indolem, quamue caſus, fortuna, aut artificium particularibus in membris olim inſinuârunt. Aliquid proinde à partibus ſecedere neceſſarium erit, quod virtute, vel idoneâ materiâ aptum natum ſit facere tale, quod ipſum. Vim ſolam procedere, abſque familiari ſubſtantiâ, inexcogitabile erat naturali Philoſopho. Quapropter ſummus Naturæ Interpres ſanciuit, illud quod membris mox debebat apponi, prępotenti eorum actione, vltimam, non ſolùm nactum diſpoſitionem, verùm impreſſum, ſimillimiſq; characteribus ſignatum, modicum hoc, inquam redundans, euadere in ſemen. Quæ etſi Argenterius nequeat concoquere; eodemq; ſemper voluteturin cæno, nihil tamen Ariſtotelis progreſſum obſcurant, verùm Nouatoris ambitionem, vel inſcitiam manifeſtant. Hæc ſi vera ſunt, qui nouo auſu omne teſtibus committunt negocium, videant quomodò ſuperioris progreſsûs declinēt aciem, ni tamen malum malo congerentes, eam tribuant teſtibus in fabrefactione membrorum eminentiam; quam tamen cordi denegarent. Non igitur, quod à partibus ſecedit, ſed quod aptum erat ad eas accedere, propagationi nunc deſtinatur, venis, & arterijs illud deferentibus ad loca teſtium. Verùm an ſufficientem iam ſit adeptum virtutem, vel vlteriorem adhuc expectet, vaſorum, vel teſtium commercio, modò venit examinandum. Non equidem puto futurum quempiam adeò temerarium, qui fortuitam dicat, aut inutilem talium partium accuratiſſimam fabrefactionem. Proinde Ariſtoteles, quanquàm in eos parcus, ne cum Medicis dicam iniurius, faſſus eſt, & vaſorum firmare diuaricationem, vt ſemper conſueuit Natura, & cordi eſſe firmamento, quod elegantiſſimè elucidat Clariſſimus Præceptor Franciſcus Bonamicus. At verò ſi redundans illa ſubſtantia, membrorum commercio, eam adepta eſt virtutem, vt indefinitam horum contineat Ideam, neque ſpiritibus influentibus orbetur, quid amplius præſtaturi ſint teſtes iam per ſe valenti, atque abſoluto, non video. Audio

Ariſt. 1. de Gen. Animal.

Com. in Art. Paruam.

Lib. de Alim.

dio quoſdam in Peripato arbitrari,ſemen hinc ſortiri animam non tantùm vegetam, ſed & ſentiētem. Verùm ne ſim nimius in re non neceſſariâ, repugnant hæc Summi Præceptoris placitis, obſeruationi inſuper;nam plantis, multiſque animalium vis hæc communicatur, ſeclusâ ope teſtium: rationi tandem, quòd dubia, vel nulla ſit ſeminis animatio, vt mox diſcutiemus. Quòd ſi fiduciaria opera admittatur, neutiquam, præſtantiſſimum opus glandulæ debebat committi, poſthabitis potentiſſimorum viſcerum robore, atque energia, quorum tamen miniſterio in vtrâq; ſcholâ, viuificus ille ſpiritus introducitur, potiſſima ſeminis pars, atque animæ immediatum inſtrumentum. Fateor equidem, ex diutinâ morâ tempus ſeminali ſubſtantiæ nõ deperire, quod perfici diceret Ariſtoteles, 3. De Gen. Animal. 12.
verùm per tubos influente cordis calore, incraſſari materiã, irretiri ſpiritus, quorum admixtione,vt dicebat Philoſophus, ſpumeſcens dealbatur. Quæ quidem in tantùm teſtibus debet 2. De Gen. Animal. 2.
accepta referre,quantùm membranis adeps,vel ſæuum,quum ſingulorum par ſit generatio: ſanguis enim cùm concoquitur, ad hæc tranſit. Dum verò comminiſcuntur nonnulli duplex 2. De P. Al. c. p. C. . .c. 19.
in animali ſemen, alterum quidem à membris ſecedens, alterum verò teſtium induſtriâ elaboratum; Ariſtoteli, & Galeno pariter aduerſantur, quos forſan nouitio commento conciliare perperàm ſtudent. Etenim ſi excluditur in Peripato ſemen fæmineum, propterea quòd in vnaquaque actione vnico patienti, vnicum adæquatumq; reſpondeat agens, quid in ſolo indiuiduo cenſebit Ariſtoteles? At biceps monſtrum fore, dicet Pergamenus, ritèq; verebitur inſuper, ne duo emergãt, ſaltem, dubia animantia vnicâ fæturâ, ex ſemine teſtium hoc, illud verò, ex ſemine partium reliquarum. Coaleſcere ſimul illa tandem ſi dixerint, mutuamq; ſibi opem impendere, oleũ, operamque omnem caduceatores illos perdidiſſe vnanimes coriphæi liberè fatebuntur. Vt igitur receptui canamus, modicum illud, atque vtile alimentum, partibus mox apponendum,

dum, ni superfluum, secedens in speciei propagationem ad meatus, & testes, vim præstantissimi visceris expertum, præ cuius commercio innato calore, & viuifico spiritu ditatur; potens euadit efficere tale, quale fuerat Generans, nisi impediatur; quod apposite cecinit noster Vates:

„ *Prende nel cuore à tutte membra vmane*
„ *Virtute informatiua, come quello*
„ *Ch'à farsi quelle per le vene vane.*
„ *Ancor digesto scende, ou'è più bello*
„ *Tacer, che dire.*

Dantes loc. cit.

Cap. V.

STat proindè inconcussa Aristotelis sententia, Genituram esse excrementum vltimi alimenti, non reiectaneũ quid, verùm familiare, gratum, contubernale, solâq; copiâ redundans. Beneficium, quod ex membrorum commercio contraxit, euidens est. Nemo enim est nescius, præter sortem alimenti, suamq; domesticam, lucrifecisse insuper præfecturam, iusque summum in generatione animalis eiusdẽ speciei. Corpulentiam Geniture nemo non sensibus assequitur, mirabilem illam energiam, Intellectus vix assequitur. Quid Aristoteli placuerit, primo loco videbimus, quid posteri censuerint, fideliter exponemus, & pensitabimus; quô tandem emicet expetitum à nobis in præsens ἄρχγονον illud mirabile. Abundè enucleauerat Præceptor, quæ virtus Semini, & Geniture insideat, quanquàm secùs censeat Leonicenus, philautiâ, credo, seductus. Mirabili nanque, vt consueuit, vtebatur methodo Sũmus Naturæ Interpres: vel .n. interno, dicebat, cietur motu, Semen, & Genitũ, vel externo, idq; aut pars aliqua animæ, aut anima, aut habens animam. Postquam verò singulis sua obiecit, quæstionem soluit, dicens, non esse incongruum, aliquid ab extrinseco fieri non tangente, non secùs ac Automata, remoto

2. De Gen. Al. c. 2.

moto primo impellente, diutissimè aguntur. Expetitur nanq; in Naturæ, Artisque operibus efficiens actu, vt materiæ potentia impleatur: continebit proinde semen motum, & principium tale, vt motu peracto, pars existat quæque, eademque sit animata. Excludit verò qualitates actiuas ab hoc officio, ineptas substantiali formæ, per se, introducendæ. Delegat autem Generanti, quod actu quidem est, sed per motum in semine operatur. Ea nanque est diuersitas artificialium agentium à naturalibus, vt ars sit quidem principium, formaque eius, quod efficitur, sed in alio, motus autem naturæ in ipso est ab alterâ profectus natura, quæ actu obtinet formam. Coronidem tandem quæstioni imponit, pari pendens calculo, & animantium partes, & animam earum formam. Vt enim illæ æquiuocè tales dicuntur propriâ formâ orbatæ, sic anima nulla esse potest, nisi in eo, cuius est, aliqua scilicet in parte corporis, vt superiùs enunciauerat. Sin verò paucis mentem Aristotelis complecti mauis, dices semen pro motu sibi impresso à Generante, effingere membra, quorum vno, vel altero absoluto, tunc animatur Embryo, & per se iam augetur. Hæc Aristoteles disertissimis enunciauit verbis, veritus, vt opinor, posteritatis errores. Qui tamen parùm inter sese consentientes, & perperàm tanti Præceptoris placita interpretantes, in diuersas abière sententias. Valuit rei pondus, atque dignitas loco dimouere malè attentos; quapropter despecto proximo Generantis officio, quod Genituræ olim commiserat, conati sunt expiscari aliunde nobilem Promotorem. Omnium præstantissimum præfecerunt quidã, vt annuimus in exordio, Diuinam rati fæcunditatis causam, & inculpabilis artificij. Verùm requieuit iamdiu ab opere Diuinus Artifex, largitus tunc facultatem viuentibus semet propagandi, & Vniuersum complendi, nouâ prole editâ ex semine, *iuxta genus suum*: quanquam vbique præsens ille Omnipotens, cauet, ne pessum cuncta ruant, subductâ, vel ad breuissimam temporis intercapedinem,

nem,

nem, nobili aſſiſtentiâ. Fatigârunt alij Intelligentias, irrito conatu; præſunt enim hæ proprij Orbis gubernationi, à materiæ contagio immunes, erroris expertes, quem tamen frequentem in fœtibus obſeruamus. Exulauit iam diu Mundi Anima cum Stoicis, quam tamen nouo Calcodeæ nomine ad opus reuocauit Arabum Princeps pari cum ſucceſſu. Diuinam, admirabilemque dicebat Galenus energiam ſeminis, nuſquam tamen, quòd viderim, ex profeſsò rem indicauit; vt ſolet ambitioſus homo, verùm dubius ſemper, atque incertus laudauit ignotum Opificem. Propiùs collimârunt Poſteri, intraq; ſeminis viſcera hũc rimati, neglecto Stagiritæ progreſſu, Animam nonnulli, partem Animæ alij, inchoamenta recentiores, Animatum aliquid obtrudunt hi, & quod grauius, neq; excludunt quidam Animam rationalem, quam communicari à Genitore, veluti per traducem, perperàm, & credunt, & tuentur. Viden, quàm perplexa ſit difficultas, & quâ mentis attentione veritas è puteo ſit haurienda.

Cap. VI.

Argumenta affirmantium, & negantium Genituræ animationem, producuntur.

Excluſit dubio procul Ariſtoteles Animæ præſentiã à Geniturâ. Non defuêre tamen grauiſſimi Auctores, qui oppoſitam tribuant Philoſopho ſententiam, rationumque momentis non vulgaribus ſeminis animationem propugnent. Facultas, inquiunt, non ſeparatur ab eſſentiâ: ſed in ſemine eſt facultas generatiua, viſq; vitalis: igitur includet animæ eſſentiã, eritq; proinde animatum. Alij ſic diſponunt. Semen generat viuens, ergo vitali actione: at quæ ſic fiunt, pendent ab interno vitæ principio: igitur ſi ſemen viuificat, habebit vitæ internum principium, hoc eſt animam. Rem enucleat Carrera. Generatio procedit à potentiâ generatiuâ: ſed hæc eſt propria

paſſio

passio animati: non erit igitur absque sua potentia, quum ab ea procedat per modum resultantiæ, vt nec risibile producit in alio risibilitatem. Secundò, Corpus naturale organicum habet animam: sed tale semen esse persuadent, quod diuidatur in partem mouentem, & mobilem: tale autem animatum Aristoteli dicitur. 8. Phys. c.4. Tertiò: Non fit ex sanguine caro, nisi caro animata sanguinem commutet: ergo longè minùs ex sanguine fiet animal, si semen, quod est principium actiuum, animâ careat. His subscripsisse prædicant Philosophum, dum semina, & conceptus animalium viuere dixit, nihilominùs, quàm stirpes, & aliquando prolifera esse. 2. De Gen. An. c. 3. L. c. c.1. Præterea indagabat ex professò, an semen haberet animam, nec ne: concludit verò tandem, *Semen igitur, & habere animam, & esse potentia, palam est.* Modum deinde, quo anima ipsi præsit, insinuat, exemplo Geometræ dormiẽtis, ita vt nullus supersit dubio locus, quin Aristoteles semen animatum certò sanciuerit. Eadem verò fuit mens, & Galeno. Lib. de Maras. Si quidem reponat semen inter viuentia, atq; tabescere asseueret, quæ tamen corruptio ex siccitate soli viuenti competit. 14. Meth. c.11. Functiones quinetiam ipsi tribuit, puta, nutritionem, cedente iam in eius alimentum fæmineo semine, 1. De Sẽ. c. ... verùm & tractioni obsequente materno sanguine. Hæc illi. 1. De fac. Nat. c.3.
Firmioribus tamen nititur præsidijs acies negantium. Ac primò: Vniforme intra se nullam habet actionem, sed extrinsecam tantùm: semen est vniforme: igitur nulla interna participabit actione, quæ tamen solis debet animatis competere. Huius rationis vim eludere nititur pugnacissimus Scaliger, De Subtil. difforme ratus semen, ex materię apparatu, vnde excoquitur: omnium nanque continet principia membrorum. Quod exemplo corroborat animæ, quæ etsi vniformis, ac simplex, principium tamen est multiplicis potestatis: ita vt non solùm diuersa possit, sed etiam contraria faciat. Sic conuincit, nec semen esse vniforme, nec ab vniformi vnicam expectandam actionem. At verò quæ opponuntur, nullius sunt momenti:

quan-

quantumuis enim diuersas mẽbrorum sanguis expertus fuerit impressiones; vnica tantùm inde resultat κρᾶσις in corpore homogeneo, vnicæ tantùm per se destinanda actioni. Anima verò nec difformis, nec vniformis dici potest, quum hæ sint differentiæ substantiæ compositæ competentes: potentias autem animæ ad lancem reuocare non est præsentis instituti. Secundò, Quod producitur de nouo, ex priuatione sui fit, vt album ex non albo: sed ex semine fit animatum: ergo ex non animato, & per consequens, ex non viuente. Petrus Garcia Carrera respondet, *quod si semen constituatur efficiens tantùm, verum est quod generatur ex priuatione sui, fieri tamen illa priuatio formæ debet esse in materia, non verò refert causam efficientem.* At hæc repugnant proprio instituto. Quomodo enim stabit priuatio cum habitu? si efficit per insertam animam, quomodo animæ habet priuationem? secùs non esset efficiens, vel in infinitum daretur progressus. Lapsum interim emenda: non enim fit, aut generatur efficiens, sed compositum. Prosequitur Carrera. *Quòd si dicamus, semen esse quinetiam causam materialem, veram esse maiorem, minorem verò falsam; quia non fit per se animatum in communi, sed hoc animatum. Vt quando fit Petrus, non fit per se primò corpus: ita licet in materia non sit priuatio formæ animati in communi, neque enim hoc est necessarium, satis tamen est priuationem illius singularis formæ, quæ producitur per se.* At dico ego, etsi futuram expectet vltimam formam, animatur tamen particulari animâ quâdam, ratione cuius adhuc viget argumentum. Verùm quoniam coincidit hæc opinio cum eâ, quæ vegetam tribuit semini; illuc propterea relegamus disputationem. Tertiò, Alimentum, vt tale, non est animatum: semen est alimentum; ergo non animatum. Maior probatur, quia nutritio, quæ fit per alimentum, terminatur ad esse animati, minimè verò controuersum est apud eos, semen esse alimentum testium. Huius argumenti vim, vt eludat Carrera, respondet, quòd maior si sumatur reduplicatiuè secun-

De Prin. Gen. An. c. 7.

dùm

dùm rationem formalem, eſt vera; non enim eſt conditio neceſſaria alimenti, vt habeat animam. Sin verò intelligas nullum alimentum eſſe animatum,tanquam repugnet,hoc negat; & rationem producit: quia cùm concedatur eadem anima in alimento cum illâ, quæ debet produci in materiâ,bene poteſt ſubſtantialiter mutari. At verò hucuſq; audieram, nec ſanguinem informari vegetâ, nec ſemen dici, quouſq; fuerit expertum vim teſtium. Quòd ſi admiſero ſemine nutriri,tunc dico, terminari ad eſſe animati, quum iam in ſubſtantiam ceſſerit partis, ita vt nunquam futura ſit vera propoſitio, ſemen eſt, vel erit animatum, ſi propriâ quis vtatur enunciatione, non translatitiâ. Inſignis verò lapſus eſt in Philoſophiâ,eandẽ ſupponere in vtriſq; terminis formam ſubſtantialem, expectare verò eſſentialem mutationem. Quarto, Inſtrumentum, vt tale, non debet habere formam principalis agentis:at ſemen eſt inſtrumentum: igitur animam non includet. Maiorem propoſitionem eâdem euitat reſponſione Carrera, admittens repugnantiam eiuſdem formæ in ſpecie infima ipſius inſtrumenti cum principali agente, aliàs non futurum imperfectius, habere tamen aliquam animam, hocq; eſſe neceſſarium, vt ſit principium generationis ſubſtantialis, dummodò illa, quæ producitur, ſit perfectior, & alterius ſpeciei. Quid patrabit, quæſo tua hæc anima? Quæ nam erit, ſi interrogem? Vegetam, dicet, nobilioris formæ pronubam. Caueat ſibi tamen moneo, ne obſtreticantem futuræ formæ conſtituat infimam, præſtantioris ſortis neſciam, quanquam abſolutam,nulliq; alieno muneri addictam. Nam quæ præeſt in ſemine virili vegeta, ſi vlteriùs percuncter, cuius ſit naturæ, & an conſtituat? ſi admiſeris indiuiduantem, riſum extorquebis ab Scaligero,qui Cæſarem ſe præfuiſſe betam dolet, & irridet. Supereſt vt genericã dicas.at verò tales actu exiſtentes abhorret Philoſophus, vniuerſale nanque, aut nihil eſt, aut quid poſterius, præter quam quòd formæ hæ vniuerſales vel ſunt Ideæ in doctrinâ

De ſub. til. in Cardan.

2. Phyſ. t.29.

Platonis, vel formæ abstractæ in Peripato: pręter has verò nullam est adinuenire in censu formarum substantialium. At neutræ introduci, excogitariue possunt in semine, igitur nulla in eo præerit anima.

Cap. VII.
Nouis, ac validioribus medijs excluditur Animatio Seminis.

QVæ hucusq; perpendimus, etsi cordatum quemque persuadere valeant, nouis tamen machinis nonnullorum peruicaciã expugnare decreuimus, quô ex Peripati penetralibus emicans lux, deuios, vel transfugas reuocet. Ac primò. Quod est alterius gratiâ, vt tale non est ens per se absolutum: semen verò sic se habere, sat testatum reliquit Philosophus, dicens, quòd ipsum generatio est, finis verò substantia. Præterea habitibus præsentibus cessat omnis motus, Stagiritæ monitu: verùm non cessat in casu nostro, sed irrequieto cientur motu semen, & Genitura: non igitur præsens est expetitus habitus, qui anima est. Vlterius ad hominem, & hoc ex conditione finis. Illum dicimus esse finem, & cuius gratiâ, in quem motus, si nulla res prohibet, terminatur: at finis motûs in semine existentis est substantia: ergo quotiescunque hanc nactus fuerit, cessabit motus; sed per te semen, quia animatum, iam est substantia, illaq; perfecta ob præsentiam formæ, quæ entelechia, & perfectio Aristoteli: igitur vel non mouebit, vel si mouet, non erit animatum. Tertiò, Eatenùs res dicitur esse in potentiâ, quatenùs nullum talem participat actũ: at semen Aristoteli non est nisi potentia: nullum igitur participabit actum. Præterea idem non potest respectu sui ipsius esse finis, & ad finem: sed si semen statuatur animatum, erit finis suimet: ergo si est ad aliud, non potest esse animatum: mi-

1. De P. c. 5.

norem probo. Semen eſt generatio, via, nempè, & in gratiam substantiæ, ad quam, tanquam ab finem, properat: ſed ſi eſſet animatum, iam foret completa ſubſtantia: igitur vel non erit alterius gratiâ, vel non animatum. Quod in minore aſſumo, facilè comprobo. Forma eſt principium, perfectio, & in ſummà, totum quod quid erat eſſe rei: ſed anima animatorum eſt forma: ergo omnem inducet perfectionẽ, atque complementum. Quod ſi obijciant materiam, alterum rerum naturalium principium, hanc tempore præceſſiſſe, conuincet Philoſophus, ratumq; eſt, ſi introducta fuit particularis forma, omnia etiam præceſſiſſe neceſſaria ad talem ſuſtinendam formam: Secùs darentur formæ naturalium corporum abſtractæ, indepẽdentes à ſubiecto, quum tamen ad aliam materiam alia dicatur forma; per ſe accederet inſuper, quod Summus negabat Præceptor: ſunt, enim, inſeparabiles. Firmâq; adeò lege naturales formæ ſubiecto alligantur, vt nec definiri, nec concipi abſque eo valeant. Quapropter Ariſtoteles, quod alibi præceperat, neceſſarium ratus, obſeruauit etiam in Animæ definitione. Si ergo ſemen includit animam, erit ſubſtantia perfecta, neq; vltra ſe in aliud ordinabitur. Et ſi hoc eſt falſum: igitur & antecedens. Verùm ſi preſſiùs rem hanc explicari cupis, audi Ariſtotelem. *Generatio finis ipſius eſt gratiâ:* ſed actus eſt finis: igitur eliciam incunctanter, generatio actûs eſt gratiâ. At ſemen, vt audîſti, non eſt niſi *generatio:* igitur carebit eo actu ad quem properat generatio; eſt autẽ is qui dicitur primus. Sextò. Semen omnes partes habet potentiâ, actu nullam: ergo Anima nequit eſſe in ſemine. Probatur illatio ex monitis Philoſophi. Quorum principiorum actio eſt corporalis, hæc ſine corpore ineſſe impoſſibile: ſed anima corpore indiget, illiuſq; organo, quum illius ſit actus: ergo impoſſibile eſt animam corpore organico carere. Septimò. Semen eſt excrementum alimenti vltimi mutati: at hoc in tantùm eſt alimentum, in quantùm patitur, & mouetur: ergo animam, quæ eſt principium

L. c. c. 1.
1. De P. c. 1.
2. De P. c. 5.
1. Phyſ.
2. De G. An. c. 3.
1. De Anima.
4. Meth. t. 15.
2. De G. An. c. 3.

agendi, non includet. Obijcies forsan semen, per se mouere, & agere, quod tamen redarguit Philosophus, *constituit*, inquit, *& mouet excrementum fœminæ eodem motu, quo ipsum mouetur*. Octauò. Quod fit, efficitur à mouente actu: semen Aristoteli est sola *potentia*: ergo nullam promouebit actionem propriâ virtute, nec erit animatum. Nonò. Facultas, & instrumentum mutuò se consequuntur: at semen caret instrumentis: igitur & facultate: inanimum proinde erit censendum. Decimò ad Peripati asseclas: si semen includeret potentiam actu perficiendam, secederet profectò in materiam fœtûs: at hoc est falsum: igitur & antecedens; *nullam* enim dicebat *esse partem constitutæ magnitudinis* Summus Sophiæ à secretis.

2. de G. An.c.4.

4. de G. An.c.1.

Cap. VIII.
Auctoritatibus exploditur Animatio Seminis.

QVod minùs, forsan, sperabant aduersæ opinionis patroni, primùm aggrediar, & Philosophi testimonium inconsultè ab eis productum aduoco in veritatis tutelam. *Sed habeat semen animam, nec ne, ratio eadem, atq; de partibus reddenda, nec enim anima vlla esse potest in alio, nisi in eo cuius est, neque pars alia esse potest, quod particeps animæ non est, nisi æquiuocè, vt motui oculus*. Quo ex mutuo inter animam, & organa nexu, sedulus perdende omnem adimi animationem semini. Licèt etenim illud sit corpus, ineptum attamen tanto muneri ipsum agnouit, dum indagaret, an omnes animæ præfuerint. *Neq; cum corpore*, puta procedunt, *semen enim excrementum alimenti mutati est*. Huc igitur properat Aristotelis ratiocinium. Quòd sicut non verè dicuntur partes, nisi informentur animâ, sic ipsa non iungitur, nisi proportionato corpori. Quale verò ipsum futurum sit, explicauit, vt par erat, in Animæ definitiòne. Ea enim est conditio formarum materialium, quod supra dicebamus, vt nec intelligi, nec concipi valeant pro-

2. de G. An.c.1.

Loc. cit. c.3.

2. de Anima.

proprio ignorato subiecto: ita vt illud *in eo cuius est*, supple forma, vel actus, æquipolleat potentiâ vitam habenti, atque organico. *Viuere etenim est eorum, quæ habent motum, & operationem ex se ipsis.* Audi proindè necessitatem organorum à Diuo Thoma, quam tamen sanus nemo Genituræ tribuet. *Diuersitas autem organorum necessaria est in corpore suscipiente vitam, propter diuersas operationes animæ. Anima enim cùm sit perfectissima inter formas rerum corporalium, est principium diuersarum operationum, & ideò requirit diuersitatem organorum in suo perfectibili.* Semen igitur erit improportionatum subiectum animæ, *habet enim omnes partes potentiâ, actu nullam*, seduxit verò illos, quod subsequebatur. *Semen igitur, & habere animã, & esse potentia palam est.* Quæ etsi luculenter à nobis explicanda sunt in posterùm, peruium tamen veritati reddebant ipsis aditum verba contextûs, in quo Aristoteles ex professò indagat formale, & efficiens principium, quod tamen semini denegat. *Sed enim huius*, .s. seminis, *nulla pars causa est generationis, sed quod primùm extrinsecùs mouit, id causa est.* Iurarem ego factiosos hosce nunquam attendisse Philosophi progressum in capite citato. Quæstionem proposuerat, quo pacto ex semine generetur planta, vel animal. Durum videbatur, extrinsecum aliquod non tangens, ipsum promouere, durius verò, vim aliquam, seu congenitum membrum semini tribuere. Soluit tandem dubitationem, ratus non esse inconueniens extrinsecum aliquod mouere non tangens; modumque describit, & exemplificat. Placet propria verba adducere: *Sed semen an id à quo semen dicamus nihil refert, scilicet qua motum, quem illud mouebat semen, in se ipsum continet.* Solam hic tribuit semini citationem, ab extrinseco principio impressam, quod etiam confirmat in progressu. *Id, à quo semen, aut quod semen efficit, mouet, cùm aliquid tetigerit, quanquam non adhuc tangit: & motus, qui inest, quodam efficit modo.* Palam verò cuiq; esse potest, nullam ipsum agnouisse animam in semine, secùs enim proprio,

D. Th. 1. de anima cap. vlt.

2. de anima c. 1 1.

2. de Gẽ. An. c. 7.

atque connato moueretur motu, non alieno: Vlteriùs rem enucleat, noſtramque obſeruationem confirmat. *Igitur aliquid eſſe quod efficiat, ſed non ita vt hoc quicquam, nec perfectum ineſſe primum agens apertum ita eſt.* Verſatis in Peripato conſtat, *hoc quicquam* æquipolleret eſſentiæ, atq; formæ præſenti, quam abſolutè denegat ſemini. Imperfectum equidem dicit ineſſe efficiens, at non formã, vt malè intelligebat Bronzerius, quoniam abſens, neque contangens operatur. Hanc ille ratus ſemiformam, actuq; primo labefactatam, ex carentiâ organorum, actu quinetiam ſecundo orbari exiſtimabat. At contrarium conuincit Ariſtoteles; vt enim primum actum à ſemine excludit, ita legatitiam ſecundi non mutilati agnoſcit. Quid enim aliud eſt in vniuocis cauſa efficiens, quàm forma in operationem erumpens? Alexandro *etenim quæ naſcuntur, propter formam, & inſitam ſibi vim naſcuntur.* Inſuper quî fieri poteſt, vt actus, & imperfectio conſentiant, ſi anima eſt Entelechia? Præterea neque ab actu primo imperfecto emanabit ſecundus perfectiſſimus. Proſequitur Philoſophus. *Semen igitur motum habet, & principium tale, vt motu peracto pars exiſtat quæque, eademq; ſit animata.* Simul igitur & ſemel totum reſultat compoſitum, nullo præcedente proprio actu: præter ſolam motionem, illamq; non intrinſecam, verùm ſemini impreſſam: quod & ſequentia indicabunt verba. *At ratio, qua iam caro, aut os eſt, non poteſt; ſed à motu proficiſcente efficitur ab eo, quod genuit, quodq; actu eſt id, quod potentiâ eſt id, ex quo gignitur.* Confirmauit quinetiam hæc Ariſtoteles in *lib. de Animâ. Non eſt autem*, inquit, *potentia viuens, quod abiecit animam, eâq; vacat, ſed id quod ipſam habet. Semen verò, fructuſue id nimirum eſt, quod poteſt tale corpus euadere:* quanquam in Metaphyſicis ius hoc extenuat. *Terra ne homo eſt potẽtia, aut non, ſed magis, quum fuerit ſperma. Ne hoc adhuc fortaſſis.* Et rectè, nam de proximâ inſtitutus eſt ſermo; proximè verò diſpoſita eſt fætura ad naturam humanam accipiendam, quum organa congrua, & neceſ-

4. met. c. t. 19.

Loc cit.

Metaph. 9. c. 7.

ſaria fuerint abſoluta. Quæ etiamſi patentiſſima ſint, ſeductus attamen philautiâ Ludouicus Mercatus, in dubium reuocat, vimq; lucidiſſimæ ſententiæ infert, admittens non viuere ſemina, quo ad actum ſecundum, quoniam non ſunt organica. At Philoſophus, tunc ſolum primum reſpiciebat actum, nec vitam denegat ſeminibus; immò neq; organa ſimpliciter expetuntur pro ſolo actu ſecundo; qui eſt forma operans, verùm ipſamet forma in primo actu pro ſui receptione expetit tale ſubiectum organicum, ſic conuincebat loco citato, prouidaq; Natura facultatem ſimul, & inſtrumenta tribuere non detrectat: quinimò aſſeuerabat, *ſi nihil animæ eſt, quod non aliqua ſit in parte corporis, vt animata quoq; pars aliqua ſit conſequi.* His ſi adnectas, quòd *nulla pars in ſemine condita eſſe poteſt,* conſequetur neceſſariò, ſemen nullo pacto includere animam. Neque pigebit admonere Peripateticos aduerſę opinionis fautores, præſentis contextûs occaſione, quòd ſi nulla præcedit pars in genitura, vel quod alibi, ipſum membrorũ ſtructuram minimè ingredi, ſed opere abſoluto euaneſcere, abſurdũ illud conſequetur, irrepentē hanc animam, abſq; materiæ cognatæ conſortio, per ſe accedere, ſe ſuſtinere, ac pro libito tranſmigrare in conceptum, Pythagorico metampſychoſis monſtro. Nôn enim contineri formas naturales exiſtimamus, vt aurum Plautini Euclionis in ollâ, vel alienâ in materiâ etiam latitãtes per æuum ſeruari, etſi noſtrâ ætate Luciani fabulæ ſuos nactæ ſint patronos, quibus tamen itũ eſt contra in noſtra *Multa Mulctra.* Paria aduocat abſurda imperfectorum animalium generatio: nam quum ſemine careant, vel animam cõmunicabunt ſolitariam, vel ad ſummũ, cum vapore eã efflabunt. Conſtans quinetiam Ariſt. talis ſemper fuit mens, ſiquidē in Diuina Philoſophiâ: *Dico autē hoc pacto hominē, qui quidē actu iam eſt, & tritico, & vidente materies, & ſemē, ipſumq; viſiuũ tempore prius eſt, quæ ſanè potentia quidem ſunt homo, triticum, atq; videns, ſed nondũ actu.* Addam, quòd omnem eliminat peruicaciam, *motus Na-*

Quæſt. 98.

De Gen. An. 4. c. 1.
2. De Gē. An. c. 1.
Loc. cit.

C. 20. 2. c. 3.

9. Meth. c. 14.

De Gen. An. l. c.

turæ in ſemine eſt, ab alterâ profectus naturâ, quæ actu obtinet formam. Poterat ne apertiùs Philoſophus actum à ſemine excludere. Summus verò, ac germaniſſimus Ariſtotelis interpres Alex. Aphrodiſ. in comm. illius contextûs Diuinæ Philoſophiæ. *Principium motûs eorum, quæ naturâ conſtant, eſt forma, quæ quidem ineſt aliquo modo, aut potentiâ, aut actu,* ſic explicat. *Deindè hanc principium motûs eſſe ait, quæ natura conſiſtunt, cum inſit aliquo modo potentiâ, vt anima in ſemine concepto, actu, cum animal iam eſt.* Et in quæſt. natural. *Semen, enim, eſt potentiâ animatum, cùm poſſit fieri huiuſcemodi corpus, cuius anima eſt perfectio,* & in Metaphyſ. *Puer iam formam habet, atq; actum, ſemen non habet, ſed habere poteſt.* Iniuriâ proinde Philoſophum afficiunt, qui contrariam opinionem ipſi tribuunt.

Lib. 4. c. t. 91.

Lib. 2. c. 25.

9. c. t. 15.

Cap. IX.

Opinio Iulij Scaligeri, Semini perfectas tribuentis Senſitiuam, & Vegetam, examinatur, & conuellitur.

HÆc vniuerſim diſputantes candidè eruimus ex intimo Philoſophiæ penu: ſupereſt modò, vt particulares meditemur exercitationes. Præſens nanq; diſputatio acerrima ad ſe iam pellexit ingenia: quorum Anteſignanus ſubtiliſſimus Iul. Scaliger, putauit perfectam ſubire cuiuſcunque animantis formam ingenitum, præterquam intellectus: ita vt caninum ſemen ſit canis abſolutus, ſolâ organorum indigens diſtinctione. Sic canis, inquit, non gignit, cùm naſcitur catellus, ſed dum ſemen gignit. Quod autem neque tunc ſiat manifeſtum dicit. Siquidem multi obiêre diem vel in ipſo coitu, vel priuſquam ſemen in vtero diſponeretur, aut afficeretur. Quæ opinio vel Epicuri redolet ſcholam, ſemen dicentis conuulſum quoddam à corpore, & animâ; vel monſtroſum De-

De Sub. in Card. c. 290. Excer. 6.

Plat. de Phor.

mo-

mocriti placitum, ſcilicet in venere hominẽ alium ex homine exilire. Obijciebet verò ſibi Scaliger talem hæſitantiam. Si in ſemen informe introducas ſtatim intellectum, erit ſemẽ, v. g. homo ſub formâ perfectâ, materiâ imperfectâ, quod falſum, & abſurdũ eſt. Reſpondet, verum eſſe de Canis animâ, quæ materialis eſt, vnam, eandemq; eſſe in ſemine, & in cane, neq; plãtæ vitam primum viuere, niſi quia caret inſtrumentis. At in homine prouenit à Cęlo poſt fætûs articulationem, quę cum omnes ſecũ ferat perfectiones, neq; neceſſe eſt antegreſsã manere, neq; propterea mori dicitur fœtus, quando nullum intercedat temporis interuallum inter vitam priorem, atque poſteriorem. Verùm hæc non tollunt difficultatem, ſed adaugent. Siquidem vnaquæq; forma aptam ſibi expoſcit materiam: neq; verebitur quiſpiam fateri, ſub generica definitione Animæ contineri etiam intellectum. Quapropter etſi in propria operatione nullo forſan corporis vtatur inſtrumento; nemini tamen dubium, præuias ſibi expoſcere diſpoſitiones, quàm infundatur: non enim in nuda recipitur materia. Præterea neq; minùs abſurdum emergit, ſi materialis anima canis perfecta in ſemine ſupponatur, quòd forſan intellectui immixto, atq; immateriali condonarem. Illud inſuper non diſſimulabo, nullum me adhuc obſeruâſſe ipſi Scaligero refugij locum, dum hæc admittit, atq; prædicat, Animam intellectiuam non præeſſe in ſemine, non ſtatim infundi; ſemen verò nec per propriam formam properare in generationem. Nam ſi animæ hoc deneget, tantò minùs excremento inanimi; ſi quid verò ageret, generaret ſemen ſibi ſimile. Reliquum igitur erit, vt per adiunctas Vegetam, & Senſitiuam, articuletur fætus, futurus homo. At quod paulò infra interdicit vegetanti, denegabit cordatus quiſque ſenſitiuæ, fruſtra laboraturæ in gratiam ſuperioris intellectûs. En ipſius verba. *Non enim vegetatrix fabricare plura poteſt, quàm, quæ cognoſcit; at non cognoſcit altrix, ea quæ interſunt ſenſuum. Itaque oportet has à ſenſitiua fabricari.* Tum ſic.

Plin. lib. 28. c. 6.

Loc. cit.

Si

Si intellectus non præcedat, ergo nunquam articulationem consequetur fætus. Probatur consequentia à sufficienti partium enumeratione. Non semen ex se potens est, neq; inferiores assidentes formæ, informis proindè remaneret: sed articulatus est conceptus; igitur vel intellectus præcessit, & sic non extrinsecus aduenit, vel incolet semen informe; quod iure euitabat, vel de foris adueniens nunquam introducetur domestico destitutus apparatu, vel id præstabunt inferiores formæ, quod existimat impossibile, aut tandem articulatio hæc suo carebit opifice. Tales consequuntur contradictiones, & absurda, seminis animationem.

Cap. X.

Reteguntur, & confutantur errata Iul. Scaligeri.

AT verò neque præteribo exercitationis gratiâ, quæ subtilissimus vir nouo, ni fallor, ausu in Philosophiam inuexit. Ac primò, intellectus, inquit, quum secum aduehat omnes perfectiones, non est necesse antegressam formam manere. Verùm si vnicam expectat formam, præcedenti omnem denegauit locum, proindè vt in hanc auarus, sic in posteriorem prodigus nimis, atq; profusus. Siquidem perfectio quælibet proprium respicit perfectibile, idque exornat: sed intellectus de foris adueniens, corruptis præuijs apparatibus in non tempore recipitur: igitur nequit in non tempore proprium aptare subiectum, tantoq; minùs recipi in nudam materiam. Aduersantur insuper hæc summo Præceptori, qui Embryoni plures, ac subordinatos vitæ gradus constituit, decedētibus verò his, vegetam, & sensitiuam docet esse superstites. Refragatur quinetiam hæc positio fidissimo experimento; eædem nanque obseruantur partes, tum ambientes, tum internæ, ante, postq; aduentum animæ intellectiuæ. Ex quibus tale deduco ratiocinium. Partes hæ propriæ substernuntur formæ, priusquam adue-

adueniat anima intellectiua, ergo eâ præsente, vel eminenter ab ea continetur cum præcedentibus formis, tamquam vitæ complemento, quod Scaliger non admitteret, vel his corruptis corrumperetur compositum, quod idem numero impotens erit sub noua inueniri forma. Et quando iure quis obijcere potuisset, vitâ functum Embryonem, per animam intellectiuam reuiuiscere, superfluo labore, & inaudito in Philosophia monstro, occurrit Scaliger, negans hoc contingere, *propterea quòd nullum intercedit temporis momẽtum inter vitam priorem, & posteriorem*, Officit verò Auctori hæc euasio, & grauiora minatur pericula. Si quis nanq; curiosè percunctetur, viuit ne tunc fætus per vnam, eandemq; formam, vel per nouam? Si postremum, vt par est, admiserit, ergo non nisi priori deletâ: consequens proinde erit, vt corrumpantur etiam operationes, quarum princeps vita. Hinc verum eliciam effatum. Sensitiuâ adueniente, recedit Vegeta: vita igitur Vegetantis perijt, & quatenus vegetans mortuus est fætus. Secùs vel non vera mutatio per nouam formæ introductionem, vel formarum aggregatio, quam tamen Scaliger repudiaret, immo vitam vegetantis abolitam non inficiatur. Verum enimuero, etsi admisero viuificari fætum per nouam aduenientem formam, nullumque insuper intercedere tempus, non erit à morte immunis fætus. Quæram nanque, formæ hæ, quo sub censu apud te sunt? Si excludis, vt par est, accidentis, reliquæ erunt solius substantiæ: igitur ad harum corruptionem nõ manebit idem numero subiectum, hoc enim proprium est accidentium, vt absint, & adsint præter subiecti corruptionem, ita vt etsi vltimum non esse illius, nullumq; intercedat tempus inter formam priorem, & posteriorem (secus daretur aliquando materia informis) corrumpi tamen dicetur subiectum, atq; compositum, & per consequens mori. Aptissimo, ni fallor, explicabo exemplo. Ex brassica viuente fit eruca viuens, & sentiens. Si pars brassicæ, quæ cessit in Erucam, mortua non est: igitur vera erit enuncia-

tio,

tio, eruca est brassica; at falsa dubio procul est: igitur abolitâ formâ, corruptum fuit proprium subiectum, sicq; vita communis vtriusq; effectus, desijt. Hæc etsi verissima, acriùs tamen eum vrgent, qui os cadaueris sustinet aduersùs Fernelium, non esse idem, neq; formâ, fine, aut materiâ cum osse viuentis; ita vt sua nunc ipsi verba reddam. Vna est in viuente forma, qua vnum est, ergo ea recedente non erit idem numero corpus. Accidit verò quum iam interierit, nouam ex noua introducta forma nancisci vitam, priore iam euanescente ad veteris formæ internecionem. Quapropter etsi nullum intercesserit tempus inter vitam priorem, & posteriorem, verè tamen perijt compositum, neque idem numero seruari potuit sub vtraque forma. Hæc, si viueret, boniq; consuleret integerrimus vir, ex lata à se lege, *Nihil commodius*, dicebat *euenire posse, quam ciuilem, scitumq; castigatorem.*

Exerc. 52.

Exerc. 226.

Cap. XI.

Noua Recentiorum proponitur, & refellitur opinio, existimantium, Vegetam à matre, Sensitiuam à patre, fœtui communicari.

NEq; patiar diutiùs eam à Recentioribus inuri Aristoteli notam, vt Vegetam à matre, sensitiuam à parente fætui per semen induci existimârit, quando constans semper fuerit illi mens, marem, & fæminam potentiâ quâdam, & impotentiâ definiri. At si vegetam tempore priorem introducat fæmina, nonne frustraneam, vel ociosam fore quis dixerit, præter naturæ morem, atq; instinctum. Aut hæc fatearis necesse est, aut falsi insimulare Præceptorem, qui vim omnem agendi fæminæ constanter ademit, His consonant quæ subdit. *Quod autem recipit, nec potest constituere, & secernere fæmina est.* ita vt omnem formandi vim deneget fæminæ, mari verò tantum

4. De Gen. An. c. 1.

Loc. cit.

tùm referuet. *Quod enim potest concoquere, & constituere, & secernere semen, atq; principium obtinet formæ, id mas est.* Quæ alibi enucleatiùs statuerat, *corpus ex fœmina esse dicens, animam ex mare. Fœmina materiam præbet semper, mas vim creandi.* Et vt intelligas, quam, qualemue materiã exponat, addit, *menstrua semen sunt, quanquam non purum, illud .n. non habent principiũ animæ, atq; originem.* Ne pigeat, quæsò te, Lector, parumper gradum hîc sistere, mecumq; rem intimiùs speculari, ne dicar iniquus solitariam hanc in Vegetam. Dubiò procul maternus sanguis intra venas vteri cõtinetur, nõ in illius cauitate, secùs grumesceret, quod experiuntur malo cum suo sæpè mulieres cuiuscunq; sortis. Galeni obseruatu mittuntur menstrua, non trahuntur in vterum, secùs quàm contingit sanguini conceptum constituẽti. Trahi illum, atq; elici placidâ quâdam vi Genituræ, placet Peripateticis, irrigari prouidæ Naturæ instinctu, producta ex seminis corpulentia primæua stamina, atque subtegminis munere sanguinem puriorem fungi, placuit, placetq; Medicis. Rata hæc sunto. Amabò mecum diuerte castus muliebres in loculos, comperies illos vacuos, inhiantesque proijciendæ Genituræ. Postquam verò cupitâ perfruuntur substantiâ, mox contrahi, arctissimoque nexu complecti aduenam, curiosissimè interim obstructo ostio. His peractis affluit confestim benignus humor, promptus in obsequium, Coi Dictatoris, & Pronepotis Stagiritæ obseruatu. Duo percunctor, statimque congredior. Dic sodès, præbetne generans sentientem Animam solitariam, an verò & cum Vegeta? Aut sentiens illa continet eminenter vim omnem Vegetantis? Quâ constantiâ tandem sanguini Vegetam tribuis, qui sanguinem inanimatum prædicabas dudum. An tibi Vegeta anima non est, & nouo ausu Stoicis subscribis, Naturæ nomenclaturam illam honestantibus? Confero tandem manus, breui peracta velitatione. Caue tibi, mi homo. Superuacanea est materna Vegeta, inutilis, forsanq; impedimento. Quod superest, nul-

la

2. De Gen. An.

la est in sanguine separato, quin merum euadit, purum, putúq; figmentum. Vacat illa in primis ob præstantioris præsentiam: siquidem vacua iam consedit in Arena sentiens Anima, paterno semine vectore, quæ Altricem, vel habet comitem, vel nobiliore modo illius vice fungitur. Inutilis est, non tam sibi ob proximam ruinam, quàm & comiti materię, impoti omninò iacere duplici sub præfecturâ. Quapropter mirari nõ desino doctrinæ Peripateticæ addictos supposuisse opinionem iactis repugnantem fundamentis, & Principis reluctantem effatis. Labuntur verò in plano Aristotelis contextu *cap.4.* vbi dubitationem soluens, cur fæmina ex se non generet, si materiam præbet, atq; anima non orbatur, respondet quòd solus mas introducit sensitiuam, per quam constituuntur animalia, fæminis verò ouiparis, vix illud reseruatur, vt vegetæ potentiam ouis largiantur. Quis inde eliciet, sensitiuam solitariam Gallum cõferre: vel etiam hoc absurdissimo in ouiparis admisso, quis tãdem menstruo sanguini vegetam concedet? ita vt vniuersalem eliciat propositionem: mas sensitiuam, fæmina vegetam semper tribuit. Quantùm verò est de Præceptoris enunciatione, vlterius alibi illius mentem prosequemur. Corruunt proinde directæ in Aristotelem machinæ, atq; iniustæ censuræ.

Cap. XII.
Animæ rudimenta non præesse in semine.

Sect.2. PRopiùs collimâsse visus est Doctissimus Io. Hieronymus Bronzerius, dum principium effectiuum semini insitum inuestigaret. Nactus siquidem has propositiones, Motum generantis semini inesse, moueri semen, ac properare ad perfectionem, ipsi verò non organizato ἐντελέχειαν non se communicare, tandemque semen, & habere animam, & esse ad ipsam in potentia, in hanc deuenit sententiam, quòd in semine includatur inchoamentum aliquod, & pars animæ, quæ futura

est

est aliquando absoluta, atq; perfecta. Quoniam verò multis scatere difficultatibus obseruabat reuiuiscens hoc placitũ, non vulgaribus proindè rationum momentis, illustribusque patronis se communire studuit vir prudens: ac primò. Generans imprimit semini potentiam mediâ facultate concoctrice, ergo non absque principio vnde talis facultas oritur: at formã perfectam excludit ineptitudo apparatus: igitur solùm supererit rudimentum. Vberiorem vèrò fidem proprio placito conciliaturus, altiora expiscatur suffragia. Motus, inquit, & terminus non differunt, nisi perfectione, & imperfectione: sed terminus generationis, est forma substãtialis: ergo motus ad hanc erit quædam imperfecta participatio formæ substantialis. Et quoniam intelligebat meritò sibi obijci posse, motum hunc haberi pro alteratione apud probos Peripati asseclas, tum sic copias instaurat. Alteratio, quæ ad formã substantialem est instituta, habet pro termino, in quem desinat, formam substantialẽ: igitur non poterit non participare eius termini naturam. propter quod à mera,& simplici alteratione debet distingui, cuius terminus est accidentaliter alteratum esse. Insuper Contraria illa, inter quæ sequitur mutatio, sunt veluti terminus communis cuiusdam viæ, quâ ire, & redire necesse fit, si ab altero extremorum sit discedendum, atq; ad alterum commeandum. Sed eiusmodi dispositio, ob quam vnum contrarium, si contingat mutari, in alterius necessariò naturam concedit, rudimentum, seu participatio quædam naturæ contrariæ non immeritò nuncupatur: ergo rudimentum in materia, ex qua aliquid est faciendum, necessariò desideratur. Parùm verò ab hoc deflectit, quod dicebat. Non ex quolibet fit quodlibet, sed ex eo opposito tantùm, quòd secum naturæ, saltem, proximi generis communionem, & sympathiam habuerit: sed illud oppositum est priuatio: ergo includet communionem, atque sympathiam: at hoc nil aliud est, quàm participatio quædam ipsius formæ: igitur priuatio includet rudimenta, atque in-


1. De Gen. & Corr. t. 5.

inchoationem formæ venturæ. Quumq; ſemen ad animal abſolutum ſe habeat vt priuatio, includet proinde gradum aliquem, & animæ delineationcm. Hæc ſunt potiora media, quibus ſuum roborat placitum. Authorum verò teſtimonia volens, lubenſq; prætereo, ne Lectori ſim tædio, quem tamen illuc relegamus.

Cap. XIII.
Nudatur Priuatio ab omni formæ gradu.

PRæuia hæc formarũ rudimenta æquiùs forſan introduxit Arabum Schola, etſi damnata opinione, quàm nouitium hoc placitum, antiqua reuocans abſurda. Generationem equidem ſuſtulit, qui vnum ens omnia cenſuit, at ſolam alterationem agnoſcit in naturalibus, qui certos venturæ formæ conſtituit in materia gradus, priuationi ancillantes. Quî enim fieri poteſt, vt quæ maximè diſtant, ſymboleitatem, aduerſarijq;
1.Phyſic. portionem includant? Quum tamen vbiq; Summus Præcep-
1.De Gẽ. & Corr. tor inter contraria verſari mutationem nos doceat. Verùm, ſi quis curioſus talis contrarietatis cauſam rimetur, ſatisfaciet Primus Philoſophus, teſtatus oppoſitas differentias ſpecierum conſtitutiuas, neceſſariò eſſe ſub eodem genere. Neque generis hæc communitas hoſtilitatem mulcet, quod ſibi perſuadebat Bronzerius: quinimo nouitatis origo hinc prouenit, deſperatq; Philoſophus conflictum, ſi ſub diuerſo conſtituantur genere. *Nihil enim patitur calidum à dulci*: quæ promptum erat ab Ariſtotele ediſcere loc. prædicto in lib. de Generat.
1. t. 50. 51. Quapropter tantùm abeſt, vt Priuatio ſit inchoatio formæ abſentis, vt propria eius quidditas ſola conſiſtat in formæ ven-
1.Phyſ.t. 75. turæ carentia, atque abſentia. Inſuper materiam non ens per accidens agnoſcebat Philoſophus, priuationem verò per ſe non ens, nec propè, nec quodammodo ſubſtantiam, quòd omnem denominationis logicam, atq; futilem anteuertit fugam,

gam, vt sequenti capite dicemus. His consentientes quisque experietur celebres Authores. Alex. namque Aphrodis. enunciabat. *Neque enim si forma esset materiæ præsens, priuata esset ipsa, neque si non haberet aptitudinem ad ipsam ob id igitur quòd non secundùm aliam potentiam quàm illam, quæ est ad hanc, mutatur ipsa in hanc, ob hoc singula eorum, quæ generantur, ex propria priuatione dicuntur generari per mutationem eius quòd subijcitur.* 2. Q. Nat. 11. Ijs attexuit: *Quoniam ergo materia primorum generum contrarietatum est receptiua, & si est cum aliquo, vel quibusdam horum, necesse est, ipsam, quando aliquid horum non habuerit, sed in priuatione huius fuerit, esse cum altero contrariorum, in contrarijs ipsorum generibus existens, erit necessariò in horum priuatione, & quousq; in illo fuerit, manet etiam in priuatione.* Habeat & hæc superpondij loco. Loc. cit. quest. 15. *Nulla siquidem res est simul contrariorum receptiua, neq; materia ipsa, quæ ad contraria æqualem sortitur potentiam, non ita eodem modo, & vtrumq; simul recipere potest.* Quæ modò perfunctoriè obseruauimus, etsi omnem excludant, ni fallor, formæ in priuatione rudimentum, non verebor tamen aliud fateri inter eas cõmercium longè præstantius. Priuationi nãq; à forma suppeditatur esse, & hæc vnica causa agnoscitur efficiens, cuius fauore Priuatio entibus adnumeretur, nam abeunte formâ, priuatio protinùs esse habet. Quo in sensu, etsi aduersarijs parùm commodo, non inficias ibo priuationem, non tantùm esse aliquid formæ, verùm omne quod habet, illi acceptum referre. Subscribam tandem impunè Aphrodisæo dicenti. Aph. 6. meth. *Si forma substantia est, largitrixque, & causa priuationis, dubium non esse, quin forma sit priuationis forma.*



Cap. XIV.
Formarum inchoamenta in Generatione conuelluntur.

QVô rudimenta illa animaſtica firmaret prouidus vir, aſciuit quinetiam ſibi auxiliarẽ generationis progreſſum, cui etſi tribuit rudes has formarum portiones, mox omni actu ſpoliat, atq; nudum relinquit ſubiectum tanquam non ens, perficiendum mox ab vltima forma. Tolerabilius forſan fuiſſet varias admittere formas, totum aliquid integraturas, quàm formæ ſubſtantialis gradus imaginarios, & impoſſibiles ſibi fingere, proq; arbitrio ſubiectum ditare, atq; depauperare. Equidem in ea ſolùm mutatione, quæ fit de ſubiecto in ſubiectum, quilibet introductus in aqua, exempli gratiâ, caloris gradus, ſubiectum denominabit, etſi ad ſummum properet: nam idem numero ſubſiſtens agnoſcit cõpoſitum, vario tamen caloris gradu inſignitum. Sic Antiquiſſimus Auctor libri de Diæta diſtinguebat. At verò Generatio quum ſit mutatio de non ſubiecto in ſubiectum, ſi quem nanciſcatur formæ ſtatum gradum, is ſubiectum perficiet, & denominabit; ſecùs ſi fiat, nec formæ ſubſtantialis ſub cenſu erit illa numeranda. Sed hæc leuiuſcula. Grauius eſt, quod materiæ diſpoſitiones quis cum forma confundat, neque mera exiſtimet accidentia, ea de cauſa præſertim, quòd vnicuiq; formæ ſua debeatur materia. Siquidem apparatus hi omnes vnicam exornant materiam, & ad illam referuntur, ſaniorum vnanimi conſenſu, præter id, quod ſunt ſoboles efficientis, qui propriã introducere nititur formam, medijs affectionibus quibuſdam famulantibus, præcipuè primis qualitatibus. Neminem latere arbitror, ad ſubſtantiam non eſſe motum, quoniam deſtituitur contrario; viceq; verſa, neque ſemet introducere immediatè

[Marginal notes: 11. Meth. c. 3. — Meth. 1. loc. cit.]


va-

valebit forma, verùm propagationis appetitum, qualitatum satellitio, explebit. Dum hæc peraguntur, formam non introduci, vel Simplicius ab ipsis adductus sanciuit. *Et est*, inquit, *etiam id quod intercedit tempus, sed non est hoc tempus formæ, nōdum enim est*. At quomodo potest esse motus, & successio in ijs, quæ secundùm contradictionem cientur: quanquam non ignoro, alio sensu dici mediam generationem inter esse, & non esse. Quid igitur, inquies, non ne præcedunt velites ij, quibus nullum aliud negocium potest demandari, quàm vt introducant formam secùs ex priuatione in instanti erupturam? Non ero iniurius profectò, si officium iniunctum à te, prioribus adimam, neque si subitam eruptionem admittam: habeo enim patrocinantem Alexandrum. *Ne formæ quidem particures*, inquit, *generantur, propterea quòd licèt cum materia distendantur, partium tamen expertes sunt: quod autem partibus vacat, id quomodo potest generari? cum sit omne quod generatur, partium compos. Diuiditur enim in partem prius generatam, & in partem post generandam. Nam quod de domo diximus, quæ vltima tegula imposita fit, idem licet in globo æneo notare, nunc enim vltimus ictus, qui æri ab artifice incutitur, in formam redigit.* His consentanea posteriùs docebat. *Ex quibus planum efficitur, speciem, seu formam, quæ sensibilibus efficitur, non adduci in esse per generationem, sed natura, quæ in materia inest, materiam alterante, ac efficiente puncto temporis, atq; indiuiduo momento in ipsa generari.* Constat igitur, neque formam per partes introduci, neque adduci in esse per generationem, verùm nixu efficiētis in non tempore induci. Quomodo verò anteambulones illi, atque præcursores non sint dicendi pars formæ operantis, aut venturæ, patebit in solutione ad argumenta.

L. cit. 3. Phys. t. 8.

11. Meth. 1. C. 3.

6. Meth. C. t. 17.



Cap. XV.

Animæ rudimenta à Semine relegantur. Diluuntur rationes.

QVòd si neque Priuatio includit oppositæ formæ portionem, sed omnimodam dicit carentiam, neque forma per partes acquiritur, sed in instanti emergit, consequens profectò erit, vt cùm ex semine, tanquam ex termino, generetur animatum, sitq; via quædam, vel vt alibi cum Arist. dicebamus, nuda potentia, nullam proinde formæ introducendæ includere portionem, vel inchoamentum. Accedit quòd Anima, vel ipsius Bronzerij depositione, nonnisi organizato corpori aduenit, sic enim statuit, *non antea formã, quàm materiam, corpusque organicum produci, adeoq; materiam quamlibet omnibus dispositionibus instructam ad omnes, & cuiuslibet formæ materialis definitionem spectare, neque animam posse esse principium agendi sine organis.* At semen per te est corpus similare, minimèq; diuiduum in partem mouentem, & motam: igitur omni actu animæ carebit. Hoc argumentum, etsi opponatur simpliciter ponentibus animam in semine, ad hominem tamen maximè valet, quum deducatur ex confessis. Neque subterfugiet eius vim, imperfectum actum obijciendo: nam qualiscunq; sit respectu termini à quo, perfecturus est semper, atque absoluturus subiectum; ita vt etiamsi respectu posterioris se haberet vt potentia, non desineret tamen esse actus, atq; perfectio: quæ quidem opinio cum prima coincideret. Illud pro comperto habeo, quod alicubi docebat Alexander. *Potentiam alicuius habere est, nondum in illo esse, sed posse in illud mutari,* sequetur igitur inter partes eiusdem formæ mutatio, tanquam inter terminos, sicque idem sibimet erit contrarium, vel oppositum. Quòd si lacessitum hunc actum, non tantùm respuam, ve-

Sec. 1. c. 15.

2. Q. nat. 15.

verùmpernegem ne dum proximam consequutum fuisse potentiam ipsum semen, nonne consentientē habebo Aristotelē? En ipsum loquentem. *Et semen nondū potentia dicitur, sit enim in alio, atq; mutetur oportet: quando verò per suum principium iam tale est, id iam potentia est.* Quid verò semini tribuerint Græci non ignobiles, & quem agnouerint modum progrediendi de imperfecto ad perfectum, audi. *Et alioquin si via procedit opificium ab imperfectioribus ad perfectiora, neq; aliter superiores vitæ adsint, nisi inferiores prius extiterint. Est autem primò inanimatum, deinde vita vegetatiua, planta nimirum, deinde irrationalium, & vltima rationaliū cōsiderare oportet, quod eo opificij ordine natura vtitur. Postquam enim coactū, & concretum fuerit semen, id conflatum, & compositum fit inanimatum, deinde instrumentis præditum in initio plantæ simile est, sensûs interea expers.* Ades dum, paucis te volo. Quo suasore mutilam introducis animā? Quæ necessitas adegit te, quin & reliquos Animæ cuicunq; parùm æquos, vt incongruo illam mancipares ergastulo, reclamantibus Priscorum manibus? Dices forsan, quoniam bruta res est semen, tantisq; muneribus impar. Hoc est quo de in præsens disceptatur, vosq; tanquam ratum assumitis, neque veremini insuper pari errore noua, & superuacanea introducere entia in naturæ ditionem. Quid est vestrum hoc *brutum*, quod semini obtruditis? Audio obijci ineptitudinem, ignorantiam egregij operis perpetrandi. Percunctor, cur non & anima quælibet, bruta res est? quæ vix longa assuetudine organorum callet vsum, structuram ignorat vel ipse intellectus penitùs, donec oculata inspectione rem assequatur. Fabrefaciet, inquies tu, aptum sibi corpus: hoc est quod disquiritur, & ab Aristotele negatur: quandoquidem anima actus est absoluti corporis, omnique apparatu exculti. Quî verò potest Vegeta noscere, quæ deceant, aut expetantur pro sublimior s animæ aduentu: datâque notitiâ, quî potest vltra propriam sortem, limitesque, præstantissimam delineare, atque absoluere

9.Metap. t.12.

Io. Grā. 2. de Anī ma c.t.3.

machinam? Sin externum aduoces Promotorem, iam recidis in Præceptoris sententiam, quam tu deuius quoties declinâsti, toties lapsus es pudendo errore. Redeo nunc, & ego in viam, quam coactus reliqui, soluamque argumenta adducta pro inchoatione formarum. Erat primum. Generans imprimit semini potentiam, mediante facultate concoctrice: igitur non absque insinuatione facultatis. At perfectam impedit apparatus ineptus: igitur lacessitam. Pro solutione, quicquid sit de facultate hac tua imprimente, negatur consequentia: non enim quilibet effectus exigit præsentem causam, immo nec sibi superstitẽ, vt inferius dicemus. Proponebat secundo loco, motus, & terminus non differunt: sed terminus generationis substantialis est forma: igitur &c. Respondeo, quòd neq; formæ substantiales generantur, vt dicebamus cum Alexandro, si presse loquamur, neq; ad eam est motus, sic concidit minor. Tertium, quod petebatur à præuia alteratione, sic dissoluitur, nam huius intrinsecus terminus, & per se, est facere alteratum, quod & ipse fatetur, extrinsecus verò, & per accidens facere aliud. Subnectam Illustris Præceptoris sententiam. *Demum sic dicimus generationem esse terminum alterationis, quod vbi alteratio finitur, ibi incipiat generatio. Inest enim calor prius in ligno per affectionem, post mutat materiæ potestatem, & eo solùm pertinere hoc dictum, vt congruam successionem generationis ostendat, non vt indiuiduam quandam naturam significet.* Neque si properet in formam substantialem, proprio id molitur conatu; nihil enim supra proprias se extollit vires, vel dat quod non habet. Verùm meminisse oportebat, calorem hunc excitari à præsentia efficientis, similem nitentis introducere formam in ligno, ità vt alteratio habitudinem vix immutet, non naturam. Deducebatur quartum ex viæ communione, intercedente inter contraria: hanc verò rudimentum formæ existimabant aduersarij. Respondetur, negando minorem, quam tamen enixè probare tenebantur. Quid.n. ascensus, & descensus, & si per

Solutio.

Ad pri.

Bonam. lib. 2. de Motu. c. 16.

ean-

eandem fiat ſcalam, ponet ne, forſan, præter generis conuenientiam, formæ etiam communionem? aut ſi frigus mutatur neceſſariò in calorem, præfuiſſe huius gradus in frigiditate, neceſſe exiſtimas? An hoc non eſt vniuerſam naturam peſſumdare, atque peruertere? His ſatisfactum iri puto poſtremæ quinetiam rationi: Non quodlibet fit ex quolibet, ſed determinatum à determinato contrario. Quod quidem tantùm abeſt, vt oppoſiti naturam includat, vt quàm maximè per hoc diſtet, & implacabili hoſtilitate, atque ἀντιπάθεια, non autem συμπάθεια, vt ipſe dicebat, nouam mutationibus viam ſternat, vt videre eſt in contextu ab ipſis citato, & ſubſequenti. Nominis verò ſimilitudine deceptos eſſe ſuſpicor: ſympathia namque, & ſymboleitas toto cœlo diſtant, non ſecùs ac compati, & conuenire. In ijs quidem, quæ per adiunctas, ſibique proprias qualitates alteri ſymbolas mutantur, veriſſimum eſt, quod circunfertur, inter ſymbola facillimum eſſe tranſitum. Poſtremo loco quam ſibi finxit contrariorum cõuenientiam, naturæ rei minimè conſentaneam, atque impedimento futuram, cordatus quiſque Philoſophus auerſabitur, & refugiet. Quæ tandem profert inſignium Auctorum teſtimonia, aliorum eſto labor ad bonam frugem ex dictis reducere?

Ad poſt.

1. De Gẽ. & Corrup. t. 50. 51.

Cap. XVI.

Recentiorum opinio aſſerentium, propagari Animas omnes nullâ exceptâ.

POſtremus omnium D. Daniel Sennertus de Republicâ Medicâ olim optimè meritus, neſcio quo fato, abiectâ modeſtiâ, ſuetâque ſobrietate in Auctorum ſententijs examinandis, nuperum Hypomnema, ordine quartum, huic diſputationi dicauit, vbi loci damnatam pridem credulitatem recoquit, nempe, quòd Animæ omnes, haud exceptâ rationali,

per traducem, ſemine vectore, introducantur. Prolixè diſputat, enixè contendit, nullum non mouet denique lapidem, neglectis Naturalis Sapientiæ Coriphæis, & quod deterius, poſthabitis Patrum, atque SS. Eccleſiæ ſanctionibus. Solus ſibi ſapit bonus hic vir: cui deſipit vel ipſe Ariſtoteles, non doctrina, non methodus, non denique principia illi placent: Græcam cunctam repudiat familiam, vno vix Themiſtio excepto, poſteros naſo ſuſpendit adunco. Hæreo in biuio, quanquam non Hercules, neq; clauâ indigus, ſat enim inſtructus eſt Stagirita, vſuque edoctus, talia profligare monſtra. Huius proinde ex armamentario ancilia mutuabor, forſanq; ignita etiam iacula, quibus rediuiuam Chimęram configam, vt fugem è ſtadio Litterario. Obſtrepat interim Sennertus, irrideat ad rauim vſque, viam namque ad mare, qui neſcio, flumen ſequor, innabilem declinans paludem, vbi perperam ranæ coaxant. Bono cum Deo conceptam inſiſtam viam, fidum nactus præmōſtratorem, qui Ethniciſmi in tenebris plus vidit his, qui vel mero meridie caligantes, Animam humanam, Summi Conditoris præclariſſimam imaginem, certumq; exemplar, ſordidiſſimo mancipant carceri, perque ſeminis traducem à parentibus in prolem deriuari, & credunt, & mordicùs tuentur: quum tamen Ariſtoteles de foris illam aduenire, neq; eiuſdem cum reliqua animarũ turbâ eſſe ſortis, conceptis, & conſultis enunciauerit verbis. Penſiculatiùs *Traducis* etymo vtebatur Tertull. nonnũquam, *per quem* (Satanam) *homo à primordio circumuentus, vt præceptum Dei excederet, & propterea in mortem datus, exinde totum genus de ſuo ſemine infectum, ſuæ etiam damnationis traducem fecit.* Hominis eſſet ocio abutentis, ſingulatim errata cenſere, improuidi, onus ſubire docendi, aut dedocendi ſenem. nam, vt eſt in adagio, *laterem lauare, & ſenem admonere*, par labor, atque exitus. Sat eminùs, congrediamur cominùs poſthâc. Inſenſus primũ eſt Sennertus Ariſtotelis methodo, quam ſibi ſeruandam pridem propoſuerat Phyſicâ in hâc

Tert. lib. 5. c. 3.

ſpe-

ſpeculatione, effatus, *quòd à primis eſt incipiendum: prima autem ſunt, quæ perfecta: eiuſmodi autem ſunt, quæ animal generant: eorumq́; primum homo eſt*. Contrarium dum ſentit Sennertus, infit. *In qua tamen re à non paucis peccari video, qui quæ de origine animæ, & formatione corporis viuentis in genere dici poſſunt, & debent, ſaltem de homine tradunt, atq; ita contra leges demonſtrationis peccant, & affectiones generi competentes de ſpecie demonſtrare conantur, commodius ergo puto, ſi quæ de generatione viuentium, & origine animæ in genere dici poſſunt, in genere proponantur, & poſtea in ſpecie, plantis, animalibus, brutis, & homini applicentur, & ſi quid hæ viuentium ſpecies peculiare habeant, in ſpecie annotetur*. Iurarem, hominem hunc, aut nunquam à limine ſalutâſſe Ariſtotelem in exordio *p. lib. de Anima,* aut oblitum mirabilis inſtituti, indagatiq; ordinis. Optimam elegit viam, me iudice, Præceptor: nam dum licuit, Animam in genere definiuit, non abſque querelis tamen, vt nôſti, præ analogorum priuilegio, cui derogare nequit in præſens abſq; culpâ. Præter enim materiæ commercium, vbi infarctæ deliteſcunt, vt dicebamus, illud inſuper accedit, quod plurimùm inter ſeſe diſtent viuẽtia ab animalibus in generationis modo, & ſexûs diſcrimine: Quin animalia ipſa ambigui aliquando ſunt ſexûs, varioque pariunt, concipiuntque modo, & quod caput eſt, difformem agnoſco in quibuſdam formam, cui tribuere nititur incaſſum Sennertus vim hominem producendi, nulloq; ingenio congenerem futuram ſuis cum contribulibus: quando baſilicâ Primæ Philoſophiæ edictione *æternum, & corruptibile genere differunt*. Hucuſque ſatis pro methodo ab Ariſtotele ſeruatâ, ſubſequetur ſuis in locis doctrinæ vindicatio à calumnijs. Audiamus interim hominem Lemma præfigentem, *Semen eſſe animatum, animamque in ſemine formare corpus animatum*. Hìnc elicit tandem. *Animam humanam propagari à parentibus in ſobolem, illudque mox in primâ conceptione, plantarum & brutorum ad inſtar*, quod ſuperiùs diſputauerat. Quod attinet

2. De Gẽ. An. c. 4.

Hypo. 4.

c. 6.

c. 10.

net ad primum, non meliora profert ijs, quæ superius induxerat pro seminis animatione probandâ, si quid verò noui ipsius adferet Aphrica, in solutione ventilabitur. Interim audiamus quibus technis recentare nititur Sennertus impium, damnatumq; olim dogma. Speciosum primipilum inducit, phaleris tamen è Peripato mutuatis. Viuentibus perfectis, inquit, naturalissimum est sibi simile generare, Arist. testimonio: at hominem esse perfectissimum nemo controuertit: generabit igitur sibi simile, nempe, homo hominem, ac proinde totus homo totum hominem. At homo constat ex animâ, & corpore: igitur nisi communicet animam, homo hominem non generabit. Animam præterea propagari probat ex Diuinâ Benedictione *Crescite, & multiplicamini*, cuius vi totus homo totum generat hominem; quod non fieret, si anima extrinsecùs infunderetur. Ratione insuper illud probare contendit. Quicquid pertinet ad integritatem naturæ humanæ essentialem, id propagatur per generationem: verùm non solùm corpus, sed etiam anima pertinet ad integritatem hominis: ergo etiam anima per generationem propagatur. Hæc sat habuit pro modo, cui succedit tempus indicatum in alterâ parte posterioris Lemmatis. Vbicunque animæ humanæ operationes adsunt, ibi ea præsens sit necesse est. At in primâ conceptione statim operationes animæ humanæ adsunt: ergo anima humana ibi est præsens. Sunt autem operationes, membranarum, fætusq; formatio, & augumentatio. Absurdum verò est fætum iam editum ab aliâ animâ augeri, ab aliâ in vtero constitui. Hæc ille.

2. De An. t. 3.

Cap. XVII.
Refellitur recentiorum opinio.

Non est, cur accersam, curiosusue transcribam, quæ meliores Auctores, contorsêre iacula execrandum in
moni-

monſtrum: proſtant enim, vigentq; domeſtico illorum in Panopleo. Satiùs proindè duxi, extorquere ab Aduerſario arma, quibus illum confodiam. Excidit homini quandoque veritate vrgente. *Non poteſt è re corruptibili res incorruptibilis generari*: at hominem rem eſſe corruptibilem, qui negat, oblitus eſt, ſe eſſe hominem: non poterit ex homine igitur res incorruptibilis generari, qualis eſt anima humana. Vlteriùs ex confeſſis: Quandocunq; vnitur anima corpori, fit animati generatio: ſed per te nunquam vnitur, ſed extenditur: igitur nunquam fiet animati generatio. Rurſus: quod extenditur, habet partes, quas dicunt quantitatiuas: talis non eſt Anima, non extendetur igitur, neque informabit ſemen. Minorem controuertere nequis, vt qui formas omnes fatearis eſſe indiuiſibiles; at diuiſio paſſio eſt quanti. Idem valet, ſi ſapis, & attendis, illud tuum *implere*, quod ſubſtituis; ſiquidem deplere, & implere ad quantitatem pertinent. Vrgeo inſuper: ſi anima parentis ſemini communicatur, quocunq; modo illud ſuccedat, vel per extenſionem, vel tuam illam *repletionem*, erit augumentum, non generatio: hoc verò vt tibi nouum non eſt, qui illius fidem implorabas dudum; ita nobis erroneum, cunctiſq; cultoribus naturalis Sophiæ. Nam animâ vnâ manente, motus fit ſecundùm quantitatem in Accretione, & Decretione. Miſera præterea eſſet præſtantiorum animarum conditio, vt quæ ab inſectis hoc nomine minimè diſcreparent, quibus datum potiri Animâ vnâ actu, quæ tamen plures ſint potentiâ. Nugæ ſunt iſtæ tuæ (mi homo) fabulæq; Atellanijs inaniores. Obſeruâſtine, quæ grauiora inſuper ſubſequantur abſurda? aboles nouam generationem? biceps introducis oſtentum, vel geminas prolem. Generatio Ariſtoteli eſt de non ente ad ens, ſed per te ſemen nunquam non eſt animatum, ex ſemine igitur nulla ſequitur noua animati generatio. Bos erat in parente, bos eſt in ſemine deciſo, manet res, vix perit modus. Quod ſi compoſitum tibi non generatur, tantò minùs forma generabitur.

Arg. pro Neg. Pii. arg. Hypo. 4. c.10.

2. Arg.

3. Arg.

4. Arg.

5. Arg.

2. De Gẽ. An. c. 4.

6. Arg.

tur. Exulabit igitur generatio; nam materia per ſe ingenerabilis agnoſcitur à Philoſophis. Quod mei muneris eſt, probo primam illationem. Forma, neq; fit, neq; generatur, ſed compoſitum Ariſtoteli: igitur ſi fieret, conſtaret ex materiâ,& formâ, quo abſurdo te damnat Aueroes. Ineuitabilis non minùs tibi eſt altera illatio; deducta ex ſufficienti partium enumeratione; Quapropter dum tuo cum traduce putas aliquid de nouo generatum iri, generationem omnem eliminas, atq; peſſundas. Fruſtrati proindè ſumus longa ſpe reuiſendi Androgynum Platonis, aut ſaltem gemellos,quod tua nobis pollicebatur credulitas. Quandoquidem non minùs animatum tibi eſt fæmineum ſemen, quàm maſculum: vtrumque verò conſpirare in generationem conſtanter fateris. Profundantur igitur in vterum: iam duplex habemus animal, marem, & fæminam, ſingulatim prædita, & animâ,& vltimâ materiâ ipſis congruâ. Aut lapis es tu, aut lapideus, qui binos ſurculos hoſce perforato lapide non coegiſti ad coalitum, quod feceras olim virgultis, è tribus palmarum oſſibus enatis, inq; truncũ vnicũ tam induſtriè coaleſcentibus.Proh bellam eruditionem! Ades dum priuſquàm ex horto auoles in culinam, reuocat nanque Meſpilus Pruno inſitus, iuratq; ſuperſtitem ſibi eſſe veterem animam, quanquam aliena degens in regione: cuius tamen luculento vtitur pabulo, non abſque culturâ. Permitto nunc tuæ frigiditati duplicem experiri flammam,diſſitas iungere inſuper, vniri tamen non ſuccedet. Dic mihi, nonne flamma eſt fumus ardens? cui dubium? excitetur ille duplici è fomite, puta ex viridi quercu, aromate conſperſa, iam vnicus non eſt, niſi oſcitanti ſpectatori. Duplex proindè ab hoc flamma contigua, non continua, fucumq; proindè faciet inexpertis. Lumen è multis facibus excitatum in conclaui, multiplex eſſe,nõ vnicum, pro facum, nempè, multiplicitate, docebunt te, vel ipſæ vmbræ. Valeant proindè tua exempla, quibus nobis perſuadere perperam ſperâſti monſtroſum ſeminis coalitum: ha-

6. Met.c. 8.

beas

beas proindè tibi res tuas, præsertim verò feram illam, atque cunctabundam humanæ animæ propagationem, nupero è nexu binarum animarum tandem prodeuntem.

Cap. XVIII.

Soluuntur rationes recentiorum, Animam humanam in semine statuentium.

PAr est, vt rationibus ab Aduersario nuper adductis breuiter satisfaciamus. Erat verò prima in ordine talis. *Naturalissimum est viuentibus perfectis generare sibi simile*:transeat. *At homo animal est perfectum*; quin perfectissimum, dico, metrum, mensuramue aliorum.Inferat igitur ad libitum Sennertus, *ergo homo hominem generabit*. Assentior; quin tibi auxiliarem adiungo Præceptorem. *In quibusdam etenim etiam manifestum est, quòd generans tale est,quale quod generatur,non tamen idem,nec vnum numero*, quæ tibi officiunt, vt dudũ monebam, *sed vnum specie, vt in naturalibus: homo nanque hominem generat, nisi quid præter naturam fiat*.Quid inde?Addis tu,*ac proindè totus homo totum hominem*. Hoc verò non ita facilè admitto, donec animi tui sensum clariùs explices. Perge si libet. *At homo constat ex anima,& corpore*. Cui dubium? *igitur nisi cõmunicet animam, homo hominem non generabit*. Iurè hoc tibi negatur, si memor es tuarum edictionum. Nihil de nouo generatur, nisi forma propriæ vniatur materiæ; hanc verò vnionem generans quodlibet operatur, quæ causa est, cur dicatur generare simile. Percipe, si lubet; forma non fit, sed compositum; nequit communicari illa in numero, sed specie; at neque communicatur, verùm educitur, aut inducitur à generante præter intentionem; nam compositum simile sibi elaborare satagit. Sponsorem habeo Auerrorem, qui ad locum Aristotelis 7. *Metaph*. c. 7. de motûs principio, quòd *neque se, neque* *sphæ-*

Sol. Arg. aff.

6.Met. c. 8.

c. l. c. *ſphæram facit, niſi ſecundùm accidens*, hæc habet in Comm. *& dixit per accidens, quoniam cum fuerit aliquid habens formam, tunc facit formam per accidens.* Accedit nec non S. Doctor: *neque, enim, forma, neque materia generatur, aut corrumpitur, niſi per accidens.* Redeo nunc in viam, quanquam non deuius. Quòd ſi diſputationem contrahas ad ſpeciem humanam, ſuperioris eſt ſortis forma hæc introducenda: quapropter de foris illam expectat Ariſt. ſolo Naturæ lumine directus, creditq; nihilominùs hominem ex homine generari. Obijcis tu Diuinum indultum, *Creſcite, & multiplicamini*; An non ſucceſſit multiplicatio, ſucceditque ad hanc vſque diem? Negas tu, niſi totus homo totum generet hominem, quod non fieret, ſi anima extrinſecùs infunderetur. Eandem recoquis Crambem; præſtat homo quod debet, & valet: reliqua ſuo Auctori reſeruat, cuius ſingulare munus eſt, *ſpiraculum* illud mirabile nō *vitæ* tantùm, ſed *vitarum.* Perſonatum rurſus in Scenā inducis idē ratiociniū *integritatis* ſub laruâ. Quid, enim, aliud eſt integritas humanæ naturæ, quàm totus homo? quapropter denudatum exponitur populi ludibrio. Vacillat medium tādem, quo probare niteris Animam humanam ſemini eſſe coęuam: non enim operationes illæ huic tribuendæ neceſſariò ſunt, ſed implorabunt hi Vegetam: inducent alij formatricem; neque deerunt, qui impreſſam refricent motionem: & quod grauius, forſan, nouum, quidam non è triuio tibi obtrudent, contingere plurima circa conceptum præ materiæ neceſſitate. Faſtum proinde depone, atque confidentiam.

c. l. c.



Re-

Cap. XIX.
Reprimuntur noui pro Traduce confirmando conatus.

NVperas perpendamus modò ſuppetias, quas D.Gaſpar Bartolinus fert congerroni ſuo Sennerto. Pugnat veriſſimè pro aris, & focis, vt qui liberè fateatur, hanc *eſſe communem, fermè, opinionem omnium Lutheranorum*; quin dico ego, & Luciferaniorũ, quos olim damnauit Eccleſia. Verùm, me iudice, non erat hic locus; quæ ſunt Medici, tractant Medici, neque licet Cælum Terræ miſcere, aut ſacra profanis. Quo nomine, ſi non laudandus, minori ſaltem reprehenſione dignus videtur Sennertus, ſobriè in re grauiſſima ſe gerens, neque fines violans Phyſicæ diſputationis, quos ſibi in principio præſcripſerat. Vnicâ quod poterat complecti nuperus Auctor ſub controuerſiâ, triplici agitat quæſtione, profeſſus vbique, ſemen quoduis eſſe animatum, non excepto etiam humano. Rem minimè confirmat, nam mutuata hinc indè argumenta, neq; noua ſunt, neq; firmiora reddita præ fulcris recentibus, verùm nutantia, breuiq; caſura. Sat ſupra à nobis ſæpius factum, datâq; occaſione fiet in poſterùm, dum repellemus obiectos pridem ſcrupos: Interim delibemus, quæ deducit ille è Theologico penu. Suadetur in primis ex originalis peccati tranſitione ab Adam in poſteros: duoq; præſtat, vel ſaltem pro viribus tentat; alterum quidem eſt, ſubiecti indagatio, cui tale inhæret peccatum, &, excluſâ carne, Animam humanam illius ſubiectum eſſe contendit. Quæ quidem anima labẽ ſecum trahens, carniq; cõmunicans, ſi à Deo per nouam creationem corpori infunderetur, Creator eſſet, non tam cauſa peccati, quàm Auctor, quod impium eſt, & nefas. Conſequi proindè ex neceſſitate, propagari illam à parentibus per gene-

generationem, femine vectore, velutq; per traducem oriundam, paternæ animæ fui primordia referre accepta. Magna tamen cautione vtitur illius in promotione, velatq; myfterium
p.132. duabus monofyllabis, *ex*, & *ab*, primum repudians, alterum admittens. In re graui, quæ tot hucufq; excitauit turbas, parcitas hæc vitiofa vtcunq; eft, intempeftiua, odiofa, ne dicam inuidam, ambitiofam, prætérq; fcholarum ingenuum morem. Sinamus nihilominus fuo viuere more. Pergit homo catus, &
p.133. animam rationalem communicari afferit à parẽte in ipfo *conceptionis momento*, euanidum aliàs femen futurum, fterile, dirifq; deuouendum. Concludit: *Spiritualis, & fubtilis effentia, quando Deo ita vifum, fui eft multiplicatiua.* Cur illas nectat moras, cunctetur que femen animam expectando, in arcanis eft Imperij, nifi tamen imparatos nos exiftimauit, parùmq; idoneos, quibus noua communicaretur eruditio. Et verò vix concoquo, quî poffit anima in femen transfundi folitaria à generante, vel ipfo in conceptionis articulo, prodromâ iam geniturâ, vterique clauftris infidente. Incerta eft mora, nam pluribus mulieribus fiunt effluxiones illæ ab Arift. obferuatæ, quæ tamen futuræ ne effent, an fecùs, nemo diuinare poterat. Inutilis proinde erit illa cautio, quam ille apponit. *Liquet, inquam, idcirco non facile ftatuendum Semen, vel non decifum, vel ita in Vterum tranfmiffum, vt homo inde non gignatur, animam continere rationalem.* Mancus eft in caufa affignanda. Siquidem præterijt fanguinem menftruum, femenq; muliebre alijs indubitatum, cuius materiæ inopiâ, vel ineptitudine deluditur vis agentis commiffa Genituræ. Profequitur Auctor. *Vel quia femen non per omnia rectè ad generationem difpofitum*; cur non ad animationem faltem? *vel quia pœna Diuina, & benedictionis Diuinæ inhibitio caufa eft.* Audiuit ne forfan homo hic quid Rex in aurem Reginæ loquatur. Quæro cur has mouet machinas, vbi nulla neceffitas? Theologum fe præftet faltem ex officio, nam adductus ab ipfo locus 1. *Genefeos*, cuicunq; animan-

tium

tium generi (ipſo non diffitente) propagationem committit, cuius priuilegij poſſeſſionem in homine tuetur vbique Antagoniſta, conſtanti mente tota in diſputatione. Non diffiteor poſſe rem quamlibet creatam, per ſubtractionem Diuini concurſûs, & proprias amittere opes, & primæuum in nihilum redigi: at in ordinario concurſu, quem Bartolinus ſuſpicit, naturamq; appellat, exceptió illa mera eſt principij petitio, inaniſque fuga. Sciſcitor inſuper, cur tamdiu cunctata eſt anima ſemet communicare Genituræ, quod poterat commodiſſimè longum nacta ocium. An ineptum erat ſubiectum præcedente tempore? verùm dic, ſodès, quid lucratum eſt in progreſſu? aſſigna meliorem conditionem: Secùs tua vacillat apud nos fides. Ariolabor nihilominus, te tacente, ne videar in abſentem parùm æquus, tuoque nomine aduenienti materiæ illud referam acceptum. Eſt tamen quod ambigam, an deferas illud nouo nexui, an verò domeſticis materiæ dotibus. Primum ſi afferas; deforis aduenit penitùs anima, quod euitâſti hucuſque: ſin alterũ admiſeris; caue ſis, ne patiens ſupra agentis euehas ſortem, & animæ conciliandæ munus matri iniungas, quod negâſti aliàs. Duplicâſti proinde difficultates tuis cautionibus, non complanâſti, quod ſuſcepti muneris erat. Qui ſapiunt, ſuſpicantur declinâſſe te ſentes, fucumque feciſſe Fieno, cogenti in anguſtias fautores animati ſeminis, & humani præcipuè, quod poſſe baptizari, ex conceſſis, euincit indubiè; integer namq; homo eſt ſemen veſtra in Schola, hoc dempto, quòd non habet organa expreſſa.. Diuertis tu, ſemenq; ad tempus occultas; & nonniſi animari in vtero aſſeueras. Inſto ego pro Fieno: igitur conceptus ſaltem, vel te inuito, poterit baptizari. Acriùs vrgeo. Si Anima communicatur humanæ Genituræ à Parente, neque immediatè à Deo creatur, contra quam vnanimis credit Eccleſia; ſuperfluũ eſt baptiſma in edito infante. Probo conſequentiam. Quocunque producatur modo noua hæc anima, eiuſdem, per te, ſubſtantiæ

eſt cum anima patris: at hæc baptiſmate non indiget, eſſetq; ſuperfluum, quin & erroneum: igitur neque anima nati nouo eget baptiſmate. Audio te ſcitè diſtinguere ſubſtantiæ identitatem, & admittere, ſi in ſpecie; negare, ſi in numero. Verùm, pace tua, nihil ad rhombum. Etenim quocunq; modo anima paterna ſe communicet fætui, illud certum eſt, ipſiſſimam ſui ſimilitudinem excitare in conceptu; quod & tu fateris, formæ huic dum tribuis totam ſimilitudinis cauſam. Proſequar pro-
p.105. inde: At parentis anima iam regenerata eſt ad gratiam, baptiſmo mediãte: igitur noua hæc anima baptiſmo nõ eget. Quòd ſi ſubijcias, remiſſam eſſe culpam baptiſmo, non reatum; tunc
p.110. inſto rurſus, vel remittitur aquæ tincturâ *reatus* iſte, vel non; ſi poſterius, cur baptizatur exors à culpa, & quod caput eſt, perpetuo reatui nihilominus obnoxius, vel nemine refragante. At vnum Baptiſma neceſſarium eſſe nouæ creaturæ in remiſſionem peccatorum, monemur ex Symbolo Apoſtolico, non igitur traducta erit anima filij ex ſubſtantia, aut à ſubſtantia animæ paternæ, quod idem eſt, ſed à Deo creata, ſtatimq; infuſa. Hæc pro Fieni obice. Vereri te inſuper dicunt alij, ne iterata Geniture proiectio animas multiplicet incaſsùm, nullo nexu in vnum coalituras. Diuerſa erat materiæ conditio, primâq; eiaculatione nonniſi inualidum quid eijciebatur, Ariſtotelis obſeruatu, validius mox, atq; robuſtius. Senſibile tamen intercedebat temporis ſpatium inter primã, & reliquas eiaculationes: quapropter ſi ſemen erat animatum; ſingulæ etiam, & ſegregatę illius portiones particularem animã poſſidebunt: hinc fiet, vt plures homines vnico congreſſu intrudantur in vterum, emergat verò vnus ex multis coagmentatus, quod fabuloſum eſſet, atq; ridiculum. Parem ſubijſſes ſortem cum ſemine muliebri, quod tibi eſt animatum: nam eædem difficultates recurrunt, nouæq; inſuper accedunt, præ noua maternæ animæ acceſſione, quam coaleſcere cum virili, tam arduum eſt, quàm viriles iungere, inque vnum colligare faſciculum,
Sua

Sua tandem homini si verba reddidero, non ero iniurius. *Nam aut vterque parens totam animam propagabit, aut alter dimidiam. Si vterque totum; duplicabitur anima, ob causas producentes numero differentes. Si dicas duas in vnum coire, & coalescere; inconueniens videtur. Si autem animæ pars à matre, pars à patre orire-tur; succumbet indiuisibilitas animæ, ex hac immaterialitas, ex hac immortalitas.* Malo consilio succenturiat nihilominus priori sententiæ, alteram, nempè, *Animam ab vtroque parente coniunctim propagari*, quam probabilitate primæ proximam censet: argumentum inconstantis animi, deq; Animæ immortalitate malè sentientis, quam certo discrimini nupera dissimulatione exponit. Valeat proinde suo cum NON LIQVET, disputationis in exordio. Dubius .n. in fide, infidelis dicitur. P.109. P.108.

CAP. XX.

Damnatur opinio, conuelluntur nonnulla argumenta.

INterminabatur reluctantibus Antagonista in calce quæstionis 9. Pelagij errorem, inque illius castra pedibus, manibusq; secedere asseuerabat, negantem animæ traductionem per parentes. Trepidus ego consulo ex more D. Thomam: cuius cælestis doctrina, certissimum antidotum aduersùs venena Sectariorum quorumcunque, quotquot, inquam, sunt, fuêre, aut futuri sunt posthac, recreauit me vberrimè. Occurrunt primâ facie furta illa tua, quæ nimiâ facilitate dixerã ego dudum mutuationes. E numerosa argumentorum phalange pauca seligis, reliqua negligis, vtpote captui tuo minus idonea: Est quod laudem, dummodo gratus Auctori fuisses: nam vt probè nôsti, Turpe est non fateri, per quem profeceris. Quod damno, incuria est, vel potiùs aperta dissimulatio: quãdoquidem modi cum si legẽdo processisses, occurrissent neruosæ solutiones futilium argumentorum. Par erat nuperum P.5.

te instauratorem perniciosæ pugnæ aggredi, congredi, non terga dare vix iactâ sagittâ. Nam quod ad primam illud tuum iaculum è S. Genesi petitum, hoc sibi primo loco obiecerat olim S. Doctor *in Quæst. Disp.* atque eluserat in responsione ad *primum, & secundum,* docens quo in sensu accipi debeant sacra verba. Adi ad hominem, vt certior fias, illumq; tuum fasciculum, quem secundo loco perperàm induxisti, solutum inuenies summa facilitate. *Tertium,* & *Quartum,* tua sunt, non D. Thomæ, quod viderim, ipsissima dicam tua: haud enim tantus vir tales in Scænam produceret ineptias. Transcribam fideliter, quæ tanto labore corrasisti domestico tuo ex ærario, non Theologico, quod iactâsti. *Si Beata Virgo Maria,* inquis, *operante Spiritu Sancto generauit totam humanam naturam, corpore, & anima constantem, vtique cæteri homines totam humanam naturam vi benedictionis Diuinæ producere poterunt: At generauit Maria totam naturam humanam: ergo.* Dic sodes, quàm miserè te torqueres, si vtramq; propositionem quis negaret eo in sensu, quem sequeris? quid si retorqueret argumentum suum in Auctorem? Experiamur vtraq;. Contulit B. Maria purissimum sanguinem: vices maris suppleuit S. Spiritus, Animam Deus creauit, & infudit. Rata non sunt tibi hæc, an non, quæ profitetur, professaq; semper fuit Catholica Ecclesia? Expende modò tuam maiorem. Si per ly, *totam naturam humanam,* intelligis Christi animam creari à Deipara, falsus es: nam incommunicabile est creaturæ cuicunque creationis opus, neque Angelos excipio, neq; Christi animam. Quandoquidem infinitam requirit potentiam, vnico Deo congruam, creatio: vires autem creaturarum quarumcunq; finitæ sunt omninò. Non igitur totam humanam naturam, cuius præstantior portio est anima rationalis, generauit Virgo Mater: Sed materiam obsequentem præbuit opifici Spiritui Sancto. Neq; Spiritus Sanctus solitarius operatus est, sed tota Trias Sanctissima; cur verò tribuatur opus mirabile

Marginal notes: Quæst. 3. Art. 9. — p. 105.

bile vnico S. Spiritui, docebunt primæ notæ Theologi; ne te pudeat à non Theologo erudiri. Verùm esto, generauit totam humanam naturam operante S. Spiritu; quæ necessitas cõnexionis illius, *vtique cæteri homines totam humanam naturam, &c.* Respondes tu, *quia Christus in assumenda humana natura, excepto peccato, nobis similis factus est.* Latet hic anguis. Exinaniuit semetipsum Saluator, formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, atque habitu inuentus vt homo. Non igitur in assumenda natura humana stat *similitudo,* sed in assumpta: quandoquidem *generationem eius quis enarrabit?* non æternam tantùm ex sinu Patris, verùm & temporaneã ex Spiritu Sancto? Demitto me, scrutorq; tuam methodum. Quò confirmes vacillantem hanc professionem, *generauit Maria totam naturam humanam,* alteram inducis, *Christus in assumenda natura humana similis nobis factus est.* Necte modò scopas dissolutas, aut principium petes, aut improbè concludes. Scrutabor materiam nunc tui paralogismi. Assumis, *quod si S. Dei Genitrix totã naturã humanam, operante S. Sancto, generauit,* idẽ contingere debet cæteris mortalibus. Præest ne cuicumq; generationi S. Spiritus, subitq; vicẽ generantis? dispar igitur hoc saltem nomine erit ratio. Succedit, quod in proximè sequenti quæstione negas tu, atq; pernegas, *Animam à Matre generari.* At contradictoria nobis sunt *generari, & non generari:* quomodo igitur vno, eodemq; tempore fidem in tua Schola merentur pugnantes è diametro enunciationes? Concidit proinde minor illa tua propositio *generauit Maria totam naturam humanam.* Neq; illam tuetur, vt credis, symbolum Apostolicum, dicens, *Conceptum fuisse D. N. I. Ch. de S. Sancto, natum ex M. Virgine,* haud enim concipi poterat animâ orbatus, qui error fuit Apollinaris. Sed neq; symbolum Athanasij fauet, *I. C. Dei filius homo ex substantia Matris in sæculo natus est,* nempè, corpus indè traxit. *Perfectus homo ex anima rationali, & humana carne subsistens.* Animum aduerte, non *perfectus ex substantia*

D. Paul. Epist. ad Philipp. c. 2.

Matris, quæ lectio te ſeduxit, ſed *perfectus homo, atq́; ſubſiſtens*: quoniam *animam rationalem* obtinuerat nuper à Deo creatã, non à Matre propagatam, *& humanam carnem*, miniſterio S. Spiritûs, è materno ſanguine genitam. Vide proinde quot errores cumulaueris vnico in ſyllogiſmo: erraui, ſubſtituã paralogiſmo. Sto nunc promiſſis, inq; te retorqueo argumentum. Si B. Virgo operante S. Spiritu totam humanam naturam ex corpore, & anima conſtantem non generauit, vtiq; neq; homines, quacumq; benedictione Diuina fauente, totam naturam humanam producere poterunt. Sed non generauit Maria totam naturam humanam, ergo. Quartum in ordine ratiocinium illud tuum ludicrum eſt, verèq; puerile, ſi *regenerationis* omonymia nobis imponere ſperâſti: habet verò: *Quod regeneratur, vel regenerari dicitur, id priùs eſt generatum: anima autem regeneratur, vel eget regeneratione*: ergo. Minorem probas: *quia quod natum eſt ex carne, caro eſt, adeoq́; regeneratione eget &c.* Duplex eſt generatio, Naturalis, & Spiritualis, primam aſſumis in maiori propoſitione, alteram in minori, non mirum igitur ſi captioſa eliciatur indè concluſio. Quod attinet ad quintum tuum argumentum, quod dicis *facilè primarium*, deſumptum à peccati originalis propagatione; egregiè, vt ſemper ſolet, huic ſatisfecit olim D. Thomas, necnõ ſingulis appendicibus, quas nectis in præſens; vide in 2. Sent. diſt. 18. quæſt. 2. art. 1. & p. 2. quæſt. 81. art. 1. & alibi, non enim vacat acta agere, aut tuo exemplo aliena tranſcribere, præſertim verò Pelagiana. Et quoniam quæſtionis in calce (vt dicebam) concludis, *quod niſi quis manibus, pedibuſq́; in Pelagij caſtra ſecedere velit, qui peccatum originis negauit, animæ traductionem per parentes ſtatuat neceſſe eſt*; habeo quod te moneam nomine S. Doctoris, non errorem tantùm, ſed hæreſim eſſe, aſſerere, *Animam humanam ſemine propagari.* Caue tibi, ſi ſapis.

p.106.

2. contr. q.86. p.1. q.118. art.2.

Cap

Cap. XXI.

Quæ sit Genituræ impressa motio, atq; principium effectiuum.

VIdimus hactenus cum Aristotele, quid non sit mirabilis illa Genituræ vis: superest modò, vt eodem Præceptore duce, quid verè sit, breuiter indagemus. Contulit iam generans membrorum consortio, nullo quidem arbitrio, verùm naturæ lege, atque ineuitabili necessitate, talem motionem, vt si quando aptam nacta fuerit materiam, tale quid effectura sit, quale illud erat, à quo secessit. Proindè quum absentis vicem expleat, eiquè quod valet, & habet referat acceptum, ideò non Genituram, sed generans propriè absoluere dicamus generationem, quãquam inuiolato hoc sensu efficientis insignia semini non denegat Aristoteles. Manu nos ille duxit in rei abstrusæ notitiam, perq; artificialia, atque violenta insinuare tentauit, quomodo absens generans impressa vi alicui substantiæ, mouere possit, passumq; disponere; legatitia, inquam, opera, haud tamen nuda qualitate, quod Antagonistis hucusque imposuit. Nudam igitur citationem non imprimi, vt in proiectis, verùm quid permanens, neque elaborandæ materiæ refragans, intelligo, quod, quale sit, iam dicere aggredior. Ethæra hæc est quædam, corporea tamen natura, fœcunditatis immediata causa, animæ origo, vitale principium, semini irretita, à spiritu inseparabilis, genere quidem vna, specie verò, pro formarum nobilitate, diuersa, eminenter continens singulas partes, Principes verò, à quibus præcipuè defluxit, quàm promptissimè, potens, ex impressaque vi per se sufficiens congruam disponere materiam ad animæ peculiaris introductionem: quam quidem naturam *Innati Caloris* nomine honestamus. Hanc extulit vnanimis veneranda vetustas, illùcq; euexit, vt

2. de Gẽ. An. c. 1.

l. 4. c. 4.

l. de An. & Nat. nisi cautè eorum dicta sciscíteris, vix ab anima aliquando distinguas: Sic antiquissimus Zoroaster, animam ignem appellat lucidum: ipsa verò de se loquens inferiùs, inquit:

„ *Post verò paternas conceptiones anima ego habito*
„ *calida animans omnia,*

In Hecate. Huic quinetiam fœcunditatem tribuens, inquit:

„ *Quia operatrix, quia largitrix est ignis vitiferi*
„ *Quia & vitigenum implet Hecates sinum*
„ *Et influit Synochis vigorem vitidonum ignis*
„ *Magnipotentis.*

Dial. Ascl. Vetustissimus Hermes Trismegistus hæc prodidit:

„ *Ignis solum viuificat*
„ *Quicquid de alto descendit generans est.*
„ *Nam mens cum opifex sit omnium instrumento*
„ *ad opificium ignis vtitur.*

Quæ luculentiùs propalat sub nomine spiritûs, vt ea ferebat ætas.

„ *Spiritu, inquit, ministrantur omnia, & vegetantur in mun-*
„ *do, & quasi organum, vel machina Summi Dei voluntati*
„ *subiectus est. Spiritu quoque plena sunt omnia, permix-*
„ *tus cunctis cuncta viuificat.*

D. Mens. ad Herm. Ex quo alibi iurè intulit,

„ *Vniuersum verò hoc corpus, in quo cuncta sunt corpora,*
„ *plenum esse anima.*

Quod placitum posteritati adeò arrisit, vt nō tantùm Scholæ Priscorum Philosophantium illud admiserint, verùm, & Lycæum penetrârit.

3. de Gē. An. c. vlt. „ *Calor animalis in vniuerso inest, ita vt quodammodo*
„ *plena sint animæ omnia.*

Nec temporum decursu obsoleuit hæc opinio, verùm docta per ora virûm discurrebat adhuc Maronis ætate; hinc venustissimè cecinit.

6. Aeneid. „ *Inde hominum, pecudumq; genus, vitæque volantûm*

„ *Et*

„ *Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus,*
„ *Igneus est ollis vigor, & cælestis origo*
„ *Seminibus, quantum non noxia corpora tardant.*

Stoici verò, referente Io. Stobæo, Animæ naturam definiebant, spiritum intelligentem, & calidum: & Magnus Hippocrates. *Quod dicimus calidum, videtur mihi immortale esse, & cuncta intelligere, & videre, & audire, & scire omnia, tum præsentia, tum futura.* Hoc insuper *Animam* non dicere veritus, nostræ generationi, non tantum præficit, verùm, referente Galeno, omnium naturalium operationum semper authorem constituit. Cuius vestigijs ritè insistens Pergamenus, calidum innatum conceptis verbis dixit naturã nostrã. Neuè mea tibi suspecta sit fides, en ipsum loquentem. *Calorem autem non acquisitum, nec animalis generatione posteriorem, verùm ipsum primogenitum, & insitum; ac natura sanè, & anima nihil aliud quàm hic existit.* Huic facultates tribuit, quibus fingit, conceptumq; promouet, illustriq; titulo ἀρχηγόνου, primigenij, nempè, honestat. Prodigus adeo in hũc fuit Aristoteles, vt [a] doctis quibusdam videatur [b] Platoni obsequi præceptori quanquã [c] obseruo placitum damnare, suppresso auctoris nomine, ne iniurius ab æmulis diceretur. Hac modestia, & [d] Galenum Platoni addictissimum vsum fuisse non dubito: qui nec flammam, nec ignem patitur dici innatum calorem. *Quamuis huius opinionis Principes*, inquit, *idem esse calidum innatum dicant, & naturam.* Cultiori proinde indagine Summus Philosophus, essentiam, subiectum, viresque innati caloris venatus, inuenit tandem esse *corpus*, quod & posteriores admiserunt. Galenus siquidem prædicat. *Connati igitur corporis, quod ab efficacissima, quæ in eo est, qualitate innatum calidum appellatum fuit.* Præterea, *spiritui insidere*, ac veluti coerceri, dum Arist. prædicat, à spiritu tamen seiungit, atq; distinguit. Quod neq; Trismegisto, neque Hipp. contigerat, referente Galeno: quinimo nec ipse admonitus resipuit. Ac tandem calori huic vitæ primordia, fæcunditatis

Dogma Physi. lib. 1.
Lib. de Carnib.
6. Epid. c. 5. t. 5.
6. Epid.
8. de Plac cap. 7.
5. Aph. 22
4. c. 37.
Lib. de Trem. & Rig.
Lib. de Marc.
Lib. adu. Lycum.
a Bessar. Card.
Themist. p. de anima.
b In Timæo.
c 2. de Gẽ. an. c. 3.
2. de P. An. c. 7.
d lib. de marcore.
Lib. adu. Lycum.
Loc. cit.
In Ascl. & Claut.
5. simpl.

ditatis originem refert acceptam, & quam obſeruabat ſemini à generante impreſſam motionem, nil aliud præter calorem prædicat, & demonſtrat. Recenſebo libenter Philoſophi dicta, tum ad eruditionem, tum ad retegendam obtrectatorum immeritam calumniam. *Ineſt*, inquit, *in ſemine omnium quod facit, vt fæcunda ſint ſemina*. Si quidem non aliunde primitùs fæcundantur *videlicet quod calor vocatur*, corpus nempe, calidum, magiſque Diuinum, quam ea quæ elementa vocantur: proinde non *ignis, non talis facultas aliqua*. Ignis ſiquidem, nec generat animalia, neq; conſtituit: *quanquam ad exequenda animæ officia calor omnium maximè adminiſtrandi vim obtineat*. Quòd ſi analoga eſt hæc natura in animalibus ſolis calori, cui dubium quin temperata eſſe debeat? præſertim quum nos edoceat alibi *calores, & refrigerationes cũ moderatione quadam generationes, ſine moderatione corruptiones efficere*. Domeſticam interim huius materiam, peculiareque domicilium connotat *Sed ſpiritus, qui in ſemine, ſpumoſoq; corpore continetur, & natura quæ in eo ſpiritu eſt*. Aeream hanc inhabitat, atque puriſſimam ſeminis ſubſtantiam: aduena non inquilinus, eamq; ſibi arrogat partem, vt Venerem corpora refrigerare aliquando dicat, *quando caloris ſynceri, naturaliſq; ſecretio fit*. Quæ cauſa eſt, vt adnotabat Auctor *lib. de Genitura*, quòd tam paruâ re excretâ, ſtatim concidat animal. Quamdiu verò vitalis hic calor ſeminibus adſtat, fæcunda redduntur, ſecùs verò ſterilia, atq; euanida iacent. Hinc eſt, quòd pro caloris participatione diiudicat fæcunditatem. *Prior ſeminis emiſſio minus fæcunda, quàm poſterior eſt: minus enim caloris animalis continet propter cruditatem*. Huic tandem motionem mandari à generante docet Philoſophus. *Facultas vtitur caliditate, & frigiditate quaſi inſtrumentis: motus enim in ijs conſiſtit, & ratione aliqua vnumquodq; efficitur: ſic enim principio conſtituitur id quod natura efficitur*. Euidentius autem eodem capite: *Ineſt hic calor in excremento ſeminali, tantam, talemq; habens motionem, & actionem, quantam*

2. De Gē. An. c. 3.

2. De Part. c. 7.

4. De Gē. An. c. 8.

2. De Gen. An. c. 5.

5. De Gen. An. c. 3.


2. De P. An. c. 4.

Loc. cit.

mo-

modicè ad quamuis corporis partem accommodetur. In artificiosis calorem nos moderamur, in illis (ſcilicet naturalibus) *natura gignentis accomodat.* Conſtat igitur, ni fallor, ex Summi Præceptoris mente, abſoluere calorem commiſſum ſibi generationis opus, hincq; fæcundare ſemina, ſpiritu inſidente, moderato ipſo exiſtente, atque tepido. Hæc, etſi tanto artificio, atque dilucidate abſoluta, carpunt inepti quidam Nouatores. *Res,* inquiunt, *pulcherrima, res in tota Philoſophia digniſſima, quæ ſciretur nutu breuiſſimo, eoq; confuſo, & obſcuriſſimo non debuit à tam magno Philoſophante tractari.* Non dedecuiſſet forſan Philoſophum in libris Acroamaticis rei dignitatem ſuſtinere, neque vulgare: ſacra nanque ſacris: verùm poſteritatis eruditioni conſulens, digito penè ita connotauit, vt nec oretenus quis familiari colloquio plus aſſequi valuiſſet. Obijcient alij frigido Cenſori enormem ambitionem, eiuſque partum, obcæcantem Liuorem, malam inſuper mentem, peſſimum animum in Ariſtotelem, ita vt præter dicteria, atq; iniuſtas Cenſuras, impium, ſacrilegum, extraq; Vniuerſitates expellendum prædicet, atque roget. Ego quidem huius ſum ſententiæ, hominem hunc neq; à limine, vt ferunt, Ariſtotelem ſalutâſſe, ne dicam eius mentem percepiſſe. Quem verò ipſe *tam exilem, atq; ieiunum dimittit,* nobis dimittat, craſſiſſimus ipſe, atque temulentus. Vnanimi igitur, ni fallor, Priſcorum Philoſophantium mente conſtat, effectiuum ſeminis principium, fæcunditatem, impreſſamque à generante motionem, nil aliud eſſe præter Innatum Calorem.

Franc. Patrit. Pancoſ. l. 20.



Cap.

Cap. XXII.

Satisfit Argumentis probantibus ſeminis Animationem.

Arg. Sol. ad prim.

HIs peroratis, haud difficilè erit oppoſitas diluere ambages. Erat primum argumentum. Facultas non ſeparatur ab eſſentiâ: ſed in ſemine eſt facultas generatiua, viſque vitalis: igitur continebit animæ eſſentiam, eritque ſemen animatum. Hoc argumentum, quod tanti apud Aduerſarios fit, nullius eſt ponderis, vel momenti: petit namq; quod aſſumpſit, abundèque comprobauit Philoſophus: proindè totum impunè negaret. Verùm nulla ſit Ariſtoteli fides, admittaturq; maior propoſitio, quãquam in Scholis adhuc controuerſa: negamus minorem. Quoniam facultatis nomen eſt ab vno, ita vt quod quis facit, poteſtue facere, quomodocumq; faciat, huius habere facultatem aliquando, dicamus. Quo in ſenſu monebat Ariſtoteles, non ſolum ſemen eſſe, quod exit, ſed etiam alias permixtas δυνάμεις, ideſt facultates, & alibi eiſdem in libris. *Quod enim maius eſt id à facultate, ampliori moueri neceſſe eſt, mouere autem calor poteſt.* Quamquam hac in ſignificatione necnon accipienda eſt facultatis vox in præſenti diſputatione. Non negârim tamen genuino in ſenſu, nomen facultatis ſignificare formam in operationes erumpentem, vel erumpere potentem: quod ſemini tamen non competit. Quæ enim facultas generatiua ipſi tribuitur, etſi Doctiſſimo Carreræ, nec vitalis, nec ab anima videatur, ſed forma naturalis propria; attamen illud ratum, nunquam proprijs viribus ſemen erupturum in viuentis generationem, ſed in ſui ſimilis, quod nec Galenus ignorauit, dum fœmininum ſemen cedere in maſculini alimentum docebat. Hinc fateberis ipſum vicarium nobilioris agentis, mutuatis viribus illuſtrius abſoluere opus. Verſatiſſi-

1. De G. An. c. 18.
2. De G. An. c. 1.

De Princip. Gen. c. 7.

tissimus M. Albertus in Schola Peripatetica, monuerat olim, quæ partes essent innati caloris, seclusis priùs operibus simplicis caloris. *In eo verò quod est naturalis*, inquit præclarus Author, *habet in se virtutem formatiuam vniuscuiusq; naturæ, cuius calor naturalis esse dicitur, si enim est in eo vis cæli, & motorum cælestium, & vis complexionis, siue formæ illius naturæ, quam format, sicut in calore seminis, plantæ, vel animalis est vis, quæ vocatur formatiua animalis, vel plantæ. Eodem modo est in mineralibus, & calore eorum: & sic opus est calorem educere formam de materia, quæ potentia est in ipsa, & figurare organa, & ordinare situm membrorum, & partium sub forma termini ante materiam. Hoc etiam modo calidum habet id opus, quod est terminare, & complere vnumquodq; in esse suo &c.* Neq; me mouent, quæ ijs obijciunt Eximij Authores. *Nanq; operari*, inquiunt, *per virtutem realem permanentem, & sibi iam connaturalem, receptam ab alio non est esse instrumentum, sed vt agens principale, & per virtutem sibi propriam*. Hos siquidem opportunè eludit Doctissimus Bronzerius, quantùm opinionis patiuntur limites: verùm in Peripato impunè cuiquè licebit falsitatis insimulare propositionem, tanquam communi laborantem vitio petitionis principij, nec censurâ vacantem, quòd intrinsecam vocet aduentitiam agentis virtutem. Differt nanq; motio à facultate, ita vt hæc inanimatis etiam communicari queat: sic Vallesij erronea corruit propositio, scilicet, *in quo est actio, & virtus sit oportet*. Siquidem actio est in patiente subiectiuè, cui repugnat includere originem talis actionis. Alium verò si libeat propositionem inflectere in sensum, huic æquipollebit futili enunciatione, *quod operatur, habet virtutem operandi*. Quotusquisq; nanq; est, vel in Physicis mediocriter eruditus, qui non obseruauerit, accidentia alienam afficere materiam, eamque in formam substantialem promouere, vltra proprias vires, domesticumq; censum? Et quis non fatetur, motionem impressam, vel ipsis proiectis, vel aeri circumfluo (non enim rē nunc de-

4. Mete. c. 4.

Soncin. meth. c. 36. Carrer. disp. 36. c. 1. Sect. 2. c. 3.

Controuers. li. 2. c. 4.

decerno) verùm indico operationes alieno ſubiecto ab efficienti adeo impreſſas, vt ſeclusâ eius præſentiâ integerrimæ vigeant? Quòd ſi reluctante inſuper naturâ eius, cui inhærent, permanent, atque adſeruantur, quid ſi ſubſtantia illa lubens admittat, nullaque hoſtilitate ſuſtineat commiſſam ſibi motionem? nam ſi de quo minus ineſſe videbatur, & ineſt, ergo & de quo magis. Sic corruit eorum Achilles. Erat

Ad 2. ſecundum Argumentum virtute tale: Quod diuiditur in partem mouentem, & motam, eſt animatum; tale eſt ſemen: igitur animatum. Maiorem ſi cum Auerroe negarem, quâ de motu inanimi; non eſſem arguenti iniurius: admittam tamen, dum minorem, tanquam falſam, reijcio. Vnico nanque perfungitur munere ſemen perfectorũ animalium in generatione obeunda, nullaſq; materiæ exercet partes; verùm ætherea illa, cuius cuſtodiæ præerat, communicata ſanguini materno ſubſtantia, auolat, atque diſſoluitur, vt opportunè diſputabimus. Oppo-

Ad 3. nebant tertio loco: Non fit ex ſanguine caro, niſi caro animata ſanguinem commutet: ergo longè minùs ex ſanguine fiet animal, ſi ſemen, quod eſt principium actiuum, animâ careat. Reſpondemus (non controuerſa ſimilitudinis vi, quæ tamen topicum, non ſcientificum apta eſt conſtituere genus medij) quòd ſemen licet abſolutè non ſit animatum, eſt tamen ſecundum quid, organicè ſcilicet, atque inſtrumentaliter. Nam & baculus, quo ſaxum in præceps propello, inanimis eſt, animæ tamen obſequitur remouenti prohibens, inuiolatamq; defert ſui impellentis motionem. Non repugnat igitur agens minùs

2. de Gē. An.c.3. principale eâ deſtitui formâ, quam alterius virtute introducere ſatagit. Ad Ariſtot. authoritatem vitam ſemini, & conceptibus tribuentis, non minùs quàm ſtirpibus, pars nanque vitæ animalium in procreando conſiſtit, altera in alendo; facilis eſt reſponſio: non enim vitam illam intelligit, quæ animæ eſt permanſio, vt alibi oportunius diſcutiemus, verùm impreſſam quamdam animæ vim, caloríque æthereo demandatam, cuius

præ-

præsentiâ fæcunda sunt semina, absentiâ, vieta, atque sterilia. Proinde Analogicè viuere semina iure dicuntur, & quòd sui efficientis, antequam motionem conseruent, & quòd in opus, vt facultas dabitur, eruptura sint. Hinc Arist. loco citato hoc genus vitæ innuens, dixit, *Vita omnibus modis priuatum*, & fæcunditati insuper hoc refert acceptum, tanquam irrefragabili signo, *& aliquandiu prolifica sunt*: quod & nos superius animaduertebamus, à Præceptore eruditi, qui seminibus, & fructibus animam apertissimè negabat: Quapropter sibimet contradicunt, si vitam illam, quæ *animæ est permansio*, obliuiosi modò his indulgent, verùm superstitem illam viuificam motionem à generante pridem communicatam insinuare pretendit, nulla repugnantia, sed consona vbique doctrina. Prætereo lubens, quòd excrementis, quanquam diuersis à natura, principium hoc concedat in eodem capite, appelletq; *vitale*: nam & digniori ipsum insigniuerat titulo, dum dixit *semen animastici principij*, cuius absentiâ censuit menstrua semen impurum: *vnum enim illud non habent principium animæ, & originem*, parique subiacere ærumnæ Ouum, dicebat, subuentaneum, *quod principio careat: quapropter animatum non est: id enim à maris semine affertur. Quod principium, vbi fæminæ excrementum receperit, conceptus fit.* Sin à Galeno principium hoc sciscíteris; oretenus hæc te docebit. *Quòd tamen hæc quoque formam omnem habeant, quam & alia oua, apparet euidenter: vt enim perficiantur, solam à masculo desiderant caliditatem.* Quapropter nec mirum, si dormienti Geometræ assimilauerit semen Arist. cuius nempe duos præcedentes gradus, & vigilantis, & geometrizantis, actum primum, & secundum repræsentabant: quoniam potentiâ est quidem ob animæ absentiam, actu verò propemodum animatum; quod animæ principium illud includat. Sic veram nunc deprehendes Aristotelicam illam conclusionem, *Semen igitur, & habere animam, & esse potentia palam est.* Hanc tamen priùs poteras æquo iure, vt suspectam, repudiare:

2. De An.

14. De V. Part. c. 1.


propterea quòd nullum inter contradictoria sit medium legitimè Philosophantibus. Postremo tandem argumento ex Galeni placitis deducto, satisfacio: quod vitam semihi assignet non dissimili ratione, ac fecerit Arist. Functiones verò, quas semini tribuit, aliàs examinabimus: sic corrunt argumenta probantia semen animâ esse præditum.

Epilogus.


SIc prælucentibus facibus Principis Peripati, fugatâq; iam obuiâ caligine, vidimus quid sit Genitura,& qua è materia proximè oriatur:Hinc *prolificã* illius *facultatem* scrutati,animæ cuiuscumq; præsentiã,formarumq; inchoamenta à semine exclusimus, & vnicam motionem à Generante commissam innato calori, cum Præceptore, extulimus. Superest, vt Candidi Lectores, & quibus Pietas cordi est, æqui, boniq; consulant non importunos hosce conatus, & quòd aueo,resipiscant, erronis depositâ pertinaciâ,neq; se vinci patiantur ab Ethnico homine, piè, castèq; de Animæ humanæ origine sentiente.

FINIS.


LAudârunt omnes Institutum, non minùs, quàm methodum ab Authore seruatam, vt qui abstinuerit ab alienis Quæstionibus, præter morem Recentiorum, in hac disputatione, suo loco, vt credere par est, illas reseruans. Animus erat quibusdam ex nostris reuocare nonnulla ad libellam: verùm quoniam præscripta instabat hora, salutato Eudemo, pactoque reditu in crastinum, omnes discessimus.



NOX




NOX GENIALIS TERTIA.





OX aderat, micantemque facem præferebat nobis redeuntibus Veſperugo. Læti congredimur, neque aſymboli, vrgente promulgata Lege contigit tamen, dum ſchedulas viritim in arculam intrudimus, vt obſtrueretur modica illius rimula ab iniecto volumine. Riſit Eudemus, vrbanèque ſuadebat, vt primas daremus nouo Magnati, obſtinatè ſecùs intercepturo noſtris ſymbolis viam. Arriſimus, laudauimus, onuſque recitandi Philetæ demandatur, qui ſolatis vinculis, explicatoq; volumine, confeſtim ſic fuit exorſus.

APOLOGIA DE GANGRÆNA.



Cap. I.
Præfatio, & ſcribendi occaſio.

TVrbatam animi ſerenitatem, prę mortis formidine, ſuis reſtituere Myſtis tentabat. T. Lucretius Carus, aſſerens

„ *nobis nihil eſſe in morte timendum* — Lib. 3.
„ *nec miſerum fieri, qui non eſt poſſe*

incaſſum profectò, ni obliuioſos futuros ſperabat. Quandoquidem paulò ſuperiùs Antagoniſtæ obiecerat.

„ *Denique ſæpe hominem paulatim cernis obire*
„ *Et membratim vitalem deperdere ſenſum,*
„ *In pedibus primùm digitos liueſcere, & vngueis*
„ *Inde pedes, & crura mori: poſt inde per artus*
„ *Ire alios tractim gelidi veſtigia lethi*

Licet enim ad libri tertij vſque calcem conſtanti ſententia propoſitum ſibi euincere contendat, nempe

„ *Nil igitur mors eſt ad nos, neque pertinet hilum*

Quî tamen poterant miſeri illius obliuiſci,

„ *Qui poſſit viuus ſibi ſe lugere peremptum*
„ *Stanſque iacentem*

Quin videns, viuenſque lenta morte deartuatus fato cedebat. Sæuiſſima profectò hæc laniena, vel ab ſpectatoribus lachrymas extorquere valet, quod nuperâ obſeruatione, funeſtoq; euentu experti dudum fuimus in Nobili Virgine Florentina.

Laborabat hæc febre putrida, & mali moris, vixque prætergreſſa vniuerſale morbi principium, ſollicitata Natura, præ humorum malitia, perperàm tentauit moleſtam deponere ſarcinam. Noctu paſſa eſt leuiſſimam è naribus hæmorrhagiam, manè obſeruabantur naſi pinnæ, & cuſpis ſubliuidæ, obſcuræ præterea vibices in vtroque cubitorum, quod etiam paulò poſt contigit in cruribus, & pedibus. Nouitas hæc incuſſit, vti par erat, timorem, imminenſque periculum ſignificaui domeſticis, & adſtantibus, præcipiens, vt familiaris aduocaretur Chirurgus, qui congrua quamprimùm aptaret remedia. Poſterâ die omnia exacerbabantur, naſi liuor progrediebatur, vibices iam degenerârant in maculas ſanguineas violacei coloris, illaſque amplas, & frequentes, ita vt parùm illæſæ cutis ſupereſſet. Duplicârunt hæc metum: quapropter inſtitutis vniuerſalibus præſidijs labantis Naturæ in ſubſidium, reliqua perito commiſimus, nondum præſenti. Is verò, neſcio quo conſilio, naſi apicem pridiè liniuerat Infrigidante vnguine Galeni, loto cum Vino Græco, eodemque vino, aceto diluto, cruribus conſuluerat. Quæ remedia modeſtè tunc improbauimus, & aptiora ſtatim adhibenda Medico Domeſtico ſignificabamus. Omnia incaſsùm. Manè quum horâ ſtatutâ ægram viſitarem, ne tempus interim periret, detegi partes affectas iuſſi. Obſeruabam naſi cuſpidem nigra cruſta obductam, reliquum fœdè coloratum, ſummos pedum digitos velut ambuſtos, ſuperſtitem cutem pedes vndequaque ambientem, penè denigratam, attractam, minimè concidentem, ſenſuque inſuper orbatam. Diù multùmque moratus, quoniam alia negocia vrgebant, abſenti Collegæ animi votum ſyngrapho tandem ſignificaui, imminens malum iam aduentâſſe, certa remedia raptim præſcribenda, exequendaque à Miniſtro actutùm, nempe ſcarificationes rectas, cauendo tendines, vſum Vnguenti Ægyptiaci, Malagma, quod Emplaſtrum vulgò dicunt ex quinque farinis cum vino generoſo, aut lixiuio in quo

priùs

priùs ebullierit Scordium. Subſcripſit ſerò adueniens Collega, ordinemque rerum peragendarum manu propriâ chirurgo præſcripſit, qui tamen omnia naucifecit, ſuetoque aceto, & vino partes madefecit. Vt conuenêre horâ pomeridianâ, religione ſe teneri dicebat Chirurgus, ne obtemperaret, neque poſſe, ſaluâ conſcientiâ, laudata à nobis præſidia adminiſtrare, quæ Gangrænæ tantùm conueniunt. Non eſſe verò hanc Gangrænam, quoniam non præceſſerat maxima inflammatio. Sat ſpei ſibi eſſe proprijs in remedijs, aliàs expertis. Quæ tamen quum nihil proficerent, meticuloſior factus, vino, & aceto ſubſtituit elyxir vitæ, nec non lanea tegumenta ad fouendum ſuperſtitem calorem. Emicuit alicubi ille indicans validioribus auxilijs ampliùs ſe profecturũ, quæ tamen dilata, aut contempta, ſpem nullam ſalutis tandem nobis faciebant reliquã, propagato morbo, omnibuſque exacerbatis. Communi voto nouus accitur Medicus, iſque peritiſſimus, maioris Noſocomij primus Chirurgiæ Magiſter: ſtatâ horâ cõgredimur, obſeruamus ægram, conſultaturi conſedimus. Peruicax ille, neque ab exitu admonitus, meliùs dixerim à proximo exitio, poſthabitâ Morbi Ideâ, & cauſis, quin omni debita conſultandi norma, erupit ſugillans præſcripta olim à nobis remedia, ſuique in patrocinium pertinaciter recitabat mendicata vndequaq; placita, & quæ Viri erat peritia in Auctoribus euoluendis, cancrum cum Gangræna confundebat. Quo errore ſeductus, placidiſſimè tractari debere huiuſmodi affectum effutiebat, nullaque ſcarificatione, aut acri medicamento tentari. Repreſſa vnanimiter fuit ſcioli audacia, ſuperſtite tamen peruicacia, craſſiſſimæ ignorantiæ prole. Dumque ſciſcitarer, à quonam miſer ille fuiſſet inſtitutus, vel ſeductus, intellexi Bacchico quodam, ſeu Bacchante, qui morbis omnibus Vino Hiſpano, Maluatico, Græco, & elixir vitæ medebatur, vſum fuiſſe Præceptore. Deſij mirari, vt hæc reſciui, huncque Achillem tali Chirone dignam exiſtimaui fœturam: vtrumque verò mu-

nire ſe tractatiunculâ, typis olim editâ, cui titulus eſt de Gangræna, & ſphcæli diuerſa curatione, quam tamen neuter perceperat, verùm ad proprium ſenſum enormiter diſtorſerat, ſummo cum artis dedecore, ægrorumque pernicie; Quod & breui contigit in noſtra decumbente. Dum enim iners ille cunctatur, effrænis morbus membra depopulatur, iamque ſuperior remedijs, quæ ſerò ſapiens Alypta faſtuoſus perperam adminiſtrauerat, necem intulit infeliciſſimæ Virgini. Quæ dum animo diù, multùmque mæſtus reuoluo, humanæ miſertus ſortis, proprijq; inſtituti haud immemor, decreui quantùm in me eſt, Cimmerias illas tenebras diſcutere, facemque erronibus præferre, ne poſthac cum ratione inſanientes commiſſos illorum fidei ægrotãtes ſecum trahant in ruinam. Procul à me abeſt contradicendi, vel ſugillandi æſtus, vrget pietas, & veritatis amor; quorum in gratiam accuratè, breuiterque examinabò *Diuerſam*, quam præfigunt, *curationem Gangrænæ, & ſphaceli*, ductu Medicinæ Procerum, rationum momentis, nec non experimentorum ſuaſu. Age rem incunctanter aggrediamur.

Flor. Typis Mare ſcotti.

Cap. II.

De Gangrænæ rectâ nomenclaturâ, Abuſu, Ideâ.

QVò verò omnis euitetur æquiuocatio, planaq; ſternatur via ad veritatem tutò indagandã, præfari nonnulla neceſſe duxi, primumq; de nomine. Siquidẽ contigit nonnunquam confundi Cancri appellationẽ cum Gangræna, quod videri præcipuè eſt apud C. Celſum, vt qui genus illud conſtituat ſub Gangræna, generiſq; appellatione propriã ſpeciẽ appellare nonnunquã potuit impunè. Infeſta ambo profectò ſunt mortalibus, inuictaq; plerunq; domeſticos depopulantur lares, verùm Cancer, præter diuerſam originẽ, nomenclaturam etiã ab animali mutuatur, quòd adultus æmulatur. Secùs Gangræna, quæ Galeni teſtimonio, nec locum affectum

Lib. 5.

2. Meth. c. 2.

no-

nomine repræsentat, nec causam insuper, quæ illã effecit, verùm ab effectu nomenclaturam nacta est: deriuatur enim à verbo Græco γράω significãte ἐσθίω per diplasiasmum, comedit nanque singula quæ apprehendit, vicinisque minatur. Sat hæc de nomine apud veteres, licet & hi nonnunquam à vera nomenclatura deuiauerint, quod monebat idem Pergamenus. Sed præstat in rei confirmationem hominem induce- 7. Aph.
re loquentem, simulque execrandi morbi Ideam patefacien- 50.
tem, quâ de repositione ossis luxati cum vlcere ad tex. Hipp. 4. De Artic.
17. *Gangrænam,* inquit, *his superuenire ob inflammationis scilicet magnitudinem, vbi excedentia ossa recondita fuerint. Inflammatæ ergo partes, cùm rubor inflammationis recedit, liuidæ euadunt, minuiq́; dolor videtur, eò quòd sensus torpeat: sed, vbi, quæ sic affectæ sunt, ex toto sentiendi facultate carent, græcè id vitium non amplius Gangræna est, quæ tanto grauior eiusmodi inflammatione est, quanto leuior sphacelo: sub hoc enim natura membri vniuersa corrumpitur: idemque, vbi iam hæret, curationem non admittit, sed solùm à principio, cùm nondum sphacelus est, sed magna Gangræna sphacelo vicina. Verùm abutimur interdũ vicinorum affectuum nominibus ad eos significandos, qui ad hos accedunt, quanquam nondùm ex toto ipsorum speciem, & naturam habent. Sic igitur & ingentem inflammationem, cum non ampliùs suum colorem tuetur, dolorique est, interdum nominare Gangrænam consueuimus, quæ quamuis Gangræna nõdum penitùs sit, futura tamen est paulò post, si negligatur.* Ex quibus elicio non tam promiscuum nominum vsum, ne dicam abusum, quàm veram Gangrænæ essentiam.
Quum enim sit via quædam ad sphacelum, iure, meritoque De Tũ. p.n.
elegit idem Galenus loco generis *mortificationem*; at elucet vita maximè in partibus solidis, harum igitur labes, inque syderationem progressus, Gangræna propriè dicetur. Non ero Lib. c. c. 21.
Auctori molestus, dũ excipit ossa: magis enim me sollicitant, quæ dudum ille monebat, *quod nisi quis ei celeriter medeatur, fa-* c.18.
cilè mortificatur, quæ sic affecta pars est, quæque continua sunt, aprehendit, hominemq́; interficit.

Cap. III.
Gangrænæ causæ.

HAud vagabor tamen, si Gangrænæ causas inuestigaturus, de Vita, & Morte breuiter verba fecerim: quandoquidem impossibile sit viam nôsse, vbi terminus vterque ignoratur. At membrum Gangrænâ tentatum à vita in mortem progreditur, vt nuper audîsti ex Galeno. Par igitur est, intra excursionis cancellos, nonnulla de his libare. Multiplex est vitæ significatio apud Philosophos, cæteris verò posthabitis, quæ non sunt præsentis negocij, Vita Arist. est mansio nutritiuæ Animæ: hæc autem simul, & cum calore constituerat olim animans: Mors verò, & corruptio, est huius caloris extinctio, vel marcor. Nam siue fuerit illa violenta, vt quæ ab extrinseco, seu ex præscripta à Natura periodo; attamen omnibus corruptio fit propter caloris defectum. *Omnes autem particulæ, & totum corpus animalium habent quandam caliditatem naturalem: quapropter viuentia quidem videntur calida: morientia autem, & priuata vitâ, contrarium. Necessarium autem esse caliditatis huius principium in corde sanguinem habentibus, exanguibus autem in proportionali; conficiunt enim, & concoquunt naturali calido alimentum omnia, maximè autem quod principalissimum. Quapropter alijs quidem partibus infrigidatis remanet vita. eo autem qui in hoc, corrumpitur omnino, quia hinc principium omnibus dependet caliditatis & anima, tanquam ignita in his particulis, exanguium quidem in proportionali, in corde autem sanguine præditorum; Necesse est igitur simul vitam existere, & calidi huius conseruationem, & vocatam mortem esse huius corruptionem.* Confluit autem non solùm per arterias, sed etiam per venas, & alia foramina vniuersus à corde calor, quod experiméta demonstrant: Si quando verò benefico orbentur partes confluxu, breui moriuntur, ne dicam actutùm. Præter enim illam à longin-

Arist. lib. de Iuuē. & Senect.

Arist. c. 14. c. 2. l. 1.

Gal. de v. Puls. c. 3.

gin-

ginquo petitam crasim,habent nec non prestantiora animalia, quibus debeant propriæ constitutionis exordia. Feriabantur elementa tunc, quum materno sanguini accessit coagulum: vtraque verò mixtis, non simplicibus corporibus originem ferebant acceptam: quin & viuentium semina Diuinæ benedictionis in obsequium è plantæ meditullio, nobiliorique succo nascuntur, viuifico calore comitata, cuius instinctu singula fabrefiunt organa. His post operosam structuram insidet ille, æconomus nunc animæ, qui dudum fuerat Prorex, quanquam Regiam incolit in Animalibus, prouidusque dispensator spiritu, ac tenuiori sanguine vectoribus, cuncta fouet, promouet, atque in officio continet: Qua de causa forsan, summus ille Naturæ à secretis enunciauit. *Quare non oportet in vnoquoque esse animam, sed in quodam principio corporis existente, alia quidem viuere, quia adnata sunt*, vel *annexa*, vt alij vertunt. Alibi verò constanti sententia, *enim verò cor principium, & fons sanguinis est, quo alimur, & principium idem, ac fons vitalitatis, & spiritus*. Quæ verò ad tempus se insinuat organis insiti caloris portio, temperamentum constituit animæ functionibus congruum: conflua præterea illa est, & reflua nullo partis incommodo, quin maximo cum commodo, dum viuidiori consorti locum non inuita cedit, seque recedens instaurat. Haud enim ignorare te puto calidum innatum esse corpus de genere substantiæ, suis ornatum passionibus, cui & nutritio, & auctio, & diminutio, nec non latio competunt, immò & mors ipsa, quum sit animatum. Pluris verò illud faciebat Medicinæ Dictator, referente Galeno, disertis verbis. *Neque enim aliud quicquam est natura animalium, præter hoc calidum, secundùm Hippocratis opinionem*. Quo præceptore alibi enunciabat. *Calorem autem non acquisititium, neque animalis generatione posteriorem, verùm ipsum primum, primogenitum, & insitum, ac natura sanè, & anima nihil aliud quàm hic existit*. Ad pensum redeo. Haud sat erat vicissitudo illa, vt calor partium innatus incolumis diù

I. De Motu An. c. 7.

1. De Anima.

Gal. cō. in prim. Aph. 15.

Loc. cit.

Lib. de Trem. c. 6.

serua-

seruaretur, nisi perspiratione cauisset Natura illius indemnitati. Dubio nanq; procul substãtia cõstat per se mobili, semperq; mobili, huic verò locò consistere, mors est: quapropter neque intra solùm, neque extra fertur; sed alterum ipsius motum alter excipit. Causæ huiusce euentûs sciscitari si aues, consule eundem Galenum, qui enucleatè rem tibi ob oculos ponet. Transpirationem verò, quæ per vniuersum corpus fit, sufficere, alibi asseuerat; quapropter hanc cor ipsum per arterias efficit: hæ verò, præterquamquòd aeream, igneamque substantiam tuentur, refrigerant, & purgant omnes partes: sanguinem tenuem insuper trahunt ex venis: quin extentum, extremis in partibus, & foraminibus, quocunq; è loco sibi vicino attrahere quicquid ipsius sinus implere idoneum fuerit.

L.cit. 4. de loc. aff. c. 7. 1. De T. Val. De Vsu Puls. 6 De V. Par. c. 17. Lib. An. Sãg. c. 7.

Cap. IV.

Rem propositam comminùs inuestigamus.

PRoperat in mortem membrum Gangrænâ correptum, mors verò, vt nuper sanciuit Philosophus, quum sit innati caloris corruptio, ad cuius interitum concedit anima, fitq; cadauer, dubiò procul erit Gangræna labes quædam innati caloris in parte affecta, properans ad omnimodam illius corruptionem. Hæc verò, siue contingat per marcorem, siue per extinctionem, certò certiùs est in via Aristotelis, *ambas propter idem fieri corruptiones. Deficiente enim alimento, non potente calido accipere alimentum, corruptio fit ignis*: neuè metaphoricum tibi fingas alimentum, faciunt, quæ statim annectit, *contrarium enim cessare faciens coctionem, prohibet nutriri.* Quin constanti sententia eiusdem tractationis cap. 8. reijcit illorum credulitatem, *qui alimenti gratia credebant fieri respirationem, tanquam quod alatur spiritu internus ignis.* Primum quidẽ, quoniam hoc contingere *debebat, & in alijs animalibus, omnia enim habent caliditatem vitalem; deinde & fieri calidum ex spiritu, quo*

De Iuu. & Senę. c. 3.

opor-

oportet modò dicere fictitium, magis enim ex alimento hoc fieri videmus. Quorsum hæc dices tu? Audies mox, mi homo, ni obaudias. Vera igitur nutritione ali quum debeat innatus totius, & partium calor, vltimum verò alimentum in sanguineis sit sanguis, Aristotelis monitu, dubiò procul innati caloris substantia, vtpotè præstantissima, perquam defœcato sanguine aletur, qualis est arterialis, operosa cordis elaboratione confectus. Calor, si valet, præstòque est debitum alimentum; omnia in tuto sunt: sin alterum ipsorum, vel vtrumq; desint; imminet pernicies animali, aut illius membris. Infirmus calor parùm attrahit, ægriùs concoquit, feruidior propriam depascitur substantiam, sibique molitur ruinam. Hunc summus ille Medicinæ Dictator Hippocrates enunciauit alicubi: *Calor, qui nos genuit, nos destruit.* Verùm debilis est calor, vel ob præstitutam rei caducæ periodum labascens, vel ob luctam cum aduersario, diuturnam in Chronicis morbis, animi passionibus, & similibus; breuem in acutis, præ hostis energia. Materiæ vitium stat vel in quantitate, vel in qualitate; nam substãtia commodè ad qualitatem reducitur in re præsenti. Multa si fuerit materia, obruit calorem, non reficit, pauca defraudat, nulla destruit. Insuetæ multitudinis causæ in parte sunt, aut tractio, aut congestio, vel tandem transmissio. Paucitatis, vel quando non generatur, vel minor portio exigentia, vel si generetur, impediatur, ne illuc confluat, ab astrictione, vel obstructione. Hæc de alimenti, seu materiæ quantitate. Superest qualitas: hæc verò, vel manifesta lædit hostilitate, quo in genere sunt primæ illæ elemẽtorum, necnon secundæ nonnunquã; vel occultæ, summèq; actiuæ qualitates, quod fit in peste, febribusq; pestilẽtibus; vel malignis. Neq; ignorare insuper par est, quod coctioni necessariò succedunt excremẽta, portio, nẽpè, illa rei oblatæ, quæ à Natura reijcitur, tanquam inutilis alendo. Hæc si diutius retineatur, reliquum inquinat alimentum, inque calidi innati perniciem conspirat, sæuior reddita ob moram, sui-

Lib. cit.

6. Epid.

que

que copiam. Concurrunt sæpè causæ hæ, vel omnes, vel quamplurimæ, subiecti in perniciem, quo plures verò, illæque validiores, eò citius, atq; validiùs innatum calorem prosternunt. Exemplo tibi sit Gangræna à phlegmone: obruitur innatus calor præ materiæ copia, inops tamen ob denegatum sibi cum corde commercium præ arteriarum astrictione. Vrgent excrementa, fuligines nempè, parti, & calori exitiales; hunc enim cogunt sensim degenerare in extraneum. Non controuersor, causticorum improbo vsui succedere nônunquam inflammationem, verùm, & proprijs, minimèque mutuatis viribus valet innato calori bellum indicere. Præter enim quòd obcæcant meatus, membrum destruunt, alimentum absumunt, caloremque innatum eliminant. His si praua accedat qualitas, vt in Cantharidibus, Mercurio sublimato, Arsenico, & similis farinæ pharmacis, ab imperito Chyrurgo exteriùs administratis, duplicatur malum, quod & contingit in veneno ictu illato, aut vbi deponitur maligni humoris portio extremis in partibus. Hinc calor infectus, nequit alimentum trahere, tractumue conficere, immo cor ipsum, à quo immediatum distribuitur alimentum, viresq; suppeditantur, non dissimili sorte tentatur. Frigus insuper excedens mortificat, quocumque modo inuadat: pugnat primùm è diametro cum qualitate innati caloris, membrum arefacit, cutim densat, fomitem caloris arcet, partimq; coercet, præcipue si quando ex importuno stipticorum, frigidorumque medicamentorum vsu illud contigerit. At summa siccitas frigiditati huic necessariò iungitur, alimentique inopiæ, ne dicam densatæ cuti, vasorumq; concidentiæ. Vincula, compressio, & similia intercipiunt alimentum, spiritibus viam denegant; omneque tollunt cum corde commercium. Facit, & hoc contusio insignis: præter, enim, sanguinem transfusum in cauitatibus, cordis fauore orbatum, putredinique adstrictum, interdicitur consortium, pessundatis vasis, quin distractis organi partibus, angit frigus, spemq; ali-

menti nullam facit reliquam. Accedit frequenter, & superpondij loco, inflammatio cum tumore, ad quæ consequuntur & reliqua accidentia. Licèt verò Gangræna nihil positiuum inferre videatur, verùm labem insignem innati caloris significet, nihilominus materiam propriam non infrequenter illa agnoscit, sanguinem, nempè, extra, vel intra vasa coercitum, ibique impactum, nullo, vel summè exili innati caloris fauore irradiatum. Hæc de Gangrænæ causis sat dicta sunto.

Cap. V.

Obiter de signis, & differentijs Gangrænæ nonnulla. Indicationes pro recta illius curatione.

QVi nostri tenet instituti rationem, minimè à nobis exposcet Gangrænæ signa, atque differentias. Quandoquidem nostra disputatio vniuersa est ad hominem, illumque signorum minimè ignarum. Methodi tamen gratia hæc adnectemus. Gangręna fit, vel cum humorum affluxu, vel absque illo: si hoc; perit præcedens membri color, quod tamen commune signum est: præterea cessant pulsus, & dolor in parte, facta sensûs hebetudine. Verùm si fiat cum humorum affluxu; iungitur huic febris continua plerumque, maliq; moris, ex humoribus virulentis orta: immutatur statim partis color, proq; florido niger euadit: præcedit nonnunquam pustula, seu vessicula prauo ichore referta, qua adaperta subest nigra macula. Præstò sunt acerrimi dolores reluctante Natura ob insuetudinem: secus verò contingebat in compari præ cõmercio. Tandem fit hæc præcipuè in partibus extremis, tentante facultate quàm lõgissimè propellere materiam noxiam. Vtrumq; verò considerari valet diuersis temporibus: habent enim latitudinem quandam, neque consistunt in indiuisibili. Suppeditat necnon & duratio nouas differentias: quantũcunque

que enim, repentinus sit morbus Gangrænâ; nihilominus obseruatio monet imparem esse velocitatis progressum pro causarum, & subiecti natura. Fit Gangræna cum Vlcere, & absq; Vlcere; in superficie membri, vel in profunditate; aut, quod deterrimum, vtrobique. Extenditur nonnunquam, partemq. vniuersam apprehendit: arctis consistit aliàs limitibus: contumax hæc est, obsequens illa, si rectè tractetur. Mille deriuabis tu Gangrænæ defferentias ex proprijs fontibus, quas de industria missas modò facimus. Illud tamen repetam, sæuissimum esse morbum Gangrænam, contemptumque degenerare in syderationem, maximo cum Artis dedecore, ægrique pernicie, aut saltem grauissimo incommodo. Nam, proh Deûm, atque hominum fidem, cui malo ocyus occurrendum, quàm vbi agitur de summâ rerum, morsque præ foribus est. Digladiantur vita, & mors hominis in arena: nos verò oscitabundi spectatores miserum nostræ fidei commissum cunctando perdemus, aut, quod grauissimum, aduersario blandiemur? Neque profectò sat est virtuti consulere, vniuersoque corpori prospicere, nisi labefactato membro auxiliarẽ admoueamus confestim manum. Labascit, vt audîsti, naturalis calor in parte, præque alimenti inopia illud contingit; studendum proindè est, vt quam primum, & perquam appositè consuetum accedat alimentum, cunctaque propterea tollantur impedimenta. Siquid corruptum absolutè est, remoueatur, tanquam extraneum: futurumq; Naturæ noxium: aut arefiat balsamicis exiccantibus; vitiatum, quantum in arte est, restituatur, præseruetur quod proximum, neque inquinatum. Hæc sunt quæ cordatus quisque Medicus proponere sibi debet: hi scopi, quantùm pro viribus dantur, sunt attingendi: alioqui crimini reddetur ille obnoxius: Qui non prohibet mala quum possit, facit. Assentientur forsan, nonnulli fautores nouæ opinionis, reliquas indicationes naucifacient, atque explodent; quapropter æquum, parq; est ad trutinam rem expendere, singulisque in

Prognosis.

Indic. Curatiuæ & Præseruatiuæ.

in medium prolatis, ſingulatim, & cominùs congredi cum Aduerſario. Agè manus conſeramus.

Cap. VI.
Innato calori proſpicito.

INdicitur calori innato bellum, quod dudum euicimus, cunctiſq; machinis expugnare nutantem ſatagit pernix morbus. Quapropter Medici probi officium eſt, conſultore Hippocrate, *non conſentire affectui*: aſſentiretur verò, ſi deſes, & iners exitum tempori committeret. Neq; ſat eſt innati caloris fonti, vtcunque, proſpicere, ni peculiaris habeatur ratio illius, qui languet in parte: hic, enim, ſiquando degeneret, ineluctabilem quoque deferet noxam primæuis laribus caloris, ductu patentiſſimo arteriarum. Audîſti ex Ariſtotele, laborare hunc inopiâ alimenti, ali ſanguine puriſſimo, eoque intra cor elaborato; nouis inſuper ſuppeditatis viribus inſtaurari, feſſo ſubſtitui recentes copias: quapropter omni ingenio conſeruandum eſt cordis cum membro commercium. Conſeruabitur autē, ſi viæ ſint patulæ, neq; pars contumax reluctetur, abigat, vel deſtruat beneficum hoſpitem. Igitur fouendus inſuper eſt calor innatus, alliciēdus, muniendus, vt perſeuerans in officio hoſtem propulſet. Plurima ſunt, vel eſſe poſſunt in membro affecto, quæ beneficium remorantur, intemperies, primùm, quæ rarò, ſola corripit, frequentior materiam ſibi comitem aſciſcit: hæc autem vel halitus, vel humor, vel ipſa partis ſubſtantia, aut tandem iuncta ſimul omnia, quod frequentiſſimum. Æſtuat primùm calor, ni moueatur, deinde corrumpitur: parem inferunt labem excrementa, ſi quando diù retineantur. Sanguis propterea, licèt altioni congruus, vitiatur, atque degenerat, nulli vſui futurus in poſterùm, quin certam illaturus noxam, ni maturè educatur, qua de re infra. Non diſſimilem nanciſcetur ſortem, ſi quando præ virulentæ qualiſcunque

materiæ contubernio corrumpatur: pari nanque cautione imminenti discrimini erit consulendum. Solida pars, verum intemperiei subiectum, solidè plerunque afficitur, inbibitisque feralibus succis aduenięns pessundat alimentum. Accedit & nonnunquam sanguinis grumus, velut in Aneurismate, præ cuius contubernio antiqua partis perit temperies, visque calori innato ex pessimo corruptionis genere infertur. Præter intemperiem verò, contumacem reddunt partem tumores à quacunque causa orti, nec non continuitatis solutio, quibus prouidendum propria, & communi curatione secùs languens membrum feriabitur ab officio, & aduenięns alimentum erit oneri, non emolumento. Reliqua pariter remouenda sunt impedimenta, quæ commercium cordis cum membris intercipiunt, siuè illa sint externa, quale est arctum vinculum, siue interna, vt tumor, obstructio, vasorum conniuentia, & similia. Hæc si præstes, breui reuiuiscet languens membri calor.

Cap. VII.

Quod corruptum, remoueto, aut arefacito.

ABstinere poteram à superfluo labore, videborque, forsan, aliquibus lucem Soli velle addere, quum tamen verissimum sit nostro sæculo illud effatum. Nunquam sat dici, quod non satis discitur. Nemini hucusque fuerat controuer-
5. Meth. 3. sum teneri Medicũ ex iniuncto sibi officio hominis Naturam tueri, ac proinde res singulas illius naturales, viceque versa, quæ præter naturam huic contingunt, nulla interposita mora abigere, propulsare, remouere, siue sint causæ, siue morbi, siue huius symptomata, pręcipuè verò si nullam receptura sint gratiam imposterùm à Natura, cadantque sub censum rerum illarum, quæ toto genere præter naturam dicuntur. Audi modò
9. Meth. c. 11. reliquam ratiocinij partem Dictatore Galeno. *Ergò quod corruptum est, id alienum à Natura est, quod tale est, id se auferendum*

dum dictat. Et constanti sententia idemmet Auctor eiusdem tractationis *lib.* 11. hæc monet. *Tanquam igitur in ijs corporibus, quod reliquum est, in frigidum aerem sublato perspirationem refrigerantem moliuntur: ita vtique, & putredinem, quæ in viuis orta est, sanabimus, id scilicet, quod iam corruptum est, omni ratione vacuantes: quod reliquum est, moderatis motibus, & refrigerante perspiratu, ad exactam symmetriam reducentes.* Et quod è re nostra, paulò post annectit. *Ac, si quidem totum corpus dictorum iam singula occuparent, etiam toti corpori per contraria est succurrendum: sin vnam partem quampiam putredo inuaserit, illi adhibenda iam dicta sunt remedia.* Præter verò corruptionis notam, & perpetuæ molestiæ certitudinem, si damnum minimè dubium corpori vniuerso immineat à re corrupta, neque dum è corpore exturbata; certò certius in Medicum causam conijciet, neque iniuriâ, quandoquidem ratum illud est, qui non prohibet, quum possit, mala facit. Quem prouentum, quæso, Medicus expectabit ex corruptæ substantiæ adhæsu? an non præcipua corporis membra cum affecta parte communicant propriorum ductuum merito? Arterias verò, ob incessantem motum, quis prohibebit quominùs ad cor rapiant putredinis miasmata? Accedit insuper damni in partes morbi transitio, ob connexionem, & symboleitatem. Quæ, enim, maior esse potest analogia, quàm portionis membri cum altera portione sibi continua? Corruptum igitur statim remoueri debet, quoniam inutile, onerosum, tandemque naturæ funestum. *A Medicis punguntur, & secantur marcida, sanaturque, & viuit homo.* Contingit tamen nonnunqnam, vt necessarij, vel æger ipse, cæco sui amore seductus, mutilari renuat. Quapropter in hoc casu enitendum, ne putrilago vlteriùs serpat. Intercipit putredinem vlteriorem arefactio, neq; patitur mistum dissolui, post fata membri viuentis, verùm integrâ priore figurâ, seruataq; antiquâ compage, durat, curati cadaueris Ægyptij ad instar. Balsamica sunt, quæ illud præstant, medicamenta, atque te-

Cap. 8.
L. cit.
Hipp. li. 1. de Dieta.

tenuium partium, quò altè penetrent, seque insinuent in penitiores corporis illius recessus. Quod si nostra non respuis, cõmunicabo tibi exemplar salituræ, quâ nuper obductus fuit pes sphacelatus Nobili Viro, donec spontè decideret, in totũ similis Mummiæ Niloticæ. Descriptio talis erat.

℞. Myrrhæ electæ.
Aloes succot.
Thuris.
Masthicis. } An. ℥ ij.
Belzuini. ℥ iij.
Rad. Ireos pulu. ℥ j. ß.
Croci pulu. ℥ ß.
Asphalti Sogd. ℥ iiij.
Resinæ Therebint. Laric.
Olei dicti, & Petrolei recentis. } an. q. ß.

Soluantur gummata in ß. q. Olei prædicti lento igne, vaseq; clauso, deindè addantur pulueres, & Resinæ q.s.M. vt artis est.

Quo pars illinatur per vices, donec ęquali, & crassiore amiciatur crusta, duratura in æuum,

Cap. VIII.
Vitiatum pro viribus restituito.

VBi verò spes adhuc sit reliqua, neque corruptio vsque adeò processit, vt insitum partis calorem confecerit, penitusq; suis è sedibus eliminauerit, tunc solers Medicus nullum non debet mouere lapidem, vt, quod vitiatum est, corrigat, Natura fauente, cuius ad exemplar curationem instituit. Præter enim monstrosas curationes, quas illa, quanquam rarò, molitur, eaque propter sub artem, non cadunt, studet antiquo instituto, facere semper, *eorũ quæ fieri possunt, quod optimum est.* Arist. 2. de Cælo t. 34.

Præ-

Præterea nil intentatum relinquit, vt, quod olim absoluerat, tueatur, lapsumque ad meliorem deducat frugem. Hinc videre est, quantâ prouidentiâ ipsa sibi sufficiens, & à nemine edocta, superuacanea expurget, molesta releget, quin ex rebus pessimis, non illaudabilem generet substantiam. Naturæ ope cicuratur humorum ferocia, pristina redditur spiritibus energia, solidis corporis partibus labefactatum restituitur temperamentum, instauratur si quid deperditum, depræssum attollitur, diuisa coeunt, lacera sarciuntur, conniuentia aperiuntur, densata rarefiunt. Appositè proindè Medicinæ Parens aureum protulit quandoque oraculum. *Naturæ morborum Medicæ, nos autem ministri.* Enucleatius rem alicubi prosequebatur, *Renutrita .n. à cibis caro propulsat eam, quæ à medicamentis putrefacta est, & simul cũ natura debellat.* Quin idémet Hipp. pariter, & administrum vult Medicũ esse Naturæ, semperq; adhortatur, vt, quæ rectè à Natura fiunt, Medicus imitetur, Galeni suasu. Huius monitu considerandũ est præterea, *non modò in hoc, sed in alijs quoq; omnibus generibus: nũ habeamus facultatem, ea, quæ ex indicatione se offerunt, perficiendi: siquidem forma morbi curationis duntaxat modum indicat: id autem fieri possit, nec ne, alioquin non indicat, quum hoc in omnibus factiuis artibus non ex rei faciendæ notione depromatur, sed potius ex potentia, vel impotentia causæ effectricis, itemque ex copia, aut indigentia materiæ. Nimirum eædem res à nonnullis possunt, ab alijs nequeunt confici: atque etiam possunt nonnunquam, & nonnunquam nequeunt: etenim eorum omnium, quæ corpori prosunt, in causa tum ipsa est Natura, tum Medicus: quædam tamen Medicus, quædam etiam Natura præstare nequit.* Qui verò nullo delectu vitiatum membrum statim abscindere, igne torquere, vel absumere nititur, *tantum hic à iusta naturæ ministri appellatione abest, vt etiam maximè contrarium nomen ipsi magis conueniat, inimico videlicet, & Naturæ ipsius, & ægrotantium hosti iure appellato.* Læditur plerumque cutis, illæsis subiectis partibus, tum ob naturæ solertiam,

6. Epid.

Hipp. de loc. in Homine.

1. Epid. com. 2. t. 45.

P. Aph. com. 2. De Cõst. Art.

Gal. 2. de Dieb. Dier. c. 12.

tiam, tum etiam quod expoſita illa ſit externis iniurijs: temerarius Chirurgus, ſi membrum tunc ſecet, reus erit mutilationis, forſanque homicidij. Emendabile ſæpè obſeruatur cutis vitium, nec non contiguarum partium, dummodo calor innatus haud exulauerit: ſiquidem nouæ huic ſuppeditantur copiæ à cordis ditione, quæ niſi intercipiantur, vel à Medico curante negliganrur, certò certius ruinam inſtaurabunt. Non diſſiteor, ſecùs aliquando contingere ob curtam Naturæ ſuppellectilem, partiſque impotentiam: tunc verò impunè ſeueriùs procedet Artifex: nam læſio morte tolerabilior. Subſtituitur, ni reſtituitur nonnunquam aliquid deperditæ portiunculæ: quod tamen eundem commodè præſtare poterit vſum. tegmen erat, tegmen ſubſtituitur, forſanque validius, atque diuturnius. Interim ex leuidenti læſione præſeruatur membrum reliquum ab eximia putredine, quam conſequitur plerumque mors ægrotantis. Ocioſus alter ſpectator exitij, & qui dum poteſt, putredinem non inhibet, putridumq; non corrigit; me iudice, eâdem pænâ cum temerario mulctandus: cõmiſit ille, admitto, at veſanus hic omiſit, quæ vindicare ab interitu poterant miſerum illius fideicommiſſum.

Cap. IX.

Quod proximum, neq; inquinatum præſeruato.

Lib. de Alim. 3. Meth. & 1. Aph c. 5.

QVamquã Natura abundè præſtat omnia omnibus, Hipp. obſeruatu, propriamq; tuetur ditionem ſatagens, nulloq; vnquam tempore in animalibus ocioſa, aut ceſſans, inſtituti tamen ſui nonnunquam conſternata obliuiſcitur, vel ſi non debilis abſolutè, imbecillior, longèque impar feroci cum morbo manus conſerere. At ſiquidem integrè ſuperatur, neque reſiſtere, aut certare omnino tentat, & ſi paulùm omninò ſurgat ad pugnam, ſtatim ſuccumbit. Maturè proindè Naturæ videtur ſuccurrendum, ne pernix ille

3. Criſ. 10. c. 9.

le morbus imparatam adoriatur, atque conficiat. Consulet verò huic egregiè Medicus ille, qui non immemor Galenici placiti, primam ex indicationibus sibi proponet, vt quod secundùm Naturam se habet, custodiat, & propterea, quæ similia illi sunt, ministret. Temperamẽta verò ex eiusdem Auctoris monitu, aliàs similia, aliàs postulant contraria. Quæ, enim, vitio carent, similia perpetuò, quippe quæ seruare expedit; quæ vitium habent, aliàs similia, aliàs contraria. Vtraque forsan locum habent in Gangræna: illud tamen minimè dubium, caloris fonti primò prospiciendum, deinde membris vniuersis, ijsque præsertim, quæ annexa naturaliter sunt 3. Meth. c. 3. 8. Meth. c. 9.

„ *Nam tua res agitur, paries quum proximus ardet*

præter enim vniuersalia præsidia, roborandа pars est, intercipiendus motus humoris, vel halitûs putridi externis auxilijs, si non valeas internis. Faciet nec non ad hoc reuulsio, vel deriuatio, quin ipsa euacuatio per affectam partem: simul enim & coniuncta morbi causa, sanguis nempe inquinatus, qua de re mox dicemus, & frequentissima talis euentûs mediata causa, prohibita nempe transpiratio, dum tolluntur, sat prospicitur valentium indemnitati. Ergo præsentes iam affectus tollere, siue amouendis ijs, quæ Naturæ opus impediunt, id fiat, siue per medicamẽta, quòd ipsi molimur, omnes profectò homines curare dicunt, cauere autẽ, ne accidant, prospicere. Qui autẽ non defendit, nec obsistit si potest, iniuriæ, Tullio iudice, tã est in vitio, quam si parentes, aut amicos, aut patriam deserat, at, meo suffragio, homicidij reus in re medica. Tantum .n. hic à iusta Naturæ ministri appellatione abest, vt etiam maximè contrarium nomen ipsi magis conueniat, vt inimicus videlicet, & Naturæ ipsius, & ægrotãtium hostis iure appelletur. 4. Meth. 3. 1. de dieb decr. c. 11.



Cap. X.
Causa Gangrænæ continens.

HAbeo nonnulla, quæ lucem dictis conciliabunt, simulq; viam minimè obscuram veritati sternent. Seriem audîsti causarum Gangrænæ, consonam menti Classicorum: cominùs modò vna scrutemur continentem cuiuscunque Gangrænæ materialem causam. Reluctaberis confestim, & diuersas pro varietate differentium causarum vix admittes, ratus quibusdam neque subesse materiam. Bona verba, quæso: Gangræna passio est, aliqua proinde assignari debet illi sedes: sit extrema manus, pedisue digitus. Quæro nunc ego, quæ causa materialis huius mali? nam digitus, vt sic, non est sibi causa laboris, per aliud igitur laborat: intrinsecumue illud sit corpori, an extrinsecū, modò non curo: sat mihi est in præsens, nonnisi alicuius materiæ interuentu affici digitum. Causaberis forsan innatum calorem, cuius est corruptio in Gangræna: verùm progressus ille in corruptionem formæ locum obtinet, non materiæ, adhucque scrutari liberum nobis est, à quânam materiâ effectus prodeat. Hæc pro certitudine materiæ. Quod sequitur, non minùs durum existimabis, penitusque paradoxon. Quî, enim, dices tu, consimilem nanciscitur materiam particularis Gangræna, quæ comparem habet à dissimili promotore oriundam? Sat est, percepi; percipe & nostra tu, quin recole, quæ superius, Aristotele prę monstratore, decreuimus. Audîsti, fieri corruptionē ob innati caloris defectū, siue marcescat, siue extinguatur, deficere ob alimenti inopiā, alimentū ipsi esse sanguinem purissimū, nempe arterialem. Ineptus hic fit alendo in vnaquaq; Gangrænæ specie: quapropter languet primò partis calor, deinde, ni maturè succurratur, extinguitur. Ineptitudinis non vnica est causa, frequentior est putredo quam concipit, & continentibus partibus communicat. Verùm

rùm haud ſolus prohibitus efluxus hanc facit, ſed, & plura cõſpirant, vt proprius exulet calor à ſanguine, præ cuius abſentia concipit putredinem. Quantumuis enim tranſpiret, niſi antiquum repetat commercium, conclamatum iam eſt de illius ſalute, immò, quod frequẽtiſſimum, pro nobilitate ſubſtantiæ, deterrima fit, & perniciosa corruptio. Prætereo minimè dubias putredinis cauſas, venena ictu illata, venenatorumq; humorum decubitum, actutùm ſanguinem vitiantia, rem volens contraho ad frigus, & ſiccitatem, præſcius te illa obiecturum. Hæc verò nec in viuente animali, quin neque in recens vitâ functo tanta eſt, eſſeve poteſt, vt nullus penitùs humor ſit ſuperſtes, quod videre eſt in Tabidis, morbo, vel ſenio confectis. Humor verò dum intra breue coercetur ſpatium, viam ad putredinem facillimè inuenit: hinc liueſcunt naſi pinnæ, vngues, & extremi digiti, ſic affectis: at liuor nonniſi à ſanguine extra vaſa, intra nouas anguſtias. Præripit ſanguini fugam frigus, hincque videre eſt vel in pernionibus, paulò poſt partem inflammari, euidentique corripi putredine, ob incluſum ſanguinem. Hanc igitur continentem, ſingularemque Gangrænæ cuiuslibet materialem cauſam, eliminare ſtudeat cordatus quiſque Medicus.

Cap. XI.
Auctorum conſenſus.

HVc collimarunt præclara Claſſicorum ſtudia, eandemque inſtiterunt viam fidi illorum Clientes, qui ad præſentem vſque ætatem publici iuris fecerunt proprias obſeruationes. E re noſtra igitur erit Celebriores adducere è triplici gente Græcâ, Latinâ, Pænâ, quorum ſtudijs euecta eſt Medicina ſummum ad faſtigium. Anteſignanus prodit Hippocrates iungens, quod quæ *ſyderatione periclitantur, & vena intercepta vlcerantur, ea curare conuenit* ex Fæſij verſione: qui 2. Epid. ſec. 5.

Auctor in Textûs explicatione hæc habet. *Gangrænam, quæ nondum planè tenet, sed adhuc incipit, curare non est difficillimum. Cuius curationis admonet Hippocrates, ne propter supinam negligentiam cogamur miserum quidem, sed tamen vnicum subire auxilium. Corruptelæ igitur partis rudimentum, & Gangrænam ipsam nondum confirmatam curat profundis vulneribus adactis, & exhausto sanguine, interceptis tamen vasis, ne periculum longè grauius sentiant. Quæ cautio Hippocrati in vstionibus, & sectionibus est admodum familiaris.* Franciscus Vallesius in Commento l. c. hæc habet. *Huius curationem nunc docet Hippocrates, dicens, intercepta venâ exulcerare, & sanare, idest sanatur non aliter, quàm interceptâ venâ, & parte exulceratâ. Intercipi autem venam dicit, eam, aut eas, quæ ad partem Grangrænâ tentatam deferunt sanguinem, in via, scissione, vstione, aut laqueo intercipi. Exulcerare dicit, altius partem scarificare. Oportet ergo, cùm Gangrænæ natæ in parte incipiunt apparere, citissimè toti corpori prospicere, & si quæ vena videatur tumidior, & nigricans, eã intercipere cauterio, ac morientes iã particulas altis scarificationibus vlcerare, aut vrere aut partim exulcerare, & exedentia medicamẽta admouere, partim vrere. Minora verò his, inutilia in hac affectione sunt.* Illustris præterea est locus eiusdem Hipp. 6. Epid. quanquam aphoristica loquutione enunciatus: habet verò. *Quæcunq; concoqui opus est, occludi conuenit: Contraria verò exiccare, atq; aperire.* Prior pars non est nostri negocij in præsens, neque est controuersa, nisi tunc, quum putrefieri ab emplasticis, & meatus occludentibus medicamentis metus est, monitore Gal. in com. *aut propter humorum ipsa creantium prauitatem, aut ob affecti membri imbecillitatẽ, ingenitum calorem ita pusillum, ægrumq; habentis, vt neq; humorum in ipsum delapsorum concoctionem aggrediatur. Porrò in horum curatione scarificationibus altissimis cutem rescindimus, & plerumque vsque ad profundum in multis affecti membri partibus dissecamus, medicaminibusque siccantissimis vtimur. Huiusmodi namque inflammationibus Gangræna impendet, ab ip-*

Com.2.t.32.

sis

ſis deuicto iam, ac propè ad perfectam extinctionem accedente calore ingenito. In quibus igitur inflammationibus, aut omninò quibus in tumoribus innatum calidum, non vt extinguatur, funditùsq́; aboleatur, periculum ſubit, atq́; ideò remedio adhibito vincere humores poteſt, ad id genus vitia medicamentis emplaſticis vtimur, quæ per hæc verba manifeſtè declarauit, inquiens, quæcunq́; concoqui opus eſt. At quæ ad id deuenerunt, vt mox in Gangrænam caſura ſint, & quæ iam computreſcunt, ſtatim neq́; concoctiones poſtulant. Icciro alia quidem (vt dixi) euacuationibus per ſcarificationes, & inciſiones, medicamentiſq́; valentiſſimis curamus, alia verò iam putria recidimus, atq́; perurimus. Rectè itaq́; adiecit, contraria verò exiccare, atq́; aperire, hoc eſt, ſuppuratione non egentia: opus eſt enim in non admittentibus ſuppurationem omnes exitus recludere, affectaq́; membra arefacere. Horum memor Gal. 14. Meth. c. 13. qua de tumoribus præter naturam curandis docebat duplicem intentionem ſuboriri, priorem quidem, vt affectus ſanetur, poſterioré, ſi inſanabilis eſſet, vt vnà cum vitio pars quoque exicidatur. Ne tamen in re non dubia quis exhitaret, nodumue in ſcirpo, vt ferunt, quæreret, rursùs nobilis ille Auctor hæc de Gangræna enunciauit. *Curatur autem euacuantibus nobis quam poſſumus plurimum ſanguinis, qui in membro patiente compactus eſt, cuius cauſa fiunt mortificationes, ob id, quòd arteriæ ex anguſtia loci nequeunt ſe attollere: reliquo autem tranſpirationes exhibentibus. Aut igitur cutem vniuerſam multis ſectionibus profundis ſecare oportet, vnà cum ſubiecta ſubſtantia, aut plurimis ſcarificationibus profundis incidere. Sanguinem verò manare permittens; imponere debes ex medicamentis aliquod ad putreſcentia vtilibus: cuiuſmodi ſunt, quæ ex oxymellite, & farina orobi, vel loliȷ conficiuntur, ſi verò talia non adſint, fabarum farinam adhibe, atq́; ipſum oxymel ſolum: & ſi fortius medicamen apponere velis, adȷce ſal, aut ex trochiſcis aliquem exquiſitiſſimè tritum, qualis Andronis, & Polidæ, & Paſionis eſt. Et Muſæ medicamen ad hæc aptiſſimum, quod in Hera tomo ſcriptum eſt.* His ſubſcripſit

2. Ad Glauc. c. 9.

Tetr. 4. Serm. 2. c. 56.

Lib.4. c. 15. Lib. 7. c. 27. It. ex Paulo... Lib.4. c. 19. in calce. 4. Meth. med. c. 16. 6. c. 8.

sit Aetius, ne dicam transcripsit cuncta, quod & fecêre Paulus Ægineta, atque Oribasius. Bis Actuarius curationem Gangrænæ proponit constanti tamen sententia, primùm quà de Tumoribus præter naturam: habet verò. *Scire tamen licet, nisi inflammationes enatæ scitè curentur, eas in Gangrænam, ac syderationem commigrare, quæ maiorem quoque curam postulant, quod pars promptè emoriatur, & æger periculũ adeat. Quare vbi inflammatio in Gangrænam abijt, pars in ambitu emortua scalpello concidenda est, vt satis sanguinis eat, ipsumq́, quod iam mortuum est, excindendum: deinde medicamenta, quæ, quo minus serpat, inhibeant, inijcienda: ita enim euacuato eo, qui corruptus erat, sanguine, detractaq́, carne emortua, æger melius se habebit.* Alteram vbi de Vlceribus communibus toti corpori. *Iam verò Gangrænam, quamplurimi sanguinis ex loco affecto, inanitione curare oportet: etenim aut vena secta, si quæpiam magna circa ipsam partem reperitur, corruptũ sanguine euacuare decet, aut cute circumcirca multis, altisq́, adactis plagis, scalpello dissecta, sanguis satis copiosus est ducendus: mox quæ ad putrida accomodantur, imponemus, cuiusmodi est quod ex aceto multo, farina erui, aut loly, aut fabarum, & sale componitur: aut Andronis medicamentum:* quod paulò superiùs inter vehementia recensuerat. At verò Romanus Hipp. A. Cornelius Celsus in leniori Gangræna, præcipit primùm, *si vires patiuntur sanguinem mittere, deinde quicquid aridum est, & intentione quadam proximum quoque locum malè habet, vsq́, ad sanum corpus concidere.* Quod & obseruat in Cole Gangrænâ tentatâ, quanquam non abstinet ab adurentibus, maximèq; illo vtitur *quod ex calce, chalcitide, auripigmento componitur, si medicamenta vincuntur,* inquit, *hic quoq́, scalpello quicquid corruptum est, sic vt aliquid etiam integri trahat, præcidi debet.* Antiquissimus Medicus Gariopontus symbolum contulit: *Illa verò pars, quæ adhuc aliquid sensus retinet, & non penitus mortua est, frequenti scarificatione, & scalpello purgabitur, atque curabitur, nunc multis, & profundis plagis, nunc paucis & lenibus,*

Lib. 5. Lib. 6. Lib. 5. c. 48.

vt locus, & ratio causæ postulauerit. Detracto, n. sanguine, & constricto, considera loci necessitatem, & quæ sunt venæ, & arteriæ, quæ non habent exhalationem, atq; naturalem purgationem. Et ideo post scarificationem vteris illis medicamentis, quibus putrentia, & putrida curantur vulnera, idest farinam orobi cum aceto, & melle concoques, & cataplasmabis locum. Idem facit, & fabæ farina similiter cum aceto, & melle cocta, & apposita, & si volueris vehementius siccare locum, addes aliquantum salis. Demum si opus fuerit, vteris etiam trochiscis cum aceto, vel vino. Princeps Arabum Auicennas hæc deponit. *De Cancrænis quidem, dum in principio perseuerat, speratur quòd sanetur. Cùm autem, confirmatur corruptio in carne, tunc necessarium est accipere totum ipsius. Cùm ergo vides membri colorem alterari, & est in via putrefactionis, tunc oportet vt succurras liniẽdo ipsum cum eo, quod prohibeat putrefactionem, sicut est bolus armenus, & terra sigillata cum aceto. Si autem illud non valet, non inuenis excusationem, quin scalpellationem profundam facias diuersorũ modorum in locis, & ponas sanguisugas, & phlebotomes venas proximas ei paruas, vt accipiatur sanguis malus cum cautela eius, quod circundat locum, sicut cum epithematibus prædictis. Et ponatur super ipsum locum scalpellatum, quod prohibeat putredinem, & sit ei contrarium de illis quibus inest profundatio fortior, sicut farina herbi cum syrupo acetoso, aut cum farina fabarum. Et propriè permista cum sale. Et de illis, quæ desuper liniuntur, est assa, & semen vrticæ etiam, & aristolochia rotunda, & succus foliorum persicorum; de vnoquoq; sumatur pars vna eris pars media, teratur cum aqua, donec fiat secundùm spissitudinem mellis: & line cum eo vlcus, & in circuitu eius.* Cuius in particulæ explicatione fidus illius Interpres Dinus del Garbo noster ciuis hæc habet. *Si autem illud non valet, idest non sufficit, &c. non inuenis excusationem, quin scalpellationem profundam facias diuersorum modorum in locis diuersorum locorum: quia secundùm diuersa loca debet fieri scalpellatio diuersi modi: quia in membro carnoso potest fieri profundior scalpellatio,*

L. 4. f. 3. Tr. 1. c. 16

quàm

quàm in neruoſo, vt ſanguis malus accipiatur cum cautela, ideſt cum conſeruatione à putrefactione eius quod circundat locum, ſicut cum epithematibus prædictis, ſcilicet de bolo, & terra ſigillata cum aceto. Et ponatur ſuper locum. Hic ponit medicamina, quæ debent poni ſuper locum ſcalpellatum, quia aliud eſt medicamen quod ponitur in circuitu loci cancrenati, & aliud quod ponitur ſuper locum cancrenatum: quia in circuitu debet poni medicamen repercuſſiuum, vt prohibeat putrefactionem peruenire ad partes ſanas: ſicut ſuper locum debet poni medicamen reſolutiuum, & aperitiuum cum forti abſterſione, & forti exiccatione, ſicut iſta medicamina quæ ponit, & propriè permixta cum ſale. Et dicit hoc quando volumus fortius deſiccare, vt quando eſſet maior putrefactio, quod ſal fortiter deſiccat, vel poteſt fieri iſtud emplaſtrum probatum.

℞ *Farinæ fabarum, farinæ orobi, & multum ſalis, & confice cum ſucco Abſinthij, vel vrticæ, & pone aliquid mellis. Iſtud enim emplaſtrum eſt optimum ſuper locum ſcalpellatum, quia mundificat, & abſtergit, & deſiccat. Et de medicinis prohibentibus heſtiomenum, & corroſionem, ideſt ne cancrena fiat aſchachillos, & heſtiomenus. Et intellige, quod medicamen quod hic ponit, eſt optimum, & expertum, quia illud medicamen facit cadere illud quod putrefactum eſt, & hoc eſt ratione floris æris, & ſeruat à putrefactione carnem ſanam, & hoc eſt ratione aluminis, quod eſt prohibitiuum, & fortiter deſiccatiuum, & ratione mellis abſtergit, & deſiccat.* Eiuſdem Scholæ aſſecla Petrus de Largelata quà de curatione Gangrænæ hæc habet. *Hoc facto cùm nigredo apparet ſcalpella locū profundè cum phlebotomo, & phlebotomare debes aliquotiens venas apparentes circa locum, quæ paruæ ſunt, & appone poſtea ſanguiſugas, ſi etiam fuerit neceſſe. Hoc facto quia ſcalpellatione facta laua locum cum aqua ſalſa, vel aqua cineris, ne ſanguis congelatus maneat in loco & ſuper locum pone emplaſtrum quod exiccat, & prohibeat putrefactionem, & tale emplaſtrum eſt hoc* ℞ *farinæ fabarum, orobi an. permiſceantur cum ſyrupo acetoſo, & parum ſalis, & fiat emplaſtrum. Et ſecundum Guidonem* L. 1. Tr. 1. c. 15.

ſem-

ſemper bis in die laua cum aceto calido, omnia iſta prohibent putrefactionem. Ego conſueui ſemper lauare cum lixiuio. Guido de Cauliaco Medicus Pontificius. *Cum ergo,* inquit, *vides membri colorem alterari, tunc oportet, quod liniatur cum vnguento de bolo armeno, terra ſigillata, & aceto. Si autem illud non valet, non inuenies excuſationem, quin ſcalpellationem profundam facias in diuerſis locis, aut ſanguiſugas apponas, & venas paruas proximas aperias, & locum cum aqua ſalita laues, vt ſanguis groſſus exeat, & non congeletur, & pone ſuper locum ſcalpellatum quod putrefactionem prohibet, & reſoluit, vt eſt farina orobi, aut fabarum cum ſyrupo acetoſo incorporata, & ſemper bis in die cum aceto calido laua.* Celeberrimus ille Chirurgus Ioannes de Vico non diſſimili vtitur curatione. *Tertia intentio, quæ eſt materiam coniunctam, & corruptam remouere, partemq́ ſanam conſeruare à putrefactione, ſic completur. In primis cùm videris locum ad nigredinem tendere: tunc ſtatim nulla melior curatio eſt, quàm ipſam nigredinem diuerſis ſcarificationibus ſcarificare diuerſorum modorum, & profundè cum applicatione etiam ſanguiſugarùm in circuitu corruptionis cancrenoſæ: deindè locum lauare cum lixiuio, in quo decocti ſint lupini in bona quantitate vſq́ ad crepaturam lupinorum: vt inquit Galenus, & Auicen. cap. de Lupinis: virtus eorum eſt potentiſſimè eradicare vnumquodq́ vlcus cancrenoſum: & ego ſæpenumero expertus ſum iſtam decoctionem in iſto caſu, & mihi, & ægrotantibus benè ſucceſſum eſt, cum applicatione tamen Vnguenti Ægyptiaci deſcriptione noſtra, factâ prius lotione decoctionis prædictæ impleatur: deinde locus putrefactus, & denigratus cum prædicto vnguẽto ægyptiaco, cuius talis eſt forma ℞ floris æris, Aluminis Rochæ Mellis an. vnc. ij aceti albi, decoctionis ſupradictæ, videlicet, lupinorum cum lixiuio decoctorum an. vnc. ij. ſ. bulliant omnia ſimul ad ignem, & ſecundùm artem fiat vnguentum. Habet enim virtutem auferendi vnamquamq́ corruptionem in Cancræna, & aſchachilos repertam: prohibet etiam hoc vnguentum partem ſanam ab omni corruptione: & ideo eius officium eſt, vt inquit* Lib. 2. De Apoſt. c. 17.

quit Auicenn. malam corrodere, & bonam conseruare: quibus omnibus duobus indigemus in curatione ista. Vtiliter insuper applicatur istud defensiuũ super parte sana tantummodo: cuius hæc est forma. ℞ olei rosati ex oliuis immaturis, olei myrtini an. vnc. iij. succi plantaginis, & solatri an. vnc. ij. bulliant omnia simul vsque ad consumationem succi: deinde coletur, cui colaturæ addantur ceræ albæ vn. j & media. Farinæ fabarum, farinæ lentium, farinæ hordei benè cribellatæ an. vnc. ſ. sandalorum omnium an. ʒ ij & media. Boli armeni benè triturati vnc. j, pulueris Myrtillorum granorum, & foliorum eius ʒ j, liquefacta iterum cera cum oleis omnia ad inuicem incorporentur, & fiat defensiuum in bona forma, addendo, vel minuendo de oleis prædictis, si opus erit. Et nota, amice, quod istud est mirabile confortatiuum in ægrotatione ista. Nam ipso applicato super parte sana, vt patet consideranti ingredientia, habet virtutem ita confortandi locum, quod non amplius possit recipere materiam extraneam, cum hoc etiam habeat prohibere ambulationem huiusmodi corruptionis locum confortando cum aliquali resolutione, & exiccatione. Vlterius vtilissimum est etiam cum applicatione præallegati Vnguenti ægyptiaci super locum corruptum magnam petiam ponere infrascripti Emplastri. ℞ farinæ fabarum, farinæ orobi, farinæ lentium, farinæ lupinorum an. lib. ſ. succi absynthij vnc. j. salis vnc. j. cum sapa sufficienti, & parum lisciuij, ad ignem fiat emplastrum solitum, cuius officium est conseruare mirabiliter membrum à putrefactione, putrefactumq́; domesticè resoluere, & exiccare. Vides, quid anteactis sæculis præstiterint Chirurgiæ primores. Neque diuersa fuit mens his, qui proximè trãsactis annis medicinam fecêre, quos inter emicat A.[a] Vuesſalius. I.[b] Tragaultius. G.[c] Fallopius. A.[d] Paræus., cuius dicta nonnulla fideliter recitabo, quoniam propositæ disputationi summopere congruũt. *Scarificatus cùm iam primùm pars computrescit; nam pro morbi magnitudine, remedij magnitudo esse debet. Quare si ad ossa vsq́; penetret, multis, & profundis sectionibus cutem, & carnes, nouaculâ ad eam rem comparatâ, incidere oportebit;* vita-

a Li. 5. de Tum. c. 12.
b Instit. Chir. l. 1. c. 7.
c Lib. De Tum. p. n. c. 10.
d Chir. l. 11. c. 16.

vitatis tamen insignioribus neruis, & vasis, nisi penitùs computruerint. nam si ea nondum putredo inuaserit, sectiones in horum interstitijs sunt moliendæ: si minor est Gangræna, scarificationibus contenti esse debemus: Scarificationibus, & incisionibus factis multum sanguinis effluere sinendum, vt sic materia coniuncta euacuetur. Huic affundenda remedia, quæ calefaciendo, siccando, resoluendo, detergendo, & aperiendo, putredinem emendent, & castigent: in imum verò penetrando, absumendæ virulentiæ parti iam infixæ vim habeant. In hanc rem instituuntur lotiones ex lixiuio cinerum ficulnearum, aut quercinarum, in quo lupini ad perfectam elixationem coxerint. Val paratu faciliora remedia habebuntur ex aqua salsa, in qua bullierint Aloe & Aegyptiacum, addita sub finem aqua vitæ: nam aqua vitæ, & calcanthum cinefactum, singularia sunt ad Gangrænam remedia: vel ℞ Aceti optimi lib. j mel. ros. vnc. iiij Syrup. acetosi vnc. ij salis com. ℥ iiij bulliant simul: adde aquæ vitæ lib. s. hoc remedio pars sæpius abluatur, est enim eius ad Gangrænas coërcendas magna vis. A lotione, ægyptiacum linamentis impones, atq; in incisiones immittes: nõ enim hoc remedio aliud est efficacius ad putredines: nam eschara inducta, abscedere facit putridam carnem à sana. Nec verò in hoc mali genere expectandum vt putridæ carnes ipsæ per se à sanis excidant: sed potius quicquid corruptum est, id nouacula, vel forficibus rescindere oportet, inde toties ægyptiacũ indere, quoties opus videbitur. Immisso Aegyptiaco mox toti parti sequens cataplasma est imponendum: impedit enim putrefactionem, resoluit, deterget, desiccat virulentam saniem, & partium siccâ tenuitate in membrum penetrat, ipsum roborat, & est anodynum. ℞ far. fab. hord. Orobi, lent. lupin. an. lib. s. sal. com. & mel. ros. an. vnc. iij. succi absinthij, Marrub. an. ℥ ij. s. aloes, Mast. Myrrh. & aquæ vitæ an. ℥ ij oximelitis simplicis quantùm sufficit, fiat cataplasma molle secundùm artem. Plures nostro sæculo Spartam hanc ornârunt, maiorum præceptis obsequentes, qui quũ obuij indaganti cuiq;, præstoq; sint, lubens, volensq; ab ijs recensendis abstinebo. Vnum saltem adducam Hieron.

Fa-

Lib.1. de Tum. p. n. ca. 19. Fabriciū ab Aquapendente, qui proprio in loco talia monet. *Quare si Gangræna fiat cum humorum affluxu, qui geniti sunt in corpore, ab acre pestifero, ebrietate, cibis prauis, vita otiosa, immodica venere, & descendunt ad partem aliquam, vt digitum magnum pedis, inducuntq́; Gangrænam, cui associatur febris pestifera, pustula cum macula nigra, dolor intolerabilis &c. in hac Gangræna oportet*, (nota) *quam citissimè succurrere, alioqui nihil iuuabis.* Quod nuperum confirmauit experimentum. Non succurrit, qui ineptis vtitur præsidijs, vel malo leuioribus. Præter verò sanguinis missionem, purgationem, alterationem, diætam, non recusat attrahentia cum calore. *Si velimus*, inquit, *virus foras trahere sine calore, apponemus cucurbiculas siccas, vel scarificatas, quæ magis probantur.* Ex quibus patet, quàm deuiauerit à recto tramite ignarus ille cunctator, cuius fidei commissa fuerat Nobilis Virgo.

Cap. XII.

Carpitur Aduersarius de malè seruato Instituto.

P. Top. cap. 2. Deuiat dubio procul à recto tramite, Aristotelis monitu, *qui nec ea sumit, quæ omnibus videntur, nec quæ plerisque, nec quæ sapientibus: & his neque omnibus, neque plerisque, neque Clarissimis.* At neque suis, dices tu, destituitur Patronis altera opinio. Benè est, sed cocta numerabimus exta. Præmitto interim, quod in liminari lucubrationis proponitur. *Quæstio de Gangrænæ, & sphaceli diuersa curatione.* Diuersitas hæc, quæ, qualisuè sit *pag.* 10. Auctor manifestat, enuncians in tractanda Gangræna ex Chirurgis alios *seueros acribus medicamentis, igne, ferroq́; rem peragere; aliquos verò ita remissos, ac lenes se ipsos præstare, vt ne tantillam quidem carnem, aut os violare audeāt, sed leni medicamine vsos feliciter opus absoluere.* Tertiùm verò genus satiùs erat supprimere, scilicet, *aliquos, siue hac, siue illa incedant via, nullo modo compotes voti esse factos.* Suppono insuper

per

per, quod superiùs abundè probauimus, Gangrænam, & sphacelum, non solâ nomenclaturâ, verùm & re plurimùm differre. Forsan refragaberis tu seductus, quod Gangræna est via in sphacælum; viam autẽ non differre à termino. Reuocas me ad Physicas controuersias, tuaq; propositio non absque mica salis admitti potest: apparatus namq;, & præuiæ dispositiones nihil sunt formæ substantialis, quæ adueniet aut deperdetur in instanti; nam quantùm est è re nostra, viuens, & non viuens contradictoriè opponuntur. Viuit adhuc pars Gangrænâ tentata, non viuit quæ patitur Sphacelum, pressè, purèq; loquendo. Hac, si placet, lege, manus conferamus omni æquiuocatione imposterùm sublata. Quæ si constant, non vna proindè vtriusque affectûs potest esse curatio, quin Sphacelus Medici transcendit limites, neque cum huic à Medico potest impendi, nisi quæ vitâ functo, qua de re consule Doctissimum A. Santorellum in elegantissima tractatione *De Curando Defuncto.* Quid igitur, inquies, in re tam graui feriantur Medici? Nihil causæ est, cur illis succenseas tu, qui cunctaris iners Gangrænæ spectator, nobisq; auctor, & nihil prorsus in Sphacelo curando à Medico præstari debere, sed opus vniuersum Naturæ committendum. Verùm, dic sodes, cur insalutatâ penè Gangrænâ, ad Sphacelum statim transilis, tamque multus es in re non necessaria. Cur lenem illam Gangrænæ tractandi viam nobis inuides, importunèue supprimis? haud enim lenia sunt, quæ permittis, nobisque suades in prima tua Conclusione *Membrũ Gangrænâ laborans ab externa causa, quæ verè contagium* Pag. 82. *vicinæ parti afferre videatur, vt ictus ex venenatis, conditionibusque prædictis: aut ab interna, decumbente humore, adeò prauæ & excellentis putredinis, vt à tota substantia, occulta facultate vicinas partes coafficeret; dummodo certa circumspectione cognoscatur, id non fieri potiùs ex iterato decubitu, vel fluxu prauorum humorum, vel externa causa irritante, & vitium augente, quod docuit Hipp. Galenus, & alij; & sic sit verè vitium partis tantùm, vt aiunt, tan-*

quam in facto esse, ac hominis vita videatur valde periclitari, atq; vniuersalibus præmissis, assumptis, & admotis ex arte medicamentis Alexiterijs, Alexipharmacis, scarificationibusq; vitium non corrigatur, agendum cum Celso acribus, causticis, sectionibus, inustionibusque. Quæ vt verissima, & in puncto, conficiunt ignauum illud pecus, de quo in historia. Vtrumq; non minùs præstat,
Pag.88. & tertia tua Conclusio, in qua habes. *Si fiat Gangræna ex magnitudine inflammationis, vel simili causa ex quolibet humore, ingenti copiâ facultatem suffocante, curandum scarificatione, & cataplasmate ex farinis, cum Celso, & Galeno, alijsq; similiter consulentibus.* Vacui proinde à te discedimus, omniq; spe frustrati. Vastum igitur illum apparatum contrahis tandem ad quæstionem, An Sphacelata membra arte separari debeant à reliqua corporis mole, & negatiuæ parti addictus, nobis insinuare sa-
Pag.cit. tagis, nihil tunc esse moliendum, nisi perfunctoriè, nempe, ad tædium, & graueolentiam, auerruncandam. Leuâsti nos maximo onere fateor; integrum proinde erit posthac Medicis ad Gangrænæ, Sphaceliue curationem vocatis, ab omni prorsus præsidiorum genere abstinere, quin impunè concedere nostri in locum succedentibus Pollinctoribus, atq; Libitinarijs: secùs si faxint, humanæ lanienæ rei, te iudice, prorsus habendi.

Cap. XIII.
Argumenta negantium proponuntur, & enodantur.

Tempestiuum iam est rationum pondus pensitare, quibus cunctatores nostri nituntur. Prima in ordine sic se ha-
Pag.26. bet: Pars emortua est velut excrementum quoddam: sed excrementum Naturæ ope, excretrice facultate, vel calore etherogenea dissipante, expelli debet: igitur frustra Medicus sectionem molitur, cùm id Naturæ sit concedendum. hæc illi.

In primis animaduertas velim, mi Lector, nil ad rhombum de Gangræna, cuius *diuersam* polliciti sunt *curationem*, ni tamen, quod suspicor, satagentium anxietudini domesticam opponant negligentiam. Vt vt sit, negatur totum, siue de Gangræna, siue de sphacelo concludere intendant. Formæ vitium carpent Dialectici, materiam nos: primùmque, non est Gangræna excrementum, & substantia, sed passio quæ accidit substantiæ; hæc verò, dum malo tentatur, non est *excrementum*, sed pars humani corporis integralis, licèt tẽdat ad corruptionem. Non *excerni debet*, verùm restitui, eademq; numero seruari, non tam *Naturæ*, quàm artis ope. Sauciat Chirurgus, non secat, sat illi tunc est continentem euocare materiam, & perspiratui indulgere. *Non igitur frustra Medicus sectionem molitur* quod ille inferebat, neq; negocium illud Naturæ debet committere, quod nunquam aggrederetur, sæuiente interim malo, inq; horas reliquum depopulante. hæc de Gangræna. Neque minùs falsa illa sunt, si de sphacelo concludere intendant. Nam quod assumunt, partem sphacelatam, penitusque emortuam, esse *excrementum*, erroneum est. Nam excrementum Galeni manibus est vitiosum quiddam ex superuacuo alimenti relictum, cui præparatæ quidem à Natura corporis partes sunt, quæ id secernant atque emittant. Neque illud *quoddam* eximit, sed elidit infirmatque minorem: quantùm enim deflectit ab indole excrementi, tantùm cadit ab asserto priuilegio. Quæ minor, neque vera semper est in valentibus, neq; vt plurimùm in ægrotantibus, secùs vacant præcipua Medicinæ instrumenta, Pharmacia, & Chirurgia. Noto importunum pleonasmon, aut supinam oscitantiam. *Natura, Calorque innatus* synonyma sunt, Hippocratis, & Galeni auribus, qui caloris elementaris ad instar operatur (si quando hic congreget per se homogenea, disgreget per accidens heterogenea) verùm per proprios ductus, statasq; vias inutile delegat debitas in sedes: nonnunquam verò & excrementis ad tempus abutitur pro

6. De Tuend. Val. c. 1.

1. Aphor. 15.


animalis ſalute. Reſpuit tandem Naturæ maieſtas ancillantis excretricis parem concurſum, ſat docta, ſibiq; ſufficiens penſum abſoluere. Incaſſum proinde luſit primipilus, & illatio, qualiſcunque illa ſit, falſa eſt, non tam in præſenti negotio, quàm in Medicina vniuerſa facienda, monitore Hipp. *Quò*
In Aph. *Natura vergit per loca conferentia ducere conuenit.* Experimento quod adducunt, plura opponi poſſent experimenta odioſa, quorum memoriam refricare non abſque alicuius pudore valerem. Deceſſit ſpontè humerus ille puero exiccatus, non quòd Natura noxium ſepararet, ſed integrum contraheret. Sic vel inconcuſſæ decidunt frondes vbi aruerint, nullo Naturæ labore, culturæue artificio. Succedit alterum ratiocinium
2. Ratio negantium. blandientium. *Vel vitium,* inquiunt, *in parte affecta conſiſtit, vel eſt in tota maſſa ſanguinis, vel in maiore eius parte. Si in parte affecta conſiſtit, cur ſecandum membrum, cum Natura ipſum ſit expulſura? ſi in toto ſanguine, vel maiore eius parte adeſt; fruſtra ſecamus: ſecta enim aliqua extrema parte, morbus ſuperiorem inficiet, donec p ſſumdetur ægrotus.* Antequam congrediamur, dic ſodes, mi homo, quæ indicia præfers, quibus dignoſcere poſſimus tales differentias? Aut nobis hæc inuides, aut ignoras. Quid igitur, quæsò, accerſitus mulieris? cunctaberis, credo, pro more: nilq; prorſus in caſu grauiſſimo tentabis, ſolo prognoſtico, fortunæq; committes oſcitabundus, rei euentum neglectis præceptoribus, totq; per ſæcula fęliciſſimè peractis experimentis. Sciſcitor vlterius, pro quo pugnas, quidue impugnas: Gangrænam, an Sphacelum? ſi hunc, iam creditur in facto eſſe; ſuperuacanea proinde eſt cauſarum conſideratio: ſin verò illam, quæ quia eſt ad ſphacelum, niſi dum præ foribus incubet ſyderatio, certoq; certius exitium immineat, nunquam membrum præcidunt cordati Medici, verùm cutaneis ſectiunculis vtuntur. Ad formam argumenti. Si quando in parte affecta tantùm conſiſtit Gangræna; præſtat illa Medicus, quæ debet ex officio, vt audîſti ſuperiùs, ſcarificat, vt conti-
neus

nens educatur materialis causa, quæ neglecta in virus degenerat, hinc vicinis partibus transitione nocet, nec non principibus, ac dissitis, peruijs canalibus minatur. Hinc reuocatur influens calor labantis insiti in subsidium, pristinaque procuratur temperies, apta muneribus vitæ obeundis. Neq; præteribo commoda, quæ ex huiusmodi transpiratione homini accedunt. Præter enim excrementorũ difflationem, quibus presentibus periclitabatur innatus calor, ne strangularetur, illud insuper accedit emolumenti, ne degeneret hic, aut desciscat, euadatq; animalis naturæ perquã aduersus. Quibus impulsoribus separat nec non frequenter Chirurgus sphacelatum mẽbrum, vtpote ærumnosum, inutile prorsùs corpori, animoq; molestissimum. An nescis teneri Medicum, ex iniuncto sibi officio, Tutò, Citò, & Iucundè ægrotantibus mederi? Quæ securitas tetro præsente odore? Gai. de Rig. Trẽ. c.6.

Rancida quo perolent proiecta cadauera ritu Lucr. l.6.

aut quid non verendum ex mortuæ partis commercio? qua de re superiùs, infraq; vberiùs. Præterea, cui proficit dilatio, nisi Chirurgo ex industria protrahẽti curationem? haud enim sumus in ossis squammis, verùm in membro vndequaque syderato. Enecta verò pars sensu omni penitùs orbata, reliquis onerosa, debito modo si tractetur, iucundè amputabitur absq; vllo discrimine. Hæc de morbo in sola parte. Examinemus, & reliqua. *Si in toto sanguine*, inquiunt, *vel maiori eius parte, frustra secabimus*. Negatur consequentia, quam tamen probare nituntur: *eo quia morbus superiorem inficiet.* Distinguo, si cunctator curationi præsit, concedo; si Medicus cordatus, nego. Et ratio negationis est: siquidem qui corrigit Artifex auerruncabit humorum malitiam, necnon partem præseruabit à confluxu, vt audîsti superiùs: secùs, te suasore, deberet in corruptela insigni hominem casui committere, nilque ab arte sperare miser ægrotus, quod falsum, & experientiæ aduersum nemo non dicet. Illud interim animaduerto, locum sectioni

te non negare, vbi malitia ſuccorum non ſit in toto, neque in maiori parte, quod membrum ex induſtria ſuppreſſiſti, ne, volens nolens, Veterum ſententiæ ſubſcriberes. Tandem ſic ra-
8. Ratio. tiocinantur. Per vos *niſi ferro, igne, vel cauſticis præſidijs mortificatio omnis tollitur, adeò vt ſanam partem attingamus, relinquitur fomes, & vlteriùs progreditur morbus. Sed ſi partem ſanam medicamentis dolorem incutientibus affligamus, noua materia attrahitur, hinc noua obſtructio, & noua Gangræna, hinc noua partis ſanæ ob cauſtica deſtructio, hinc, vt Galenus ait, inflammatio, febris,*
De Offic. Med. *delirium, & neruorum diſtentio*. Hîc rurſus ex induſtria ambiguo ſeducere nos tentant Aduerſarij: Si de Gangræna verba faciant, cui propriè *mortificationis* nomen competit, vt diximus ſuperiùs, peccat materia argumenti, & falſitatis redarguitur vtraque propoſitio, quod patet ex ijs quæ nuper diſſeruimus. Sin vero aptent illa Sphacelo, vana ſunt; nam admiſsâ maiori propoſitione, minorem negamus: *multum n. intereſt*, vt cum Galeno ſapiam modò, & loquar, *inter ea, quæ caſura ſunt, & quæ excidi debent*. In caſurijs pericula recenſita minatur, abſtinet in præcidendis, quin ſectioni liberè ſubſcribit: en ip-
Loc. cit. ſum loquentem. *Conſideremus rurſus num de partibus corporis illud verè dicatur, caſura ſanè deteriora ſunt, quum citò cadunt nonnulli ſiquidem orationem hanc falſam exiſtimant, quos fallunt partes putreſcentes* (nota) *quæ celeriter excidantur neceſſe eſt; quod ipſum per ſe verum eſt, nihil tamen illi repugnat: multum enim intereſt inter ea, quæ caſura ſunt, & quæ excidi debent*. Obſerua Aduerſarij candorem, ſimulque Recentiorum (A. Paræi, nec
L. l. c. c. non Hieronymi Fabricij) ſtudium, quò declinent ſyrtes, complanentque iter minimè anceps, vel ærumnoſum.



Cap.

Cap. XIV.
Examinantur Aduersariorum fundamenta.

BOnis auibus rem inchoamus: nam primum illorum fundamentum, latè explicauimus, nempe, quòd Gangræna est, dum pars emoritur; Sphacelus, cùm iam emortua. Vnum est; cui ægrè suscribo, si *morbus serpat & euadat, esthiomenos, & Gangræna depascens dicitur*, cur non & sphacelus? Mortua quidem pars est, vitæq; operibus inepta, non insidijs; sibi nanque reseruat antiquas misti vires, nuperasque ex putredine excitatas. Non controuersor causas, tam internas, quàm externas, quas recensent in secundo fundamento, luculenter à nobis superiùs expositas, ægriùs admitto animaduersionem, quam tertio loco proponunt de casuris, & exscindendis ex Hippocrate *tex. 23. de officina Medici*. Nihil enim de exscindendis habet textura verborum, quæ sic iacet. *Casura deteriora sunt, quum citò cadunt: hæc autem sic, vt neq; premant, neque decidant*. Galenus verò ab Antagonistis in subsidium vocatus, fatetur, *quod hæc loquendi ratio perturbata omnino est*, & sensum omnino oppositum posse tolerare, *nempe casura deteriora sunt ipsis citò cadentibus*. Collegit insuper ex hac oratione, librum hunc rudem adhuc editum fuisse, forsanque à posteris deprauatum. *Dantes autem integra verba sic habere, Casura sanè deteriora sunt quum citò cadunt, sub dubio est de quibus hæc dicantur; num de quibusdam corporis partibus casuris, an de fascijs, & de ijs, quæ affectæ parti ad sanitatem comparandam imponuntur? qualia sunt cataplasmata, medicamina, linamenta, laquei.* Neque alienum existimat accipere orationem illam de linamẽtis, admittit medicamenta, non excludit escharas. Considerat tandem, num de partibus corporis illud verè dicatur, subditque; *Nonnulli siquidem orationem hanc falsam existimant, quos fallunt partes putrescentes, quæ celeriter excidantur necesse est, quod ipsum*

In com. l. c.

per se verum est. Quæ profectò vt eliminant Nouatorũ sententiam, sic nostram, quin communem, abundè confirmant: neq; mirari desino, cur Phryges nostrates hunc Tragædum conduxerint. Traducere verò ab ossis commoti testâ, vel squammula ad integrum membrum Gangrænâ correptum, supinæ est oscitantiæ, vel damnabilis peruicaciæ. Viden quo è triuio sustulerint hunc, quem iactant passim, Achillem nutantem, suosque confodientem? Hic insurgit, nescio quis ex conuictoribus, obolumq; dat, in cænam, veritus palmam sibi præripi, si tam laxè *de præscindendis* discernatur. *Seueros* appellat contra sentientes, patrocinium Auctorum vno verbo eludit, non prospexisse illos, neque excidisse, verùm omnia priùs tentâsse, secùs quàm faciant Neoterici: hoc autem mera est impostura, qua de re superiùs sat enucleatè. Fatetur tamen omnibus tentatis incassùm, licuisse veteribus secare ob contagionis timorem, quæ tamen raró contingere poterat. Dic tu, at frequentissimè secabant, vel incidebant: igitur frequentissimus erat contagionis metus. Deinde quid transfers dubium nomen ad odiosam operationem? secabant cutim scarificationibus multis, & profundis, quibus non sufficientibus secabant, & membrum vniuersum, noxæ futurum vicinis partibus. Infrequentia huius discriminis haud sat confirmatur ex allato principio, *Remotâ causâ remouetur effectus Gangrænæ, & sphaceli augescentis*. Nam prima propositionis pars locum habet tantummodo in ijs, quæ sunt in fieri, non autem in facto esse, ac præter iurisdictionem suarum causarum. Hinc ritè Philosophantibus maximè impropriè dicitur *Sphacelus augeri*, quum dici debeat propagari, & ex vna parte in cognatam transire. Est enim Sphacelus terminus ad quem corruptionis in viuente: stat verò ille in indiuisibili, prout generatio, augeri, vel minui nescius. Quod verò attinet ad Gangrænam, quæ via est ad sphacelum, nisi quid factum iam sit, tota curatio, vt diximus, præseruatiua est. At proxima illius materialis cau-

P.32. Cap.8.& seqq. P.14.

causa est, vt superiùs audîsti, sanguis inquinatus in parte impactus; hic igitur educi debet omni ingenio. Verùm quoniam ob modum substantiæ contumax est, & poris subeundis ineptus, igitur ampliora præparanda sunt foramina, quod præstat egregiè inuisa tibi, præterque fas, & æquum, damnata scarificatio. Præterea sciscitor, an vnquam huic aratro manum admoueris? & morborum causas rescindere tentaueris? An credis, citiùs, quam Asparagi coquuntur, & ad nutum Artificis loco illas cedere? Fugitne rursus te corpus Gangrænæ, & Sphacelo obnoxium, esse vt plurimùm, & cacochimum, prauumque a multo tempore aggregâsse sanguinem? I tu, & effrænem massam cohibè actutum, vel corrige. Prosequitur nihilominus causarum hic auerruncator. *Siue sit interna causa, siue externa, frigida, vel calida, ac etiam pestilente, ac depascente, vt optimè habetur ex Hippocrate & ex omnibus &c.* Non tam affatim hæc sorbeo; sine, quæsò, me dubium pitissando temetum prægustare. Quid est illud *Interna*, cui patrocinantem inducis *Hipp. 2. Progn. tex. 9.*? Tuæ sunt partes illud probare, remotâ causâ remoueri effectum Gangrænæ, & Spaceli augescentis. Consulamus proinde à te inductũ Hippocratem. Is verò alienus prorsus est à tuo sensu in loco notato. Audi loquentem. *Si verò digiti, ac pedes omnino nigrescunt, minùs periculosi sunt, quàm si liueant, sed & alia super consideranda sunt. Si enim facilè ferre malum appareat, & aliquid aliud salubre fuerit signum, morbum verti spes est ad abscessum, ita vt æger sit conualiturus, quæ verò nigrefacta sunt, è corpore casura.* Vt vides, ne my quidem pro tua internæ causæ remotione, quinimo si res prosperè euentura sit, nõnisi cum membri omnimoda deperditione, & superstite sphacelo illud sit futurum. Prætermitto quæ probè notat Galenus in cõmento de incuriosa loquutione Hipp. quæ forsan tibi aliàs parùm attento imposuit. *Nam interdum pars nigrescit, quia materia eò decumbit,* interdum quoniam moritur. Prioris tamen iudicia protulit Hipp. ratus, si illa absint, Hipp. de Prog. t. 9.

sat

ſat conſultum artificis peritiæ. Hæc de tua tam facili remotione internæ cauſæ. Proſequamur & reliquas. Succedit, *externa frigida, vel calida*. Vereor recens expertus, ne futura ſint nouitia hæc eiuſdem farinæ cum ſuperioribus. Conſulamus teſtes à te inductos, num pro te, an, quod ſuſpicor, contra te deponant. Præ manibus habet Hippocrates Vlcus iam factum, illudque irritatum à cauſa interna: nam de externa iniuria ex deligatura incongrua ſuperiùs t. 13. meminerat. Quapropter in rei euidentiam hæc annectit. *At ſi nihil eiuſmodi ſit; ſed ipſum vlcus irritatũ eſt*. A quibus verò illud excitetur humoribus, docet Galenus in Com. *tex.* 16. *Declarauit ipſe aduſtorum exemplo, cur acrium medicamentorum vſus eiuſmodi vulneribus noceat, ſiquidem orta ſunt ex calidorum, atq; acrium humorum mixtura.* Hæc noto in gratiam tuæ cauſæ externæ, cui mendicas modò incaſsùm Hippocraticum patrocinium. Verùm, ſit à cauſa externa tale Vlcus, indica nobis decantatã illam abs te facilitatẽ in ſuperanda cauſa externa. Quòd ſi quis pro te afferat iam euanuiſſe cauſam externã, puta vinculum, ferulam, aut deligationem, obijciam ego ſtatim, at permanet adhuc effectus, vlcus nempe, multa cautione curandum: igitur falſum fuit tuum effatum, quod *remotâ causâ, remouetur effectus Gangrænæ, & Sphaceli augeſcentis, ſiue ſit interna, ſiue externa*. Verùm quis te docuit ab vno particulari ad vniuerſale inferre? Vix Rhetori illa permittuntur, quę reſpuunt prętantiores facultates. Sit Vlcus à causâ externâ excitatum facillimæ curationis (vtrumque verò perquàm falſum eſt) licet ne tibi ab vnica cauſa externa, ad genus vniuerſum extendere ditionem? Sunt ne tibi externæ cauſæ, frigus, vſtio, contuſio, venena aſſumpta, vel ictu illata? hæc ſi Grangrænam, vel ſphacelum minentur: nouus tu nobis Chiron dicto citiùs læſuras profligabis? Neniæ hæc ſunt, & aniles fabulæ, riſu tantùm explodendæ. Alterum ſuccedit Hipp. teſtimonium 4. *de Art. tex.* 35. Duo continet, vt video: primùm laudat præciſionem oſ-


ossium, quam tu ex instituto impugnas: alterum est, quòd expectat casum corruptæ carnis, & ossis ad longum tempus: tantùm abest quod nobis debebas ex pacto, vt remotioni causæ externæ ille incumbat; vel prędicta abs te facilitate finem, non Hipp. sed tibi hallucinanti assequatur. Quapropter tuum fatetur ille farcimen allatum *externa causa frigida, vel calida*, quade re, ne per somnium quidem noster Antesignanus. Hæc debentur tuæ circumspectioni. Huius nec non rursus abuteris fide in Epidemijs, vbi locorum narrat ærumnas ægrotantium in Græcia tempore belli Peleponnesiaci; quam & ornârunt Spartam Thucydides, posteriorque natu Lucretius: singuli verò membrorum excidium, spontaneamq; separationem post diuturnum conflictum enarrant, nunquam obseruo causam illam pestilentem remoueri, sed ad libitum debacchari: nisi tamen accuratior tu obijcias nobis, *cum pubem, & pudenda vrgeret.* Quod tamen parum erit è re tua, nam Galenus in Com. meminit, & vstionis, & sectionis ad euitandum contagium: tam iners est, atque formidolosus, dices tu, *Seuerus*; At increpat te Lucretius noster.

3. Epid. in 3.c.25.

t.26.

Et grauiter partim metuentes limina læti
Viuebant ferro priuati parte virili. L.6.

Proindè, vt vides, mi homo, nihil ad Rhombum. Peius verò tecum agitur *in t.*24. 4. *de Artic.* vbi neque Hipp. neque Gal. quicquam habent de re proposita. In tex. autem 41. 3. *de fract.* par tibi aberratio. Locus verò 13. 1. *Acut.* postremò à te in margine positus, de ptissana vniuersus est; quare suspicor ne tu inconsultis autographis, aliunde tuam eruditionem deriuaueris, quod si renuas, impostoris nomen vix subterfugies. Hucusque igitur pro tua facili causæ remotione infæliciter pugnâsti.



Cap.

Cap. XV.

Prosequimur aduersantium fundamenta euertere.

PRouocas nos ad experimenta. nam sensibilium, inquis, sensus est iudex, non ratio, quam quis sibi verisimiliter commentatur: huculque non malè. Non tam promptè admitto quod subdis, *& debet ratio fidem recipere ab experimento*. Si de remedijs intelligis, aduersantem habebis Galenum *primo de Aliment. facult.* cap. 1. *Omnino enim nullius rei vires experimẽto commodò explorabis, nisi prius per rationem ad vnguem compertum habueris affectum, cui applicatur id quod exploras, siue sit cibus, siue potus, siue medicamentum. Quippe affectuum cognitio est materia remediorum, non ipsorum remediorum cognitio.* Sed perperàm hæc tecum, qui à remedijs abhorres. Quapropter de morbi exitu intelligas, cui rationem mancipas: cautè te geras velim, monitore Hippocrate, hic enim vel primo artis in
1. Aph. 1. limine, *fallax experimentum, difficileque iudicium* obtrudit, & Gal. in Comm. *Empiricis verò non videtur ratio dici iudicium, sed quæ per experientiam inuenta fuêre, auxiliorum dijudicatio. Nam re vera & hæc difficilis est, nec exploratu facilis, quando multis remedijs ægrotãti adhibitis aliquod vnum illorum in causa fuisse iudicat, vt æger vel meliùs se habeat, vel deteriùs.* Adde insuper quod non infrequens, erratum non causæ pro causa dum Natura, quæ *omnibus sufficit*, obseruatu Senis, nulliusq; materiæ
10. Meth. c. 1. interuentu, Doctore Pergameno, admiranda molitur, quam trahere frequẽter nituntur imperiti incassum propriç opinionis in patrocinium. Verùm, sit sensus competens sensibilium iudex, & ratio fidem recipiat ab experimento, quid tum? An in dubium vocas, quæ Medicinæ Antesignani litteris cõmendârunt? vel credis segnes illos, atque ociosos nunquam ma-

num

nnm admouiſſe ægrotantibus, verùm ſubuentanea nobis præcepta tradidiſſe? Egregiè falleris, nam & manus auxiliares admouerunt frequenter, attentoq; animo ſingula luſtrantes, vniuerſalia pręcepta, præuijs quamplurimis experimentis, nobis inſinuârunt. Diſpeream, ſi tuum farcimen reduces ad formam ſyllogiſticam abſque cachinnis. Sit maior: ſenſibilium ſenſus eſt iudex: cui annectis, ſed ratio debet fidem recipere ab experimento: quid inferes tandem, ergo omnis homo currit. Obſtetricantem nihilominus nactus es, nec non ſuppetias tuæ ſententiæ ferentem: dicere, forſan, voluiſti, haud quiuiſti, quod ratio quælibet ſummittere debet faſces enarratis tuis experimentis. At experimenta mille producunt noſtri Coriphæi: tua verò multi in controuerſiam vocant; quin infauſta opponunt, ritèque dicet quis, nullam protuliſti hucuſque, forſanq; neque nouiſti differentiam inter caſura & excindenda. Caſu igitur ſcopum attigiſti, non arte. Sed hæc mittamus, vtpote odioſa, ceptumq; proſequamur iter ſaluis tuis obſeruationibus. Profectò non vrgent hæc, niſi in Sphacelo iam facto, minimè depaſcente, vel contagioſo, exiſtentibus inſuper firmis viribus, quæ conditiones rarò coeunt, frequentiſſimè diſſident. At vera ſint in omni parte ſphacelata: quid tum, ſi Gangrænâ fuerit illa affecta? expectabis, puto, vt degeneret in ſphacelum, mitibus, vel nullis adhibitis præſidijs, vt præſtes quod nobis debebas ex pacto. Siccine auxiliares admouebis manus miſeris ægrotantibus? Nutat igitur illud tuũ ſenſus critèriũ, niſi firmiori nitatur caudici. Vlteriùs, quid tibi vis tuo cũ illo? *Nec cauſa in omnibus ſimili modo eſt requirenda, ſed in quibuſdam eſt ſatis demonſtrâſſe, quod ſint, primo eth. c.7.* Tam citò à rationali ſecta in Empiricam auolâſti? aut deſpondes in re tam facili animum, aptum rebus nouandis? Obtrudis os nobis, ſilentiumq; imponis, vix patieris, credo in poſterùm eminùs ſcrutari quempiam tua illa experimenta. Alia mens eſt Ariſtoteli, cui ſcire eſt rem per cauſam cognoſcere, & quod 1. Poſt.

illius

illius sit causa, & quod non contingat aliter se habere. Quæ tibi, vt credo, parùm commodant, sedulò si pensitaueris, plurimùm incommodant. Profectò è re tua erat casum supprimere in pag.37. ægroti, cui pudendi portio passa sphacelum ex symptomatica fluxione, in principio febris malignæ, quæ pars à te malè tractata, tuis scilicet *lenibus medicamentis*, etsi Naturæ ope, quod emortuum propelleret, paulò post integrum inuasit pudendum, cuius sanis partibus, si consuluisses ex arte, neque fluxionem admisissent tunc, neque suopte ingenio mismata illa impacta fines propagâssent nouo ægri discrimine. Cautior te Galenus, vt fateris eâdem paginâ, in grauiori
Pag.57. casu, & constitutione, cauet à recidiua summis præsidijs. Dolet insuper tuam vicem, quod inferiùs fatearis Villicum hunc postea præter expectationem fuisse sanatum miti curatione. Cur igitur hæsitasti tunc, inersq; cliētem subsidio defraudâsti? Ne malum, inquis, duplicarem, vitamque cum morbo homini auferrem. Quibus tamen reclamat Galenus, testis dudum à te inductus, vt audisti capite præcedenti, satque monuerat
3. In 3. Epid. c. 26. deuios è re nata. *Etiam absq; pestilenti statu, vbi has regiones inflammatio, vel sacer ignis obsederit, facillimè putrescunt.* Satis ne tibi factum? sin annuas, abnuo ego, & quæ sequuntur, fideliter recito. *Vnáq; partes superiores afficiunt*. En tibi contagij metum, obseruatamque huius frequentiam ab eximio Auctore, quod tu peruersè negâsti. Quapropter summa cum ratione illud infert. *Vnde nobis est sæpe necesse, vt putrida præcideremus, locum, veluti radicem, inurere.* Hæc tibi sint norma in posterum, ne crambem hanc denuò recoquam. Illud in præsentiarum tibi permitto, vt causam tam sæui euentûs ab eodem auctore sciściteris, & ad scientiam comparandam disponas: docebit enim te, quòd probi Medici officium est, non tam cu-
c.25. rare, quàm, & compedes currenti malo inijcere. Sed commune munus est putredinis humorum, vt illas partes, in quas impingat, corrumpat, sæpius verò, & superiores transitione infi-
ciat,

ciat. Debet igitur cordatus Medicus, *& putrida præscindere, & locum, veluti radicem, inurere.* Satis ne tibi factum? an satis è re tua locus hic toties à te inculcatus? Est insuper quòd vnanimes obseruemus in vtroq; Auctore narrari hìc abscessus humorum factos à Natura præpollēte, insuper non obscure facere illos euacuationibus quibusque. Nam de vniuersalibus sat constat in tex. 29. *si commodè turbata esset aluus, aut vrinarum bonarū extitisset excretio, hinc soluerētur, quibus horum nihil acciderat, obscureq́, euanescebant, vt lethalia essent.* Galenus in Comm. *Nec est obscurum, quin si & per ventrem, & vrinas expurgatus fuisset molestus dum excerneretur, fuerit, profuerit tamen vniuerso corpori.* At dices tu, nihil ad rem, Medicis hæc sint curæ. Ades dum, paucis te vult Hipp. *Quibus enim ad suppurationem hæc species deuenit, plurimi superstites horum erant.* Audi modò fidum huius Interpretem. *Quorum quidam hac de re præcipuè incolumes euaserunt, vitiosis humoribus simul cum ipsis partibus, quas ij putrefecerant, amissis*, quod & inferius repetit. En tibi vtriusque euacuationis genus apprime salutare à Præceptoribus decantatum. Obseruo insuper, priusquam ab huiusmodi contextu me expediam, vagos fuisse illos, effrænesque humores, quod significauit Summus ille dictator in contextu 25. enucleauitque apertè Galenus in Commentario inquiens: *oberrabat, enim: vt ipse vocauit, fluxio per totum corpus, hoc est temerè, nulloq́, ordine, & casu vagabatur, vt præsagire Medicus ante, quò esset decubitura, non valeret.* Plurima sunt, neque infæcunda, quæ hinc elicio; primùmque referre Hippocratem ægrotantium historias, quorū curationi haud ille interfuerit, secus quì poterat ille proprij dogmatis immemor, turgenti humori non opponere actutùm euacuationem, eâdemque die cohibere vagantes? Debacchantis igitur morbi, nullisque compedibus astricti, retulit nobis historias, secùs facturus, si manus admouisset, quod & præstitit, neque reticuit datâ occasione. Quapropter non est, cur inertes hi sui in patro-

t.26.

Tex. 29.

t. 25. cit.

Tex. 29.

In Epid.

tro-

trocinium posthac adducant Hippocratem in Epid. membrorum casum tamdiu ociosum expectantem, nulloque præsidio miseris illis consulentem.

Cap. XVI.
Euasiunculas Aduersariorum eludimus.

NOn infirma porrò ea existimabitur ratio à contagio imminente petita, quæ primum in ordine tenebat locum apud assertores antiquæ encheiriatis, & meritò, vt quæ frequenti experimento auctoritatem sibi conciliauerit, ratumq; fecerit Galeni testimonium, quod dudum audisti. Hæret, & angit te hæc hædera, quô fit vt multiplici conatu euadere, vel saltem declinare tentes Contagij energiam. Contigisse nonnunquam asseueras, vt illæsis internis partibus, externæ penitùs corruptæ fuerint, & à sanis propulsarentur. Esto, quid infers tu? *Hinc facilè patet sinceras partes non confici ex emortuarum contactu.* Quis te docuit hanc inferendi normam? An es nescius, cõclusionem sequi deteriorem præmissarum partem? cur elicis igitur vniuersalem Conclusionẽ ex particulari propositione? Noxam sibi hærentem nonnunquam propulsat valida membri facultas, arcetque vicinam perniciem: frequentissimè tamen succumbit, datque manus palantibus hostibus. Hinc prudens Medicus talem debet, & ex iniuncto sibi officio, tenetur auertere pestem. Quòd si ex voto non succedat, ne pars sincera trahatur, separare debet viuens à non viuente pernicioso. Fateris tandem, *quod cum contactu interdum in his contagium inesse possit,* tunc igitur sectioni minimè aduersaberis, exulabitque *diuersa* illa *sphaceli curandi ratio*, quam in principio iactâsti. Verùm quid tibi vis cum illa tua limitatiuncula, *non omnino negatur?* & quod deterius, contra fidem, & experimenta asseris, *rarissimè* succedere contagium. Præterea haud omnes explicâsse conditiones assertores dicis; quid si cun-

Cap. superiori.

Pag. 42.

Pag. 43.

cunctas præterierint, propageturque nihilominus malum, & ſanas partes inficiat? An noſter modus cognoſcendi immutat, forſan, res? fiuntque morbi ſpeculantis ad normã. Satiùs erat ſic ratiocinari. Frequentiſſimè tranſit in ſanas partes nechroſis: igitur vel nos latent putredinis conditiones, vel ſuperfluæ recenſentur. Recitat quandoque Maro Tyranni Mezentij execrabile facinus Aen.l.8.

„ *Mortua quinetiam iungebat corpora viuis,*
„ *Componens manibuſque manus, atque oribus ora*
„ *(Tormenti genus!) & ſanie, taboque fluentes*
„ *Complexu in miſero longa ſic morte necabat.*

Et verè *tormenti genus* Thuſcis antiquis conſuetũ, ſi Tullio credimus, quod inſtaurauit Macrinus Imperator, ea propter Macellini nomen meritus. Quas tibi finges cõditiones in corpore valido, atq; valente, quas non æquet morbidũ illud, minimèq; diſiunctũ. Rurſus aduocas in ſubſidium *Naturæ regimen, vt defendantur,* verùm ſi non ſufficiens illa ſibi fuit ad hoc præſtandum in corpore valente, forſanq; aſymbolo; quid ſperas in languente, ijſdẽq; prauis humoribus refertiſſimo? Manca præterea eſt illa tua doctrina, quanquã parænteſi longiſſima nouẽ linearum ſepta, de natura humoris contagium inferentis, *quod tantum ſpecificæ prauitati ex putredine exulanti occulta, vel à tota ſubſtantia venenoſi, vel ex venenato telo vltra contactũ,* refers acceptũ. Haud, .n., Scabiei meminiſti, vel impetiginis illius, quæ à noſtratibus *Volatica* præ celerrima illius trãſitione, incertoq; volatu, cõgruè appellatur. Hæ verò vnicæ cutis fæditates, contagioſæ quidem ſunt, verùm à tuo veneno abhorrent. Hæc infirmant vniuerſale tuum effatum de cauſâ contagij venenoſâ. Quin vt diſputationi aliquid condonem, neque forſan deſiderabitur in cadauere humano excellens illa putredo, cuius indicium horribilis fætor, & analogia cum indiuiduo eiuſdem ſpeciei, ne dicam numero vnum, idemque cum ſuperſtite ſano. Mones inſuper *diſcernendum eſſe contagium à morbi augu-* Pag.43.

In Hortenſio.

Fulgoſus lib.9.c.2.

mento depascentiæ simili, quod ex iterata fluxione, vel noua decumbente materia proueniat. Pace tua dixerim, hoc onus tu subire debebas: qui vltroneus præfers tenebrionibus facem. Interim caue ab improprietate: nam morbus in casu proposito non dicitur augeri, verùm de nouo fieri, sanasque partes occupare. Sat lapideus erit, ne dicam molaris professor ille, qui non distinxerit, vtrũ pendeat nechrosis membri ab arctiori fascia, an ab escharotico. Quapropter renunciant, vel Chirurgiæ Tyrones huic tuæ admonitioni. Excusas tandem superioris sæculi, ne dicam, cunctorum errores, seuerosque sectores damnas neotericos, quibus tua affulsit fax, reosque illos facis patrati homicidij: qui tamẽ vnanimes, tua tibi verba reddunt, & *pertinaciter* negant *ex contactu* cadauerosi membri *continuas partes non confici.* Præterea inepta esse *lenia medicamenta,* vt partium integrarũ substantiam *tueantur,* ac *seruent,* quod perperàm nobis hucusq; insinuare tentâsti.

Cap. XVII.
Hippocratis norma perpenditur.

PErgis eandem recoquere crambem, posthabitâ interim Gangrænâ, non absque malæ fidei suspicione, victusque
4. de Artic. t. 36. fateris, laudare Hippoc. excisionem in membro iam sphacelato, verùm alijs seruatis legibus, quàm faciant seueri recentiores. *Non, enim,* inquis, *partem viuentem attingit.* Vltrò hoc tibi damus, *vnde omnia iam dicta mortis pericula imminent.* Non tam facilè hæc admittimus. Primumque sub incudem reuocamus doloris genus non adeò forte, vt deterruerit ægrotãtem, quin nouam subiret sectionem in parte sanissima, ad hoc vt remoueret membri truncum incommodum artificioso progressui, prout videre est apud Ambrosium Paræum. Plus incom-
Chirurg. l. 11. c. 18. modat hæmorrhagia, spirituumque conferta deperditio, præ quibus causis cor actutum languet, nonnunquam verò, & succum-

cumbit. Verùm ſi arctis ligaturis intercipiatur confluxus, ſtuporq; inde parti inducatur, omnia erunt in tuto. Præter id quod natura à natura plurimùm diſtat: duriores carne,& quibus ſanguis admodum fibroſus, faciliùs tolerabunt ſectioнē, ſecùs frigidi, imbelles, effæminati, & quibus tenues humores, curtaque eſt ſpirituum ſuppellex. Tales, forſan, nactus Hipp. vel ex aliorum relatione, quod ſuſpicor, meticuloſior redditus,periclitari recuſat,nondum exploratâ ſalutari viâ,quæ poſteris innotuit. Duo infers ex ſuperſtite carne emortua: primùm quòd per ſe cadet *relaxata, & propulſata à natura per carnem ſuccreſcentem, ſuppuratione facta:* alterum, quòd non timet Eximius ille Artifex *læſionem* ex contactu. Vtrumq; tuâ pace, arbitrarium eſt. Nam de primo, iam tibi ſuperius factum ſatis. Refugit ſiquidem Natura, quantùm in ſe eſt, rei præter naturam contactum, nam mortui ad viuentem nulla eſt proportio, dumque ſe recolligit, areſcit membrum interim, temporis longiſſimo progreſſu caſurum. Dic ſodes, quomodo tuam aptabis in præſens doctrinam partibus cæteris ſolidis, quæ membrum ſphacelatum conſtituunt? An in cartilagine, & oſſe fiet illa tua ſuppuratio, & pullulabit caro propulſans? Quod attinet ad alteram, nempè, non timere Hippoc. læſionē ex contactu carnis putridæ reliquæ; ſimplex hæc tua affirmatio, ſimplici negatione tollitur, vt cum Dialecticis modò ſapiam, & loquar. At, inquies tu, cur permittit Præceptor ille noxium contubernium? Tempeſtiuum iam eſt, vt reuelemus fallaciam. Mens Hippoc. eſt, ne ſana pars violetur; hoc autem dupliciter contingit, primò quidem dum cis nechroſim ſecamus in parte viuente,haud trans in emortua tantùm.Secundò, ſi partes, quæ in membri ſuperficie vitâ ſint deſtitutæ,ſubiectæ verò, & quæ in meditullio, adhuc vitâ fruantur. *Nam quæ emoriuntur,quamuis non fuerint aſtricta,non omnia ex altis oſſium partibus decidunt, ſed quædam ex ſummis.* His ſtantibus,edicit Senex, ne quid violetur: tum quia Medici officium eſt,humanum

Cap. 13.

Hip. I de vuln. ca.

t. 36.

corpus, ſingulaſque illius partes ſeruare (hoc verò præterijt Hippoc. tanquam exploratum, nulliq; controuerſiæ vnquam expoſitum) tum etiam ad excitandum dolorem, quem ſubſequitur nonnunquam lypothimia, in aliquibus verò, & funeſta ſyncope, ob virium iacturam. Quanquam in tex. 35. habet, *plerunq; citra noxam præciduntur, niſi protinus anima deficiat, vel quarto die febris continens ſuperueniat.* Quinimo paulò ſuperiùs monebat. *Sed & quæcunque oſſa, non ad articulos, verùm ad aliquam aliam regionem præciduntur, ſimiliter ſine noxa ſunt & alijs promptius adhuc curationem recipiunt.* Quod verò attinet ad carnem corruptã *in vulneribus ſanguinem fundentibus*, non emortua illa tamen, præterque ius Naturæ, ſed intra cancellos recuperandæ priſtinæ gratiæ, nõ eſt quod noxam ab illa valdè vereatur. At in ijs, quæ valentius adſtringuntur, tum in oſſium fracturis plus iuſto compreſſis, in ijs item quæcumque vinculis violenter comprehenduntur, metus abeſt contagij, interceptis vijs quibuſcunque; quo fit, vt *compluribus decidat, quorum plerique liberantur.* Hæc prohibent ne malum ſerpat. Quis ſcit, an Hippocrates minimè ſegnis artifex manum admouerit inſuper his auxiliarem, non ſecùs, ac reliquis. Et memini me legiſſe apud Galenum talem obſeruationem. *Quum, enim nullum aliud ſcripſit remedium in ægris horum librorum, tum nec illam, non qui non præſtò fuerit laborantibus auxilio, ſed quòd aſcribere auxilia ſingulis ægris non oporteat, niſi quid fortè commune inciderit.* Vt vt præſumptio mihi faueat, eundem producam è re noſtra fatentem. *Curatio, enim, à curatione diſtat, quantum ad id pertinet, vt nudata oſſa maturiùs, vel ſerius decidant.* Poſtremò ſeueris ſuccenſes, quod præter Hippoc. normam, non ſecent membrum ad articulum. Occurſat confeſtim A. Paræus, & duo tibi reponit: primum quidem non inconſuetam ſibi fuiſſe huiuſmodi ſectionẽ, quod & alij de ſe teſtabantur; præterea partis naturam definire amputationis locum. Benè eſt, quod φιλαυτία non vſque adeò caliginem tibi offuderit,

3. Epidd. c. 2. t. 10.

Lib. 11. c. 25.

Cap. 15.

rit, quin reluctantem obſerues Hippocratem peracta cum ſectione. Quem ſcopulum tamen quoquomodo vt euites, primo loco inepta profers, deindè eximium Præceptorem damnas, habeſque deſpectui; tantùm valet cæcus amor ſui, improbaque peruicacia. Fingis proinde percunctanti ſic ſatisfacientem. *An quia timeat læſionem ex longè diſtanti, & non à contingente propinqua?* Repudias tu fictam reſponſionem tuo cum *hoc nihil abſurdius*, quod tamen pernegant Antagoniſtæ; longè, enim, abſurdior eſt tua euaſio, quam annectis, vt mox audies. Et vt diſputationi fores pateant, ecquis vetat, quominùs ex illo tuo putaminum aceruo, edules nuces iuglandes nonnemo venetur? Ni fallor, commodè poteſt quis hunc illis ſenſum aptare, quòd Hippoc. maiorem timeat læſionem ex longè diſtante maximæ molis, quàm à propinqua contangente ſub exigua quantitate. Hæc vt percipias, duo ſupponunt, quibus refragari nefas: alterum, quòd Hippocrates membrum corruptum ex toto abſcindit, relicta ſolùm exigua portione, ſcilicet, *ne quid violetur*, alterum in maiori mole, maiorem etiam eſſe virtutem. Plus igitur, iureque veretur à membro abſcindendo, quàm à futuro ſuperſtite, ob minimam energiam, quam tamen infirmaſſe illum veriſimile eſt, vt dudum audîſti. Nullum proindè continet abſurdum reſponſio à te conficta, necnon confeſtim exploſa. Tua modò experiamur. *Nouit, enim, ex membris nigrefactis, & emortuis apparentibus non omnes partes ex imis ſæpè cadere, ſed tantùm quædam ex ſummis.* P. 48.
Aut Delio egemus natatore, aut, quod ſuſpicor, ſaltus nunc, mi homo, extra chorum. Secat membrum Hippoc. te inuito, minima adhuc parte reliqua. Percunctaris cunctaturus, haud imitaris (reſpondet neſcio quis) auerruncare maiorem noxam indubiè futuram à maiori quanto. Quid ad rhombum, ſi non omnes partes ex imis cadunt, ſed quædam ex ſummis? Tandem, quem implicâſti nodum, explicans tu, aſſerens, quod Hippocrates *non vlla neceſſitate motus permittit, vel molitur ta-*

lem sectionem. Temerè igitur in re grauissima procedit, extremaque tentat perperam? Ariolaris tu *id agere ad remouendum inutile pondus, & fætorem.* Neve allata excusatio Seni iam trepidanti suffragetur, subdis, situ artificioso pondus sustineri posse, fætorem corrigi, & remoueri exsiccantibus, beneque olentibus, præterquamquod paucis diebus membrum exiccatur. His non contentus, addis. *Patet quoque non necessariò fieri membri prædictam sectionem ex eodem Hippoc. cùm seq. tex. 37. concludendo consulat, vt accipiantur huiusmodi sanationes: magis, enim, terrent dum accipiuntur, quàm dum adhibentur.* Verum consultò, summaque necessitate coactus Parens ille egregius manus admouet, inertesque admonet, vt quam primùm sanam partem ab emortua separent, qua cum nulla est analogia, seu proportio, quinimò perniciosa penitùs consuetudo, monitore quotidiano experimento, & dudum laudato Auctore. *Itaque oportet mortuum à viuo statim excludi, aut nisi id fiat, viuum mortui contagione interire vaporibus, nempè, copiosè, & continenter per venas, neruos, & arterias ad viscera, & partes principes ab humorum, & carnium corruptione suscitatis.* Habet nec non quæ tibi oretenus significet. *Quare ne ea res, deflendam quidem, sed tamen hominis, & reliqui totius corporis vitæ conseruandæ necessariam membri alicuius, cui reliqua sphaceli, & perfectæ mortificationis signa adfuerint, amputationem remoretur, iterum, atque iterum vide: aliàs neglectum incendium momento in vniuersum corpus grassabitur, nec iam remedio locus erit. Sic enim Hipppocrates sectiones, vstiones, & terebrationes, quamprimùm necessarias exigit perficiendas iubet.* Par est, Regio Chirurgo, atque experientissimo, te præbere morigerum: secùs de tua eruditione actum est. Quod attinet ad mentem Hippocratis in cont. 37. 4. de artic. seduceris egregiè, præ æquiuocatione, arbitro Galeno in Comment. Credis enim subscribere Hippoc. tuæ cunctationi. *In ijs enim, quæ verè grauia sunt, non tamen talia se ostendunt, monet, vt Medicus se subducat: illis manum iniiciat, quæ gra-*

Pag. 49.

Lib. 1. C. 14.

Cap. 17.

Sect. 7. lib. 6. Epid.

grauia videntur, quemadmodum, & hæc, quæ nunc proponuntur. Vbi enim pars aliqua ex toto emortua sit, non amplius grauiter afficit, quæ vicina sunt, hanc si præcidas, caueas, ne, dum manus curatio adhibetur, animæ defectio sequatur, malum aliud non afferes vllum. Postremò Phryges Tragædos conduxisse exclamárunt omnes, dum lib.Epid.denuò recoquis: in eademque persistens hæresi, persuadere nobis tentas, Hippoc. in seq. tex. 37. *concludendo consulere vt accipiantur huiusmodi sanationes, magis enim terrent, dum accipiuntur, quàm dum adhibentur.* Verùm quas sanationes percipis? tuas ne dispendiosas, & plenas discriminis, an verò sectionem *tex.36.* superiori laudatam, consultam, & vbirrimè à Galeno in Commentario explicatã, quum *iuxta articulum affecta membri pars, intacto osse abscinditur.* Consulit profectò Hippoc. Medici curantis existimationi, obseruatu Pergameni, *in iis, enim, quæ verè grauia sunt, non tamen talia se ostendunt, monet vt Medicus se subducat, illis manum iniiciat, quæ grauia videntur, quemadmodum, & hæc, quæ nunc proponuntur.* Quid deliberas? concedes, an medeberis? Accurres confestim tua cum *leni*, nuperque memorata *Medicina*: hanc ad tempus depone, ac interim præbe nostro Pergameno aures ociosas; is verò actutùm hæc præcedentibus annectit. *Vbi enim, pars aliqua ex toto emortua sit, non amplius grauiter afficit, quæ vicina sunt. Hanc si præcidas, caueas, ne dum manus curatio adhibetur, animæ defectio sequatur, malum aliud non afferes vllum.* Viden' quomodò Hippocrates sibimet consonet in membri sectione consulenda. Neque minori versutia dissimulare, aut distorquere niteris Coi dictatoris mentem eodem in volumine ad locum. *Erant autem hæc formidabiliora, quam deteriora*, vbi, inquis tu: de excisione nullum verbum. At meminisse oportebat, nudam hîc narrare Hippocratem historiam pestilentis constitutionis, neque Medicum agere in præsens, aut præstita remedia recensere. Accedit, quod & superiùs animaduertebamus, haud sin- t.25. 3.in 3.Epid.

 gulis

gulis ægrotantibus illum interfuisse, verùm ex aliorum, vt fit, narratione, hæc collegisse, idq; non leuidensi, vt audîsti, coniectura. Maliensis infortunium ab Hippoc. recitatum 5. Epid. & confirmabit, quæ asserimus in præsens, & damnabit tui similes cunctatores. Audi monentem. *In hoc non animaduersam est quòd & corporis habitus biliosus erat, & in corpore putredo sicca tenuis intestini multa, & aliarum carnium, quas statim eijcere oportebat, si quis potuisset, sicco pharmaco, dum robur aliquod homo habebat.* Priùs verò quàm insigne illud tuũ paradoxon nobis insinues (*commodat, enim, inquis, & corruptio in profundis, & nigris putredinibus, putredines soluens*) concilia tibi Galenum è diametro docentem. *Peiora, enim, erant in quibus in profundum secessit humor, ignem sacrum efficiens, cùm in viscera se, & in principes partes conferens, præter alia symptomata, febres etiam acutas generabat.*

In Com. tacit.

Cap. XVIII.

Reliqua euertimus Aduersariorum perfugia.

PArùm ne tibi erat præposterâ vti interpretatione, nisi malum malo cumulans inferres. *Stat ergo vera, & optima ex Hippocrate conclusio, quòd omissâ sectione, tractanda sunt hæc tanquam casura.* Peius in præsens tecum agitur, quam fiat cum Logicæ Tyronibus. His enim licet, quandoque ex falsis præmissis veram inferre conclusionem: verùm tua ex falsis, & arbitrarijs principijs oriunda, falsissima est, non secus, ac illi opposita verissima: quod perspicuum speculantibus. *Amant hæc omnia lenem medicinam:* verùm post administratam sectionẽ, cautionemq; sanarum partium secedit, quod corruptũ extorre à Naturæ finibus. Hoc à me tibi debebatur ex pacto. Improbas insuper præter sectionem, *Ignem, & caustica*, quanquam satis laudata, si opportunè administrentur, eoque nomine illis modò infestus es; *quòd non remedia, sed causæ duplicantes affectum.*

?.10.

ctum

ctum potius videantur in Gangræna. Gal. verò tibi suffragantem indicas 2. ad Glauc. c. 2. circa medium: quod caput dũ attente considero, primùm in illã incido sententiã. *Summatim verò hæc te cognoscere oportet, quod omne vlcus, siue sponte, siue ex accidenti, siue ex vulnere factum fuerit, exiccari desiderat; medicamento, vt inquit Hippocrates, non aspero, hoc est, non mordente, neq; vehementer irritante, præterquàm vbi malignum, & cum putrilagine fuerit: talia enim acriora expetunt medicamina, & quæ ignis vires habent; quale est misy, & chalcitis, & arsenicum, & calx, & sandaracha: etenim non aliter, quàm ignis, adurunt medicamenta huiuscemodi: sæpiùs verò, vbi ista cesserint, ipsum ignem adhibemus.* Hæc tuam euertunt credulitatem, neque sibi verentur à sequentibus, vbi ne paspalam quidem pro re proposita. Totus erat in curationis forma, quam indicationes præscribebant, desumptæ à *temperatura, formatione, situ, & virtute*, quod, & dupliciter fit, quatenus, aut viscus illud alicuius virtutis est origo omnibus partibus communicatæ, aut ipsius opus toti corpori vtile est. Prioris sub censu recenset hepar, cor, cerebrum, & testes; posterioris, Ventriculus, & loca muliebria. Hæc verò præstari ab immoderatè laxantibus, quæ robur soluunt, aut supramodum refrigerant, non absque innati caloris pernicie; *iam verò, & qualitates quędã extraneæ virtutes dissoluere possunt.* p. 103.
Nihil igitur horum in curationibus præterire oportet, ne nosmet ipsos lateamus, in eum incidentes sermonem: Morbus quidem curatus est, homo autem obijt. Quid ad rem, quam tibi sumpsisti probandam? vide an è re tua sit illa pensitare, quæ mox subsequuntur: *Quod à quamplurimis quotidie factitari videmus, qui irrationalem experientiam colunt, atque hæresim methodicam, omnia artis bona destruentem, quæ rationes quasdam dogmaticas quidem, sed multis erroribus plenas, consectatur.* Eiusdem nec non est farinæ textus à te inductus 12. *meth. cap.* 1. vbi loci Galenus totus est in curatione symptomatum, dolorisq; præcipuè. *Esto igitur terminus in ægrotantibus*, inquit, *quem non transibit*

is,

is, qui ex arte generosè contra morbum pugnat, vt tutò medicetur; audi, mi homo, haud obaudi: *ei verò qui dolorem mitigat, vt vires custodiat. Vbi vltra pergitur, crudelis hominis officium facit, qui vnà cum morbo vitam quoque homini aufert.* Hucusque nihil è re tua; stant verò contra te quæ subsequuntur. *Qui verò cubantis delicijs subscribit, eiusque voluptatem, non sanationem pro meta gerendorum habet, adulatoris.* Ab Asino decidisti, proindè, neque sibi verentur scarificationes à tua accusatione, mi-
p.51. nùs ab inductis testibus, quos tibi infestos malo fato semper inducis. Extorquet tandem à te veritas. *Tolerantur tamen acria in putredine humida, & parte mortua,* hoc verò, & tuam redarguit inconstantiam, & vesanos illos Chirurgos, quibus cum res olim fuit, in ordinem redigit. Pergis, & benè, *quæ etiam si tali cautione excindantur,* nempè ne quid violetur, *tole-*
p.52. *rabile videtur, vt Galeni distinctio, &c.* Verùm consuetâ inconstantiâ reuocas sententiã in sequenti pagina, & Galeno pudenda præcidenti, insuperq; inurenti succenses, ijsdem repetitis,
p.57. quæ superiùs diluimus. Benè est, quod tuæ consulas existimationi ob infelices subsequutos euentus, illudque tribuas impotenti naturæ, nec non causis insuperabilibus, quæ tamen ferum tuum medicamentum naucifaciunt. Miserum præterea tibi interdicitur effugium de symptomatico humorum affluxu: nam ægrotans ille, cui sub digiti casum mors contigit, vt tibi Aduersarij obtrudunt, suppresso hominis nomine, quanquàm, & nobis, vt conciuibus Florentinis notus, & apprimè carus, nulla tentabatur fluxione, sed digiti necrosi: præ cuius virulentia, dum casus propediē expectatur, mors inopina suc-
p.58. cessit. Interim tertium in ordine ratiocinium Aduersariorum declinare niteris, præpostero tamen ordine, non illaudabili tamen confessione. Fateris enim, *tolerabile esse acribus medicamentis vti, vt in putredine Gal. ex calida, & humida causa, & in venenatis,* hæc verò aciem fugerunt illius, qui te vtebatur Præceptore, non secùs, ac quæ infers post longam excursionem,
lice-

licebit autem in humida putredine dictis medicamentis rebelli in facto esse tantum existente acria superdare, vt supra. p.61.

Cap. XIX.
De necessitate Scarificationis in Gangræna.

ASsenteris Galeno profundè scarificanti membrum Gangrænâ tẽtatum præ inflammatione insigni, *ad euacuandam,* inquis, *sanguinis in loco contenti partem, reliquo videlicet exhibendo transpirationem.* Hucusque non malè, dum verò annectis, *quod velle in omni specie Gangrænæ à diuersis, & contrarijs causis exorientis, esset ab Arte Medica alienum, & tanquam vnico calopodio omnes velle probè calceare.* Refragabor ego, neque iniuriâ. Ratum nanq; est, quòd vbi plures, diuersæq; causæ eundem specie natæ sunt producere effectum, non tam huic vnam, eandemque deberi curationem, verùm, & nonnunquã præter communem præseruationis indicationem, causis quibusque debitam, peculiarem necnon, atq; promiscuam exposcunt. Laboret v.g. Socrates Anginâ præ fluxione excitatâ ab insolatione, Plato eodem morbo tentetur à consimili interna causa, externa verò dissimili, puta, quoniã frigido Aquiloni se exposuit: hîc quis non videt indicationes, & opera præstanda in vtroq; ægrotante, non dissimilia fore? Tumor tollendus euacuatione materiæ coniunctæ, inhibenda fluxio reuulsionibus quibuscunque, deriuationibus, necnõ remotione procatarcticæ causę, si nondum ea desierit. Hæc qui promiscuè pręstiterit, non errabit, neq; nota illa tua huic inuretur, quòd vno calceo omnes tẽtet calceare. Audîsti ex me superiùs, in vnaquaq; Gãgræna peculiarem esse materiam, membroq; coniunctã, cuius pręsentia labefactatum, vitæ iã penè renunciat. Hæc nisi confestim euacuetur, actũ est de vita partis. Verũ quoniã plerumq; in profundis delitescit, obstatq: contracta cutis densitas, quominus extenuata illa per halitus discutiatur, necesse habet pro- p.57.

uidus Medicus patentiores parare ſtagnanti vias, caloremque ſimul diſflare, ne prauis fuliginibus obrutus, ſuffocetur, cum animalis pernicie. Hunc in vſum excogitârunt Solertes Medici profundas ſcarificationes in Gangræna quacunque, ad extrahendam coniunctã materiam, & membrum præſeruandum, quod tamen abs re nõ erit ſingulatim ad incudem reuocare, quamquam poteras rurſus percurrere cap. 11. præſentis diſputationis, & 10. inſuper, à quo iſta doctrina pendet. Continentem cuiuſcunque Gangrænæ cauſam abundè, ni fallor, eſſe tunc probaui coercitum ſanguinem, minimè confluũ, & refluum; quam etiam ſententiam tuetur G. Fallopius, ſimili ſenſu, quanquam diſſimili oratione. Audi. *Alia cauſa eſt* De tum. c. 10. *materialis interna, ac coniuncta, & eſt humor ſanguineus, præcipue deſtitutus calore inſito, & ſpiritibus bonis, atque corruptus ſimul cum partibus, quas occupârit.* Non renuis ſcarificandum in Gangræna ab inflammatione (quanquam Galenus, vt audiſti, permittat in alijs tumoribus) forſan neque à venenatis humoribus illùc à Natura detruſis, ne cũctatione vires recolligant, parteſque vicinas depopulentur. Cur non, ſi fiat à veneno ictu illato, cui extractio primùm debetur, ea propter ſuctu nitebãtur Pſilli Lybię populi ore trahere venenum, nos verò & iam infectam ſanguinis portionem, infeſtam non ſecùs animali futuram in poſterum. Par ſuccedit profectò calamitas in membris Gangrænâ tentatis à cauſa quacunque extrinſeca: ſemper enim incluſum ſanguinem, ſtagnantemque obſeruabis, præ cuius fotu, augeſcit morbus in dies, atq; efferatur. In ea verò, quæ fit ob ſiccitatem, licet rariſſimè contingat, frequentius ob decubitum partes prementem, humor c. 10. aliquis ſubeſt, vt audiſti l.c. cui euacuatio debetur, ob contractum vitium, præſeruatur ſuperſtes tranſpiratione. Poſtremò in Gangræna à frigore, quam ſolam forſan opponis ei, quæ ab inflammatione tuis cum *diuerſis, & contrarijs cauſis*, par e rit procedendi modus. Subeſt enim ſanguis ille vitiatus, non minus

nus, quàm in cæteris ſpeciebus, licet quandoque in minori copia. Etenim in pernionibus inſignes nonnunquam fiunt inflammationes, non ob ſanguinis nouum confluxum, verùm ob coercitum ſanguinem putreſcentem, vnde phlogoſis, & tumor. Huic ſua debetur euacuatio, quæ cum per ἄδηλον ἐυπορρίαν fieri nequeat, vitio humoris, patentiores huic parandæ ſunt viæ, quod ſtudent Medicinæ emeriti, quos inter Raſis in continenti. *Ego iubeo, quòd fiat in hoc loco cura, prout dixi in vlceribus malignis, quoniam iſtud, & vlcera maligna penès me habeo in conditione vna, etiam ea quæ accidunt ex frigore* (nota) *vnde velox fiat ſcarificatio membri, dimittatur ſanguis ad egrediendum, ſæpè, & pluries hoc fiat, quoniam hoc prohibuit, quòd non corrodatur.* Et conſtanti ſententia idem repetit, nobiſque fauet qua de regimine extremitatum, ne à frigore lædantur, læſæq; curentur. Habet verò: *Virides autem, vel nigri ſi fiant* (pedes, vel digiti) *oportet vt ſtatim ad eos ſcalpellandos feſtinetur; & velociter ſunt ſcalpellandi, & adeò profundè, vt ad carnem perueniatur, & ſanguis ab eis fluere permittatur, donec per ſe reſtringatur. Ipſi quoque interim in aqua ſtent calida, quod ideo fit, ne in ore venarum, aut in vulneribus ſanguis congeletur, & exire prohibeatur.* Minùs audiens forſan es Arabibus, & aſpernaris quæ Græco è fonte non cadunt. Age, mi homo, ſat ne tibi fidus Galenus, cuius auctoritate fultus, pluries hucuſque inſultâſti? Conſule virum in *primo de Comp. med. per genera*; quà de contracto liuore in eryſipelate ex incongruo refrigerantium vſu. Illudq; in primis pondero, quòd fugæ locũ præcipit. *At ſi quando liuidum ex frigefacientium vi eryſipelas euaſerit, non id ampliùs eryſipelas appellandũ eſt.* Siquidẽ degenerauit affectus ille, nouumq; euaſit in morbum. Huic non ampliùs congruunt proinde vini mixtura modò, ſed roſacei, & aſtringentis olei. *Nam ſolum Phœnicinum veteri oleo liquefactum, quod liuorem contraxit, per halitum diſcutere poteſt, & tunc affectæ partes aquâ calidâ foueantur, & ſcarificantur.* Vlteriùs ſi progreſſum fuerit, quid ſit præſtan-

C.13.

Tract. 6. C.7.

C.4.r.

ſtandum, inferiùs indicat. Primùm verò nota, *liuidum* colorem, viam eſſe in nigredinem Pergameno: inſuper acria rebus ſic ſtantibus, huic minimè eſſe ſuſpecta. Audiamus differentem, rurſùmq; ſcarificationi manus dantem. *Quòd ſi eryſipelas, quod iam nimis fuerit à Medicis immoderatè id refrigerantibus infrigidatum, curandum offeratur, vt iam quoq; nigricet, fotu & ſcarificatione vtemur. Atque citra hæc calcis viuæ quippiam liqueſcenti pharmaco immittemus.* Hæc Galenus Græcorum Anteſignanus. Hinc eodem in libro Epid. teſtabatur, quòd ægrotus ille, *cui exedebatur in capite tumor, primùm Alumen vſtum quadrauit.* Valeſius in loci Comment. *Rectè etiam dixit, primùm, quia etſi primùm videretur alumen benè facere, tamen nō potuerit eo ſolo perſanari homo, ſed alia fuerit opus adijcere, fortaſſe cauſtica,* dico ego, & ſcarificationes, quæ lenius ſunt remedium, vtpotè ferro, non igne excitatæ. Par nec non erit ratio reliquorum auxiliorum, quæ indicantur à cuſtodia innati caloris, & membri affecti, quacunq; ex cauſa læſio contigerit. Hæc pro tuo *calopodio* ſat ſunto.

pag. 22.

6. ep. ſec. 4. t. 5.

Cap. XX.

Diluimus obiectorum ſolutionem, finemq; tractationi imponimus.

QVam præterîſti ſecūdam affirmantium rationem, baſilica edictione modò exterminas. Sic verò perſuadebant. In habentibus ſymbolum facillimè eſt tranſitus ex Philoſopho: ſed partes Gangrænæ finitimæ ad talem ſubeundam perniciem diſponuntur, quod & albidior color indicat: igitur breuè Gangrænâ corripientur, niſi priùs partem extinctam, & quæ continuam fouet ſummouerimus. Maiorem admittis, minorem, nec à limine ſalutas: quid igitur concluſionem habes controuerſam? Quod ſi dicas, oppugnare

re te postremam illationis partem tua cum illa farragine, *iste transitus non impeditur acribus, causticis, & similibus, & quod his membra maximè lædantur, & destruantur, vt probatum est, sed mitibus, ac lenibus protegendo &c.* Iam concitus es ne tu contradicendi œstro, vt non obserues amputationem ab Aduersario suaderi, non acria medicamenta. Deindè haud veritati consonum est, transitionem illam non impediri acribus, & causticis: quandoquidem reclamant quotidiana experimenta, & veterum testimonia, vt superiùs audîsti. Quod si valida illa præsidia irrita sunt; si sapis, minus sperabis à mitibus, vtpotè intempestiuis, & inefficacibus. Neque admittitur illud tuum effatum in re præsenti, quòd mitibus membra protegantur, vt acribus destruantur: nam lenibus tunc proteruntur, seducitur que Natura turpi perniciosaque assentatione. Acria verò nonnisi semimortuis partibus applicantur, quorum adhæsu vindicantur à putredine, & præseruantur ab omnimoda corruptione, & monebat Hippoc. Epid. *Contraria* (.s. coquendis) *aperire, siccare.* Caustica haud destruunt sanas partes, verùm confirmant, præcipuè si actuali igne fieri illud contingat, affectas alleuant, atque præseruant, absumptis prauis ichoribus, & putrilaginosis corporibus, nunquam in gratiam redituris. Prætereo tuam tautologiam, cui dedicas integram paginam, expendo, quæ regeris tuis antagonistis. Ponebant illi, quod Ars debet imitari Naturam, præcipuè benè operantem, subdis tu. *Ars verò naturam debet imitari eo modo, quo potest.* Transeat. Annectis confestim. *Non enim Artis est concoquere, carnem generare, sed est Naturæ opus ex Galeno, artis verò, naturæ ministrare.* Quid hæc ad rem nostram? Ars, inquiunt illi, debet imitari Naturam rectè operantem: at illa separat membrum iam vitâ functum, idq; non absq; tuo encomio: igitur & ars idem præstare tenetur. Percepisti ne ratiocinij vim? An dubitas nũ valeat Ars, Naturæ tunc æmula, membrum separare, an impos operanti Naturæ ministret? & potest, & debet, quid tu? *Hoc*

p. 63.
p. 64.
p. 65.

non ſequitur, cùm non verè eſſet imitari Naturam, & ei miniſtrare, ſed ipſi vim inferre. Non bonus in Dialectica vſus es Præceptoribus: nam & perfecti ſyllogiſmi irrefragabilem conſequentiam negas,& aſſumis tanquã ratum,quod controuerſum
p.66. eſt. Hæc verò in Scholis dicitur mera principij petitio. Multus es, in penſitãda hiſtoria ab Aduerſarijs adducta de moriẽte, ſub digiti caſum: culpam reijcis in fluxionem iteratam:qua de re ne verbum quidem egregius ille Medicus, qui communicauit: haud ſuppreſſurus ſi contigiſſet,aut admiraturus euentum à vulgari cauſa oriundum.Satius proinde fuiſſet, ſi vadum ſicco pede transfretaſſes: quandoquidem intenſa hæc propugnandi anxietas ſuſpicionem inijcit, ne tu modo pugnes pro exiſtimatione propria tutanda, quam funeſta curatio deiecit. Epilogo tandem repetis tuos errores, nõ veram Hippoc. ſen-
p.70. 71. tentiam, totieſque admonitus haud reſipiſcis, vel Auditori-
p.72. 73. bus parcis, iam moleſta, & ad nauſeam vſque repetita diſpu-
74. tatione attritis. Præterea, nec abſtines à Grammaticalibus,dũ tres impendis paginas, in vmbratili quæſtione de Lemmate *cap. 4. de Articulis,* an inſcribi debuiſſet *de oſſibus præſcindendis,* vt iacet, vel *de oſſibus quæ præſcinduntur:* bellam ſcilicet ſpeculationem, quam nouæ eruditioni proximè maritas. Propriam referebat obſeruationem Hippocrates. *At fæmoris os hoc modo nudatum vidi octogeſimo die abſcedere, crus tantum huic homini ad genu vigeſimo exciſum eſt: mihi verò propius etiam videbatur, cum non eodem tempore, ſed ante prouidendum exiſtimarem.* Refers tu ad tempus, quod ſcilicet, *non multo tempore, vt par erat, expectauiſſent caſum partis futurum, neque affatim deueniendum erat ad ſectionem,ſed videbatur mihi aliquid eſſe faciendum cum præmeditatione, conſilio, atque prudentia,non ita præcipites ad ſectionem ruendo.* Hæc tua eſt interpretatio, ſeu diſtorſio in re planiſſima, nullique ſcrupo obnoxia. Illud, *propiùs,* vertunt vnanimes I. Cornarus, & H. Mercurialis, *citiùs.* Quapropter tantùm abeſt,vt Hippocrates,quod tu credis, peractæ ſe-

ctioni ſuccenſeat, vt ante prouidendum exiſtimet, innuens, cũctationem illam exitio fuiſſe vicino femori, quod præſeruari poterat, atque debebat ſectione à contagio. Non eſt tibi mecum lis, qui putrefacta,& putreſcentia ex æquo ſanas afficere partes exiſtimo. Valeas igitur tuo cum digito deciduo, cuius in gratiam garriendo progrederis vſque ad *pag.* 81. vbi locorum nouum quid cudis. Adfers enim, *aph.6.p.ſect.extremis morbis &c.* cuius ſuaſu poſſit quis conſulere extremis remedijs, igne nempè, & ferro parti ſyderatæ. Quid tu reponas, non video. Iurarem neque te percipere obiecta, quod vt contingat ſaltem meâ operâ, ſuadeo, vt argumentum in forma diſponas. Sit maior Hippocraticum effatum. *Extremis morbis extrema exquiſitè remedia optima ſunt:* at Gangræna, & Sphacelus, extremi ſunt morbi: igitur extremis exquiſitè remedijs in Gãgręna,& Spacelo erit vtẽdũ. Maior inducitur à teſte omni exceptione maiori, & qui, vt ait Macrobius, nec falere, nec falli potuit, forſanq; eſſet demonſtrabilis, ſi quis impudens cõtradiceret, ſeeùs quam tu facis laudabili conſilio. Pari circumſpectione obſeruo, te minori aſſentiri paſſim; præcipuè in calce p. 83. Sequitur igitur illata concluſio irrefragabilis, extremis remedijs exquiſitè vtendum in Gangræna, & Sphacelo. Hucuſque concorditer. Sed extrema remedia in his curandis nil proficientibus, acribus Medicamentis, ſunt ferrũ, & ignis: ijs igitur opus erit in Gangræna, & Sphacelo curandis. Sin refrageris, aut vacilles, patrocinantem inducent Hippocratem diſertis verbis enunciantem. *Quæcumq́, non ſanant medicamenta, ea ferrum ſanat, quæ ferrum non ſanat, ea ignis ſanat, quæ ignis non ſanat, ea incurabilia exiſtimari oportet.* Monet H. Cardanus in Comment. *manifeſtum eſt, quod per ferrum non intelligit cucurbitulas, aut venæ ſectionem, quanquam enim hæc manu adminiſtrentur; tamen non debent ferro fieri: ſed ferrum dicimus, quum quod corruptum eſt aufertur,* & paulò poſt. *Ratio verò generalis eſt etiam, quoniam ferro debet curari, quod præſcinditur: at hoc eſt ex-*

p.76.

1.Aph.6.

In Saturnalibus

7. Aph vlt.

tremum, cum ſit periculoſiſſimum, aut maximam afferat iacturam, aut vtrumque. Quæ ſi percepiſti, minùs declinare potes vim allati ratiocinij. Audio te opponere, non vnicum eſſe genus auxilij extremi, præter verò enarrata, ſuas habent ſedes, & tenuis victus, phlebotomia, frigidæ potio, vini nigri auſteri perfuſio in fracturis; vacat apud me hoc tuum poſtremum, reliqua cum mica ſalis admitto. Quid tandem hæc ad rem noſtram? Reſpondes tu. *Sic in Gangræna extremum remedium eſt, quod iuxta cauſarum diuerſitatem exquiſitè efficax, ac diuerſum indicatur.* Oedipum aduocant illi coniectorem, at ego ſeorſum ſcrutor, quo impulſore, vel in calce tractationis ſupprimas diuerſam illam tuam curandi rationem, quam pactus in limine eras; haud enim ſubſiſtere poteras in cōmunibus, ſed proprias materias propiùs ſignificare tenebaris. Quod addis, *& in Sphacelis partis adhuc viuentis protectio, ſalubritatis procuratione, & conſeruatione mitibus diuerſis ſimiliter &c.* non benè ſonat auribus Galeni. Is enim deuios quoſdam ſuæ ætatis increpans, hæc habet. *Minimè igitur ſicut Medicorum nonnulli cenſent, à paruis incipiendum auxilijs eſt; nec ſicut illi dicunt, ſentiendum, iſta prius ſcilicet eſſe tentanda, mox ſi nihil profecerint, aggredienda maiora.* Calcitras tu nunc impatiens, & naucifacis cenſuram, vtpotè qui vno, eodemque miti, blandoq; medicamento à carceribus ad metam ſemper vtaris. Compone te, mi homo: meliora ſuperſunt, proſequitur Galenus. *Nam in morbis, in quibus periculum non impendet, vera ea opinio eſt: at vbi moriendum ægro prorſus eſt, ſi phthoe ſemel exceptus ſit, aleniſſimū à ratione eſt à minoribus inchoaſſe. Nam ſicuti reliqua omnia ab Hippoc. tradita, ita illa quoque ſententia rectè eſt dicta, nempè ad vltimos morbos, vltima prorſus remedia maximè valere.* Quod ſi ſuppreſſo nomine de te fabula narratur, cauebis meo conſilio in poſterùm, ne iure in te ſcomma, quod ſequitur, iaciat Pergamenus. *Quare ampliùs opera tua non egebit, proditus videlicet per te inter initia. Quippè idem facis, quod gubernator, vbi per eius incuriam euerſa nauis eſt,*

p. 82.

5. Meth. c. 15.

l. c.

est, vectorum cuipiam afferem in manum dat, indeque salutem comparare suadet. His peractis, quinque ponis conclusiones: quarum prima, vt superiùs dicebamus, damnat inexpertum illum, peruicacemque Chirurgum, qui in decubitu maligni humoris cum inflammatione ad extremas corporis partes, segnis, atque oscitabundus spectator, miseram perdidit Virginem, vt in Historia fideliter narrabamus. Secunda vniuersa est de esthiomeno à causa interna, prohibesq; tunc sectionem, & acria ob superstitem humorem in vniuerso corpore, valentem in reliqua parte simile morbi genus excitare; quod pernegant Aduersarij. Nam scarificationibus educitur, qui impactus, acribus absumitur putredo, dum interim corriguntur humores Naturæ ope, & Medici, perque vias debitas domiti iam educuntur; hæc est via cõsulendi *partis recipientis salubritati, nõ mitibus suis medicamentis*; nam Galeno monitore medicamẽtum viribus æquale esse debet morbo, secùs infeliciter pugnatur. Neq; admittunt, quod si Natura criticè expellat, necessariò vt tu credis, amittatur membrum; illud enim custodient ex Antiquorum normâ, non tuâ, sub qua non dubitant euentum, quod fateris, nempè sæpius expertus. Quin neque si *symptomaticè*, prout autopsia fidem sæpiùs fecit. Nouo, enim, morbo, illiq; perniciosissimo, sua quinetiam, propriaque debentur præsidia. Neque verum est, quod asseris, *membrum tunc cum ægro perire*, nisi Chirurgus morbo consentiat, aut Natura impotens huic succumbat. Tertia conclusio, non secùs ac prima, vt dicebamus alibi, damnat rursus socordem illum tuæ doctrinæ sectarium, hæretq; Antiquorum traditionibus. Quarta in ordine plurimos habet refragantes; neque iniuriâ; si de sphacelo loquaris: sin verò de Gangræna, quæ propriè mortificatio est, audisti quæ superiùs, & nos statuimus. Nam tuum illud Dilemma vitiosum dicent. Inquis; *si vniuersi corporis calor deficit; actum est de re ægrotantis*. Verùm quo indice, vel fideiussore, tam certè de re tam ardua pronunciabis? Esto; prosequere. c. 7. & 8.


Si deficiat in particula cadet membrum, & euadet æger. Inter os, & offam plurima contingunt, vt est in adagio, si deficit natiuus calor in mẽbro, non penitùs defecit. Præterea inter extinctionem illam, & membri casum, subrepit, vt audîsti, forsanq; expertus es, ægrotantis pernicies, non irrefragabilis illa *euasio*,
7. Epid. quod nobis suadere tentas incassum: reclamantibus magnæ nauis Gubernatore, & famula Aristionis. Quintæ tuæ conclusionis priori parti consentit *caput sextum* nostræ tractationis, reliqua iam confutauimus.

Hæc præ data occasione concitus euulgaui, ne succedat in posterùm, quod hucusq; contigit, vt cæco tui, suiue amore seducti inertes nebulones in pernici morbo, eoq; pernicioso, interim ludere desinãt de corio humano. Gratias, quas pollicitus
Pag. 94. es, in calce reddes, vel debes nobis: qui amicè te monuimus, manumq; apprehendimus, ne cæco sub tui ductu tenebriones illi patulam in foueam posthac delabantur. Viue, & Vale &c.


Proh quàm execrandũ monstrum est inscitia proteruię iuncta, aiebat Eudemus. Appositè Summus Medicinæ Dictator *malos, & plurimos Medicos* comparabat malis Gubernatoribus. *Etenim il i, quum in tranquillitate Gubernantes delinquunt, non fiunt manifesti, quum verò deprehenderit ipsos ventus magnus, & tempestas, palàm iam conspicui sunt omnibus, quòd ignorantiâ, & culpâ erroris sui nauem perdiderunt.* Vna salus superesset, locũ cedere Doctioribus, aut cõuocare Medicos in re difficili, Hippocratis consilio: verùm ne pereat apud idiotas falsò concepta existimatio, perendinantur, aut si cogentibus Necessarijs tandem assentiuntur, mille posthàc excitant turbas, domumq; subuertunt malis artibus, parùm curantes, qui futurus sit exitus miseri iacentis, vt dudum audîstis, non sine stomacho. Abeant proinde in malam rem suis cum Promotoribus: Vosque interim Amici, quibus pietas curæ est, atque integritas,

Durate, & vosmet rebus seruate secundis.

NOX




NOX GENIALIS QVARTA.



„ *Vertitur interea Cælum, & ruit Oceano NOX*
„ *Inuoluens umbrâ magnâ Terramq́, Polumq́.*




Vapropter festini accedimus omnes, & ne periret tempus præimportunis confabulationibus, prodijt nostra ex arcula, nescio quæ Lucubratio, recens cusa, pridem verò meditata, quam recitandam Sosiæ commendabat Præmigenes.



DE RERVM PRINCIPIIS.

Illuſtriſs. Apathiſtarum Academiæ Cenſoribus

Ioannes Nardius P. M. Benè agere.



Xtemporaneam lucubratiunculam, quam triginta ab hinc annis extorſit controuerſa tunc ſententia de Rerum Principijs, *en ad vos adfero, Cenſores oculatiſsimi, fiducia prouentus minimè dubij allectus in Phyſ. Lact. Analyſ. cap.* Noctibus Genialibus *propediem edendis hæc debetur ex pacto, noſtraque vacillaret fides, niſi inſereretur, licet ſera, volumini. Veretur calumniam, magis autem mendum. In veſtra manu eſt vtraq; auerruncare: mendax enim eſt calumnia abſque mendo; veraque calumnia. Inculpatæ Cenſioni cedent Zoili, ſubſcribet vniuerſa Apathiſtarum Academia, fælix ingeniorum nutrix; cuius in gremio hæc noſtra, quin ſua depono. Nam quantus quantus ſum, pro collato dudum honore, huic me totum mancipaui: at ſeruus, priſca ſanctione, quicquid acquirit, Domino acquirit. Cenſum interim, neque iacto, neque extenuo, incertus adhuc, & dubius: quandoquidem tanti æſtimare rem ſuam quiſque debet, quanti cenſebunt Cenſores. Benè valete.*

Viro

Viro Præclariſsimo, Excellentiſsimoque
D. IOANNI NARDI
In Apathiſtarum Academia, Philoſopho,
& Medico Eminenti

εὐπράττειν.



Vllus de rerum principijs aptior Te diſceptator, Excellentiſs. D: qui earumdem naturam in *Clar. Vatis interpretatione* dilucidè reſerâſti, qui abditiſſimas eiuſdem cauſas ſcrutatus *ſubterraneos* iam excitaueras *ignes*, dulciſſimos *lactis* Fontes elicueras, *Rorem* & manna ſuauiſſimè cælo deduxeras, vt non immeritò hodiè hanc tuam περὶ τὴν τῶν ἀρχῶν κεαρ ἐν ἑρμηνείαν, vel ipſi Hermeticæ Philoſophiæ Principes mirentur, quòd adhuc in limine *Fluidum* in eloquentia, *Solidum* in doctrina agnoſcant. Cui præclariſſimo operi non Iudex, ſed Encomiaſtes ſubſcribit


Auguſtinus Coltellinus Aduocat. atque Vniu. Flor. Fund. & Cenſ. perp.

Vir Præclariſsime.



Erum principia indagare, quàm arduum ſit, innumera Veterum, & Neotericorũ placita oſtendunt. Hinc patet, quanta te maneat gloria, qui poſtremus Athleta in hanc arenam deſcendens, primus coronam omnibus hucuſque negatam mereris. Et dum fluida, & ſolida, naturæ initia decernis, fluiditatem inanium, & fluctuantium ſententiarum in ſolidam ſtabilemque euidentiam mutas: ſoliditatem diuritiemq; difficultatum in fluidam, atque perſpicuam ſcientiam reſoluis. Non eſt igitur, cur meam quaſi Agonothetæ ἄριον expectes. Iam tibi victoria plaudit, & præmium ſponte præbet vel ipſamet inuidia. Non iudicis ergo, ſed plauſoris partes agens tuum cano ἐπινίκιον.

Carolus Dati in Apathiſtarum Academia Cenſor perpetuus, in Florent. Publicus Politiorum Litterarum Profeſſor.



PRO-

PROLVSIO AD HERMETICOS

De Rerum Principijs, Fluido, & Solido.

Cap. I.

LImites qui pręscribit Humano ingenio, certisq; vallare præsumit legibus vagum, cunctaq; lustrans, is & immensos Oceani gurgites vrnâ coercere tentat, atq; satagit. Quæ nanq; via Ingenio non peruia, quos aditus non occupat, quas difficultates non superat, nullis retardatũ ambagibus, nullis pressum oneribus? Præpetibus alis euolat confestim in Cælum; dictoq; citiùs penetrat abyssum, miroq; dum librat ausu Naturæ opera, dissita iungit, vnita separat; &, quod mireris, inexhausto contemplationis solatio mox recreatus, haud attritus, viuidior emergit, atq; alacrior. I nunc, & fines præscribe strenuo Athletæ, indefessoq; cursori. Verùm enimuerò contraxit olim fædus cùm sensibus, illorũq; infractæ fidei se mancipauit, ita vt nonnisi præludentibus ijs, aut prodromis, ad Regiam pateat aditus. Horum arbitrio committitur veri notitia, neque sat exploratum credit negociũ, nisi sensuum accedat fides. Quin patitur nonnunquam Ingenium sensibus submittere fasces, irritasque habere proprias sanctiones, si refragetur sensus. His legibus contracta societas proficit, & ad veritatis properat Aulam: sin deflectat, vel præpostero vtatur ordine; omnia corruunt. Contigit & hoc quandoque Sophiæ penetralia indagantibus, contigit & hâc ætate, anxiâ nimis, atque propensâ in nouitatem. Effra-

ctis

ctis nanque arctis cancellis, quos obduxerat pridem cariosa consuetudo, mirum dictu, quàm profecerint palantia ingenia, ita vt & Cælum lustrauerint, nouis obseruationibus mirabile, & abdita terræ viscera peruia nobis fecerint, impari tamen nonnunquam euentu. Mista verò corpora, quæ tot sæculis inexplorata iacuerant, ad trutinam reuocârunt, viuamque illorum Anatomen distinctis partibus, haud distractis, quod fecerat Antiquitas, magno mortalium commodo, ob oculos posuêre. Noua præterea nec piguit alios indagare Rerum Principia, autopsiâ admonitos, aut mentis scrutinio elatos, quos æmulari in præsens est animus. Quapropter, si libet, & vacat, Ingenui Hermetici, quos pleraque hæc nostra tangunt encomia, aures nobis præbete ociosas in re graui, compendiò discutiendâ, non per longas ambages, atque tricas.

Cap. II.

MAxima Principiorum fuit semper habita dignitas, vtpote quibus vitiatis, non tam pereant res, quæ ab illis pendent, quàm integra de rebus hinc oriundis eruditio. Horum proinde in scrutatione nulla est opera superuacanea, nulla procacitas. Quapropter dum scrutinium instituitur de his, quæ sub sensum cadunt, assentior, Rerum sensibilium sensibilia debere esse principia. Valeat proinde suis cum figuris Academia, concedant numeri ad Telonia, illorum nanque aceruo nec granum consistet; Extorres vagentur per infinitum Inane Atomi imperceptibiles, arietent, cudantque nouos Orbes, quibus præsint, dumodo integer hic nobis sit, neque inquinetur à puluerulentâ sobole. Nimis vagum est illud Materiæ nomen, quæ Cælorum compagem etiã ingreditur: quid præstat Priuatio in re condita? vbi concessit? An non oportet principia semper manere? Neque elementa propriam tueri valent dignitatem. Esto elementum intrinsecum, intimumque

rei

rei principium: quis illa quatuor tali nomenclaturâ dignabitur, quæ nemo aduertit conuenire ad misti generationem, neque succedere, dum dissoluitur? Noua proinde indaganda erant Principia euidentiæ ductu, non rationis arbitrio, Ingenijque tyrannide. Tentârunt hoc Hermetici, non absque laude, vt qui nacti barbarie deturpatum sæculum, miseroque sectarum seruitio mancipatum, res ipsas scrutari cæperunt, non voces pendere inanes. Nactique Pyrotechniæ beneficio modum resoluendi Composita, erupêre sensibilia Rerum Principia, Sal, nempe, Sulphur, & Mercurius, quorũ mistura olim constitisse, & reuiuiscere, si Dijs placet, denuò posse noua iunctura mistum quodlibet, & credunt, & prædicant. Haud vacat reuocare modò ad trutinam Triadem illam Principiorum, verùm conatum extollere, exitumque admirari est animus, vt qui tenebris in tantis necessarium duxerint, sensibilium rerum sensibilia expiscari principia, non fabulosa, aut imaginaria. Præstitêre quod licuit, neque locum promerendi seris denegârunt Nepotibus; quanquàm irrepserit nescioquis fanaticus cuncta sibi arrogans, susque, deque vertens, cui litant malè sani nugiuenduli, ignauique Sycophantæ, non legitimi egregiæ Artis filij.

Cap. III.

NOn recuso viam insistere, quam præiuit Peripati Antesignanus, dum Principia Rerum Naturalium inuestigaret. His enim prædita volebat illa conditionibus, vt neque ex alijs fierent, neque ex alterutris, & ex ijs omnia. Quæ tamen quantùm congruant Peripateticis Principijs, non est nostrum in præsens examinare, verùm laudare, atq; imitari institutum. Principium ex alijs fieri non debet: secùs Principium non esset. Nôstis enim *idem esse* apud Stagiritam, *primum, & principium*. Quapropter, si qua principium constituerent, essent priora

1. Phys.

1. Poster

priora primis, quod eſt abſurdum. Cauete proinde Hermetici, ne veſtra illa Trias aliunde agnoſcat exordia, vel in alia reſoluatur principia, aliàs conclamatum eſt de ambito primatu. *Ex alterutris* inſuper Principia fieri non conuenit: quandoquidem eſſent illa generationi, ac interitui obnoxia: *principia* verò, vt audîſti, *oportet ſemper manere*, Ampliùs, quoniam vnum vni tantùm eſt contrarium, ſi pugna inter principia committitur, vnicum tantùm ſupererit principium, quod auctâ modò ditione nuperà cum victoriâ, haut patietur in poſterùm redintegrari ab Aduerſario vires. At nouæ copiæ vnde ei, qui integer dudum, & impar manus dedit præpotenti hoſti? In hac cauſa ægrè vos tueor, Amici Hermetici, veſtrumque Mercurium, quanquam pedibus addidit alas. Compertũ eſt enim iteratâ obſeruatione degenerare verſipellem hũc in Sulphur, nulla admotâ machinâ, nullâ Vulcani operâ. Prouoco vos ad nuces, abſq; iniuriâ: Strobylos, Oliuas, Amygdala ſeduli intuemini, ne dicam ſemina quælibet, quorum mercurialis ſuccus quantus, quantus eſt, ætate procedente tranſit in Sulphur: quin ſi prematis enucleatos ſtrobylos ſummis digitis, & modicum circumduxeritis, oleum emicat actutùm, inque iugẽ oleagineum ſuccum concedit Strobylus vniuerſus. Quod facit in præſens ſimultanea fricatio, præſtabit alibi ambientis tepor ſpontaneus, vel contractus ex prohibito tranſpiratu. Quin ſpiritus ille mirabilis, ſublimior mercurialis ſucci portio, diutino incubatu in oleum vertitur. Ferunt inſuper, ſal ex miſto quolibet genuinum præbere Mercurium, & Sulphur, minimâ, vel nullâ ſuperſtite ſalinâ naturâ. Quæ res controuerſum reddit tertiùm hoc veſtrum principium. Poſtrema Principiorum conditio eſt, vt *ex ijs omnia fiant*, addaſque per me licet, vt omnia in hæc reſoluantur, minimè fallaci coniecturâ principiorum conuentum, & ſufficientiam aſtruens. Et quod attinet ad primam, niſi omnia ex aſſignandis principijs fiant, principia non erunt, ſed particulares cauſæ, aut fortuitæ; quæ con-
ditio

ditio plurimùm incommodat, vt audio, Hermeticis principijs. Non is ſum, qui non ſemel in miſtis quibuſdam Triadem illam incaſsùm venatus, in controuerſiam reuocem in præſens ius acquiſitum, verùm obſeruationibus Peritiorum certior redditus, præſertim in durioris compagis foſſilibus, hæreo anceps, donec Helias ille Artiſta prodeat in Scænam, talia nobis Myſteria reuelaturus ex pacto. Fidem facit poſtrema illa compoſiti *reſolutio*, atq; teſtatur, quæ conuenerint ad rei cuiuſq; conſtitutiònem, ita vt neque excedere, neque excedi, verùm integrè reſolui in componentia ſenſibilia concretum debeat. Arduus imminet ſaltus, Hermetici, haud ſaltitatim ſuperandus: nunquam enim aſſequi mihi licuit, neque Peritioribus contigit, quod iurati teſtantur, vt Compoſita, ſeu Miſta concederent in Sulphur, Sal, & Mercurium, quin inſignis ſupereſſet materiæ portio, quam vos terram dicitis damnatam, caputque mortuum. Satiùs erat, ſi damnantem nuncupauiſſetis veſtram credulitatem, funeſtam inſuper veſtro capiti futuram, ni moniti reſipueritis, vberiora mecum indagantes Principia, compoſitis quibuſque ſublunaribus accomoda, vniuerſamque illorum compagem ſuo interuentu ſtruentia.

Cap. IV.

DAtis dextris, concordes modò venemur Rerum Sublunarium Principia. Quorsùm, dicetis amici, aut quam ingrediemur Bibliothecam? Nugamini; vnus ſat eſt liber, varijs caracteribus inſculptus, ijſque hieroglyphicis, non tamen ignorabilibus. Magnus eſt, Antiquiſſimus eſt: Maximum ſi dixero, non errabo, ſiquidem Vniuerſum complet, exceditq; terrarum orbem. Vetuſtus adeò, vt ſit Mundo coæuus. Eximium hoc Volumen, nocturnâ, diurnâque manu verſârunt Sophiæ cultores, neglexêre ſuo cum malo Sophiſtæ, ſeueriùs multandi, quòd proſtet illud omnibus, non venale, ſed gra-

tui-

tuitum, quin alliciat, cogatque inuitos in sui saltem admirationem. Euehit tandem, structisque gradibus ad Cælum vsq; haud arduam studiosis sternit viam, qui reduces opulentam secum referunt mercem. In hoc mirabili, patentique Naturæ libro laboremus vnanimes, posthabito sectarum philtro, quô primæua scrutemur Rerum exordia. Gleba, quam detero, ex quibus constat? ex congesto, dicetis, puluere, & humore. Optimè. Consistit igitur ex re fluidâ, & solidâ? Cui dubium? Fluidum proinde, si reuoces, nudus supererit puluis. Assentior. Lapis, quem cernis, itinerantibus molestus, parem cum gleba, an diuersum obtinuit generationis modum? Parem, fateris, solâq; compage dissimilem. Diuertamus, si libet, proximum in specum. Quid hoc est? stilla concrescit, vt corpus perfudit solidum; scrutor intima, iam lapidescit frutex ex imbibito humore. Solidum igitur, & fluidum conuenêre ad nouam fruticosi lapidis generationem. Latitante in obuio Pyrite Calcanthum igne si examinauero, fluidum ascẽdet, solidum arefactum subsidebit in fundo Retortæ. Virgulta, quæ nunc in aperto manibus tracto, non vnius sunt generis: vigent hæc succi plena, exaruêre illa concedente humore, quæ si quis Vulcano vrgeat, reliquo expirante fluido, cinis tandem supererit, vel caries, si tempori committatur negocium. Intuemini enectam Lacerti corporaturam, cuius membra nonnulla abeunte fluido humore dissoluuntur, aruêre alia, nilque superest, præter fimum, & puluerem ex solidi familia. Hanc reuocate tandem ad trutinam singula composita, deprehendetis parem illa cum superioribus subire sortem, solaque *fluidum, & solidum*, sensibus nostris esse obuia. Qui testes omni exceptione maiores suadent Intellectui, vt inculpatum formet ratiocinium. Omne Compositũ resoluitur in ea ex quibus componitur: At Res Naturales in *Solidum*, *& fluidum* ressoluuntur, quod dudum percepisti experimentis: igitur Res Naturales ex *Fluido, & Solido* componuntur. Tantum valet in re ancipiti fida sensuum, & Intellectûs societas.

Cap.

Cap. V.

NOn est, cur interroges, qualia sint noua Principia, quæ dudũ tractâsti. Substantiæ Physicæ sunt, Corpora mutationibus obnoxia, quibus coeuntibus constat Compositum, abeuntibus dissoluitur. Non vnius illa sunt generis, sed varia, diuersis tamen naturis congrua. Si obijcias infinitum apparatum, ingenijque tædium; exulat primum, dum finibus coercetur orbis, neque abhorret, aut recusat Intellectus certa rei cuiusque Principia inspicere, non incertus de primatu, firmaque statione. Scit, & nescit, nouit, & ignorat, scrutatur fluidum, & solidum, quæ tamen intùs latitare non dubitat. Sat hæc sunto pro tua hæsitantia. Nomen vellicas insuper, re perspectâ, nouaq; veteribus iungere satagis incassùm. Renuncio in primis antiquo priuilegio, quod Inuentoribus deberi, testabatur Plato, tibique per me ius esto, quouis nomine obseruata Principia nuncupare, saluâ rei notitiâ. Haud, enim, excidere tibi par est, proxima hæc nobis, germanaq; esse sublunarium Mistorum elementa, sensibus obuia, Rationique consentanea. Est, enim, elementum, vt nôsti, ex quo primò fit aliquid, & in quod vltimum resoluitur, si corrumpatur. Sustinent præterea causarnm dignitatem irrefragabili iure, proprios edunt effectus, luctantur, freta minorum satellitio, belloq; per Legatos confecto, amicè iunguntur, vnaque tandem in sede morantur. Dubitas, hæc prima ne sint, an ex alijs constent? Adfer si quę habes, sed certa, & irrefragabilia; sensibilium, enim, sensus est iudex, non ratio, vt ille dicebat, quam sibi verisimiliter quisque confingit. Abominor, repudio nouas voces, quibus forsan assueuisti teneris ab vnguiculis; at illud nôris, quòd vana sunt hæc ociosorum hominum figmenta, pappique volantes, quorum venationi dum insenescunt, non minùs fiunt ridiculi, quam Socrates ille Nubium attentus speculator apud

Ariſtophanem. Turgidos obſeruabis quoſdam, vndequaque verſatiles, follis ad inſtar, quos ſi pupugeris, tibique ob oculos poni prædicata principia inſtiteris, concidunt, ſubſidentq; actutùm, efflante vento, ignauaque ſupereſt tantùm, & ridicula merces, digna ſolis cerdonibus. Caue proinde tibi, mi homo, neq; te infla euanido ſub vocum prætextu, edico nanque tibi, atque interminor, nonniſi productis in ſcænam, ſenſuq; probatis Principijs me ſubſcripturum. Quod ſi non vales, ijs interim vtere mecum. Neque ſuſpiceris velim, fieri noſtra hæc Principia *ex alterutris*, dum conſiſtere nonnunquam proprijs intueris viribus fluidum, fluere ſolidum: illud, enim, prænôſſe debes, haud ſincera tunc illa fuiſſe, verùm permiſta, proque miſcelæ modo â nobis cenſeri. Exemplo ſit marina aqua, quam non inuitus inter fluida repones; hæc tamen euaporato humore in Sal concreſcit, quem, nempe, antea corraſerat. Liqueſcit hic, ſi vberem imbibat humorem, nunquam ſtatu illo dimouendus, ſi curioſè vdum arceas. Neutiquam proinde hæc fiunt ex alterutris, verùm mutua propenſione coeunt, & clandeſtino nexu diù quandoq; iunguntur. Quî verò ſublunaria Compoſita cuncta ex Fluido, & Solido fiant, ſcrutari tempeſtiuum modò duximus.

Cap. VI.

CErtos nos reddidit nupera obſeruatio, miſta cuiuſcunq; gradus reſolui ſponte in Fluidum, & Solidum, euidens argumentum, intima hæc olim fuiſſe Rerum Exordia. Auet tamen animus iuncturæ modum indagare, & quomodo proceſſerint ad noui miſti cõſtitutionem, caſu ne, an naturali propenſione, & quæ nam ſit phyſica illa propenſio. Principio illud tenendum, inditam fuiſſe cuique enti Naturali propriæ ſalutis cuſtodiam, cæcoque ductu appetere quæcunque tueri valent propriam integritatem. Diffluit Fluidum, niſi coerceatur.

tur. Quapropter, vt rem ſuam tutetur, Solido ſponte iungitur, hæretq; pertinaciter, donec fatiſcat, aut euocetur. Cauet ſibi ſolidum ſolitarium, veritum, ne propriæ diſſiliant partes, ni Fluido iungantur: vbi illius ſit copia, abſorbet, altèque imbibit amicum humorem. Hinc nulla in Miſto Naturali aſſignari poteſt ne minima quidem pars, quæ tali contubernio non gaudeat. Firma proinde conſurgit iunctura, nonnunquam, & inexpugnabilis, ſi quando, Hermetici ſolertes, illud contingat, vt paria iungantur: *Natura* enim tunc *Naturâ gaudet*. Secùs malè coaleſcunt, quæ conditione diſparia conueniunt, velutque Lana aquâ perfuſa, mox diſſociantur; tantum valet Naturæ ſimilitudo, atque conſenſus. Suſpicaberis langueſcere Solidi firmitatem Fluidi acceſſu: verùm iniuriâ, hoc enim firmatur, caueturque, ne diſſiliat. Exemplo tibi ſit gypſum ex cremato marmore, molliſſimum, & ad minima vſq; friabile. Quod ſi aquæ iunxeris, antiquã recuperâſſe videtur duritiem, recentemque euaſiſſe in lapidem. Quid triticeâ farinâ mollius? Aqua: aſſentior. Illam tamen ſi aquâ ſubegeris, expiretque ſuperflua, coit procedente tempore in maſſam duriſſimam. Vide quomodo ex duobus mollibus ſympathicis exurgat ſolidum valentius. Arenam aquâ irrora, verſa, malaſſa, nunquam coit, aut induratur: Solidior tamen erat arena, mollior farina. Quibus certior factus, ſuſpicari primùm deſines in poſterùm de firma iunctura, deinde quantùm valeat Naturæ ſimilitudo in hoc præſtando probe calleas. Vix me ab hac expediui remora, quum obijcit altera, fore, vt omnia Compoſita vnius ſint generis. Hoc negatur. Vnicuique nanque Fluidum, & Solidum aſſignatur ſui generis, totque horum ſunt combinationes, quot miſta, aut indiuidua. Diuerſum eſt Fluidum Roſæ ab eo, quod ſtillat Papauer, neque Roſæ hortenſis fluor ſimilis eſt ſylueſtris humori. Quòd ſi pariant hæc tibi difficultatem, deſpereſque te rerum facultatem poſſe aſſequi, peto ego, quid amplius ſperare liceret, dum voces illas Mate-

 riæ,

riæ, Formæ, & Priuationis inaniter crepabas? Dic sodes, qui tua Elementa nouit, noſcet ne actutùm miſta omnia, eorumque facultates? ſi neges, relego te ad Botanicos, ne dicam ad Anticyram.

Cap. VII.

VIdimus hactenùs quo impulſore noſtra Principia, Fluidum, & Solidum, mutuos ruãt in amplexus, & quæ ſubſequatur hinc maior rei firmitas: cominùs intueamur particularisgenerationis exordia, illiuſque modum, ne Pythagorica Tyrannide ius nuper tibi dictum arbitreris. Quod vt præſtem, præmitto, aut inueſtigare nos, quæ fiunt in præſens, aut quæ facta fuêre ab incunabulis vſque naſcentis Mundi. Præerat tunc, ſi ſacro Chronologo audiens es, inuiſa materies, indigeſtaque moles, & Fluido, Solidoque, quantùm video, congeſta, quæ Verbo Domini obſequens, protulit miſta Animata, animoque carentia. Fluidum illud, Solidumque vniformia erant in principio, Conditoris verò ad Imperium nouis conditionibus exculta, ceſsêre aptam in ſtructuram peculiari cuiuſque Naturæ debitam. Diuinæ Benedictionis inſuper aucta fauore, præter contractam conſiſtentiam, certamq; naturam, facultatem quinetiam prolificam adepta ſunt, cuius beneficio durant, & propagantur in præſens. Manda ſemina terræ, turgeſcunt confeſtim, attracto familiari Fluido, mox verò vberiùs alta, luxuriant in ſtolones, flores, fructuſque alunt noui ſeminis thecas. Non alitèr Genitura ab animali ſeparata, vteroque commiſſa, ſuccum ſanguineum allicit è familiari aruo, donec debitam ſuæ naturæ magnitudinem, figuramque nanciſcatur fœtus. Vt vides, nullam hîc imploramus elementorum operam, qualitatumue ſubſidium, verùm ſubſtantia ſemet propagat, alit, atq; auget ſimilis appoſitione. Prætereo, quòd temerarium eſſet ſubſtantię generationem accidentibus commit-

mittere, animati plusquam temerarium: nunquam enim accidens propriam excedit Sphæram, calor calorem gignit, non sanguinem, & quod clamat verissimè Peripatus, ex non substantijs nunquàm conflatur substantia. Horum plurima consequi recentem compagem non diffiteor, impari tamen sorte: arcto quædam accidentia iunguntur nexu, laxo alia. Manuducebant nos priora in substantiæ notitiam, posteriora causæ, vt plurimùm, sunt deceptionis, nisi accesserit syndrome. Obuiant sensibus accidentia, quæ distinguere si nôrit, nunquam aberrat Intellectus, si confundat, aut peruertat, actum est de notitia. Singularia tantùm attingit sensus, Vniuersale Intellectui reseruat, cui nihilominùs ius competit & singularia nosse, illaque ad exactam trutinam reuocare. Vt enim, qui nouit homini mederi, non statim Socrati, & Platoni inculpatè medebitur, pari pacto, neque is, qui nouit iungi Fluidum Solido, noscet confestim singulos iuncturæ modos, accuratâ obseruatione in posterùm assequendos.

Cap. VIII.

HAnc tamen indiuiduam naturam, proprijs affluentem dotibus, nouisque ditatam, admiratur sapientiæ cultor, auetque assequi, quibusnam promotoribus adeò profecerit? Audîsti, vnde contraxerit primordia, & quo Dispensatore euecta perennet: conijce proinde, nil ipsi deesse, aut defuisse vnquam, sed omnia vberrimè assequuta. Quod ne controuersum tibi sit, facit Conditrix eadem Sapientia, quæ creata à se opera tandem intuita, nullius emendationis indiga credidit, & irrefragabili *Optimi* encomio digna sanciuit. Imaginare plures intercessisse misturæ modos, quo selecta materies, abiectis recrementis, euaderet in prædestinatum Compositum hinc æthereo cum spiritu, communicatam illi fuisse vim procreandi rem sibi similem. Subsequebantur facultates variæ, &

ſui, & hominis præcipuè in beneficium: cuius in gratiam Omnipotens ille cuncta abſoluerat. haud enim ocioſus poterat eſſe ille apparatus, cui manum admouerat Diuina Sapientia. Non diffiteor, plura contigiſſe interdum, & contingere forſan modò, quæ variârunt Compoſitum, puta Aquarum, Soliq; genus, Anni tempeſtates, Cæli aſpectus, cultura, & quæ caſu contingunt: valent enim hæc, ſi propitia, euehere, ſin aduerſa, infirmare, & perdere tandem. Alia prorsùs ratio eſt rerum illarum, quæ degenerant, inque nouam faciem erumpunt, vt Triticum in Lolium, Myſi in Sori, Animal in vermes: excipit enim Natura adueniens ruinoſam compagem, illamque tutò incolit, ſuâ ſorte contenta: Euenitque nonnunquam, vt minore indiga apparatu, eludat externas iniurias, diuque reluctetur iniurijs. Nouit Ars ſudes præurere in rem bellicam, ligna ſemicremata ædificijs ſupponere, aut carbones, duraturos in æuum, quum tamen ligna ex quibus conflantur, minùs reluctentur, immerſaq; aquis citò marceſcant. Poſſideo Conchas, Cochleas, Cornu Ceruinum, milleq; talia in lapidem verſa: nuper obſeruauimus cubantem Serpentem lapideum, ſaxo incluſum; qua de re mox differemus. Mirabile eſt Romæ Martyris Cadauer lapideum totum, ex iugi Fluidi ſtillicidio firmiſſima compage donatum. Hæc ſuadent non ſemper reſolui contractam iuncturã, aut ſi reſoluitur, ferruminari actutùm ex nouo adueniente Fluido antiquum Solidum. Præter auita igitur bona, Fluidum, & Solidum poſſident inſuper noua hæc caſtrenſia.

Cap. IX.

SErus interrogas, quem locum formæ reſeruem, quamue præfecturam illi permittam? Ignoſce, quæſo, mi homo, nunquam enim formam de facie noui, figuram, & palpo, & intueor, ne dicam, audio, cum Epicuro. Quæro ego viciſſim,

quæ

quæ neceſſitas vrget nouam inducendi perſonam, actâ iam fabulâ? Dices forſan, præbere illam eſſe Compoſito. Verùm eſſentia noſtri Compoſiti ſtat in iunctura, atque nexu Fluidi cum Solido, hanc ſi nuncupare formam eſt animus, per me tibi liceat, nihil, enim, incommodat Principiorum dignitati. Introduces inſuper tanquam cauſam diſtinctionis. Verùm reponent alij materiam ſignatam cauſam eſſe, & principium indiuiduationis, à forma nonniſi communis naturæ procedere conſortium: pace tuâ, nihil ad rhombum. Prætereo hæc apud ſpatiantes locum inueniſſe tantùm, idque in Prima Philoſophia: formam eſſe Metaphyſicam, non phyſicam, quin euertere hanc tuos conatus, quum agnoſcatur, proque *Forma Totius* in ſcholis exponatur licitatoribus. Nihil verò aliud eſt, præterquam conceptus ex toto Compoſito elicitus, ac Intellectui repræſentatus, qui propterea locus formarum dicitur, atque ærarium. Forma verò, quam aſtruere debebas, pars eſſentialis eſt Ariſtoteli, conſtituitque Compoſitum; hinc reſonant vbiq; atria Peripati *formam partis* ad ſuperioris differentiam. Malè igitur pugnâſti, ſcutumque petenti, gladium præbuiſti ancipitem. Satiùs proinde, me iudice, fuiſſet, aut rem diſſimulare, aut quod non alienum à tuis commilitonibus, fingere tibi noſtris in Principijs, neſcio quæ inchoamenta formarum euaſura in perfectam ſobolem tempore procedente, hancque educere tandem, nullo obſtetricante, de ſinu potentiâque materiæ. Quod monſtrum dum intuemini, riſum teneatis amici?

Cap. X.

QVam profecto de Rerum Principijs theoriam Priſcos illos ſapientes, velut ſub nube vidiſſe, aut ex induſtria caligine perfudiſſe non dubito. Thales Mileſius Ionicæ Philoſophiæ Princeps, dum aquam pronunciaret rerum cunctarum principium, apertè noſtrum Fluidum indicat.

Quod tamen certis finibus coerceri quum nequeat, ni solidum accesserit, necessarium habuit inducere crassescentem aquam, quod fecit Heraclitus, & Hipparcus Metapontinus, qui Principium Vniuersitatis ignem dixêre. Horum vestigia sequutus est Archelaus Apollodori Atheniensis, qui Aera præfecit infinitum, eiusq; spissitudinẽ, & raritatem. Empedocles atomorum iuncturam Amicitiæ nomine decorauit, Discordiæ, vel Litis dissolutionẽ, quod videre est apud Laertiũ.

„ *Nonnunquam connectit Amor simul omnia rursùs*
„ *Nonnunquam seiuncta iubet Contentio ferri.*

Quæ verò conueniunt, Elementi nomine dignabatur. Horum verò tria Fluida sunt, Solidum postremum.

„ *Iuppiter albus, & alma soror Iuno, atq; potens Dis,*
„ *Et Nestis lachrymis hominum, quæ lumina complet.*

Dyade Pythagoras induxit, Monadem Composito præfecit aliâ mente, quàm illi tribuerint posteri Enarratores. Dyas enim in Monadem degenerabat, duo in vnum conueniebant, & quæ dissociata binarium, coniuncta vnitatem cõstituebant. Siccum, & humidum corporum materiam apertè pronunciauit Aristoteles, illud terræ, hoc aquæ statuens, concretiones necnon reliquas expirationibus binis fieri tradidit, calidi, & sicci corporis vna, frigidi, & humidi altera. Atomis suis soliditatem tribuebat Epicurus, velut diceret insectibilitatẽ, Inane dicebat scissuræ causam, congregatione fieri concreta, disgregatione corrumpi credebat. Qui Vnum, & Immobile dixêre Ens, perennitati Principiorum consuluêre: hæc, enim, *oportet semper manere:* motûs proinde debebant esse expertia. Vnum tandem asserebant, firmo prospicientes nexui, in quem Principia euadunt. Sic poteris & reliquos Philosophantes ad bonam deducere frugem.

Superest modò, vt hanc de Rerum Principijs excursionem, boni consulas, Lector, iudiciumque suspendas, donec ad Lydium euidentiæ lapidem singula examines

„ *Nullius addictus iurare in verba Magistri,* PHY-

PHYSICA EXCVRSIO

De Serpente Lapideo intra saxum cubante.

LVsit olim Diuina Sapientia, dum conderet Orbem, ludit necnon illius pedissequa Natura in Lapidum generatione, quorum facies, & viscera solerti nonnunquam elaborata artificio, traxêre sui in admirationem Sophiæ Cultores. Sat fuit nonnullis rem Casui committere, reclamantibus cæteris, illudque obijcientibus, *Nil sine causa fieri*: cuius tamen in assignatione hucusq; vacillant. Variæ opiniones. Casus.

Haud enim meliora proferre creduntur hi, qui necessitati à materia præscriptæ euentum committunt; quamquam minùs deuiant, aliorum iudicio. Congruus namq; materiæ apparatus, diuturnaq; cultura, proprium allicit in sinum formarum semina. Materiæ necessitas.

Ea propter Numen, Astraq; fatigant alij, præficit Arabum Princeps, nescioquam Calcodeam, formas pro merito conciliantem: ratus nonnisi Intelligentiæ tale officium posse committi. Minus profectò se euehunt, magis autem collimant, qui sublunaris plagæ intra cancellos exordia venentur, nouamq; indigitant vnanimes substantiæ mutationem, quæ pro formæ modo, Generationis, aut Corruptionis nomenclaturâ insigniri debeat. Huic ancillari fatentur simplicium corporum primas qualitates, secundis, forsan, non ocìantibus: quin essentias, iuges illarum fontes, mistaq; non perfecta, aduocant in subsidium. His freti adminiculis, ambages quascumque, aut superant, aut declinant. Numen. Astra. Calcodea. Noua mutatio à qualitatibus. Forma. Mistum imperfectum.

Quapropter collatis signis, arduam primò aggrediuntur prouinciam de viuentibus animalibus intra solidissima saxa

 de-

Sententiæ de Animali Viuente. degentibus: quamquam ſecedunt mox aggreſſores, inque varia ſtudia deflectunt. Adultum ſubijſſe animal ſaxi penetralia credunt hi, reclamant alij, & lapidis ſoliditatem obtrudunt, Obſtructio. nullâ rimulâ, conſpicuouè meatu labefactatam. Hanc tamen dum luto ferruminare tentant incaſsùm Antagoniſtæ, vias interim expediunt ſeminibus, ibi locorum ad tempus condendis, Semen. quæ congruo fota calore, erumpent tandem debitam in prolem. Hæc pro viuente fæturâ.

Non viuens inclusum. Minore contentione non viuentia proſequuntur. Conſentiunt obſtrui potuiſſe argillâ peruium tunc ſaxum, hincq; denegato alimento, & ſpiritu nouo hoſpiti, obriguiſſe illum, nobiſq; ſui deſiderium reliquiſſe, atq; admirationem. Meatu clauſo. Cæno inuolutus. Obrutum cæno alij comminiſcuntur pari ſorte indurari abeunte humido: at ſolertiores Succô Lapideſcenti negocium committunt, A Succo Lapideſcente. qui vel ſolitarius, & pendulus concreuit ſpeluncarum in camerationibus.

Ventillātur allatæ opiniones. Placent omnes, perplacet nemo: quandoquidem ſinguli particularem cauſam cunctis nituntur aptare euentibus, vix potens illa genuinos ſuſtinere conatus. Quapropter ne iudicium ferre videar inauditâ parte, ad trutinam ſingulatim reuocabimus Auctorum ſymbola.

2. Phyſ. Caſu multa fieri contingunt in rebus Phyſicis, neq; derogat hoc Naturæ Maieſtati: quandoquidem fidus illius à ſecretis Caſum inter cauſas naturales, quamquam per accidens, recenſet: & ne vager vltra fines controuerſiæ, Caſu Foſſilia & Lapides figuram plerumq; nanciſci teſtatur euidentia, fulcitq; ratiocinium. Obſeruabam olim ad cliuum Montis Diui Iuliani tertio à Piſis Lapide, variegati marmoris nuperam fodinam. Solidum erat, probeq; compactum in viſceribus, ſenſim verò molleſcebat: donec ſuperficietenùs vltronea prodibant exordia, mixturæque modus. Lenta ſtagnabat Rubrica, cui per interualla deciduæ miſcebātur candidi marmoris ſquamæ, firmoq; adhæſu propediem coibant. Vt ſors

tu-

tulerat; nullo seruato ordine iacebant, quod & reliquis variegatis lapidibus euenire par est, vbi metallicæ terræ, varioq; colore infectæ, discolores lapillos amplexantur. Non dubito quin halitus ab Igne Subterraneo promoti, subeant nonnunquam marmorum poros, illaq; ad libitum, inficiant, nullo consultore præuio, aut Directore moderante. Casu necnon varias nacta sunt figuras, pomorumque præsertim, minuta saxa, tunc eruta, quum fossâ cingeretur Liburni Portus; & quòd mireris, binos insuper protulit lapideos panes, qui nostrum modò ornant Musæum.

Non omnia tamen Casu fiunt, sed certis causis sua debent exordia.

Numinis energiam nemo in dubium reuocat. Quid Astra influant, nondum fui expertus. Calcodeam, neq; à limine salutaui; sat ratus, si, mortalis quum sim, mortalia sapiam, Platonis monitu, præsertim vbi nulla egemus Machina, aut vindice ad nodi solutionem.

Obuius est quouis Mundi in angulo Vitalis Calor, Formarum lator, aut Promotor, qui materiæ appetitum, comprehensus explebit, inque nouam prolem erumpet stato tempore. Sic materiæ necessitati consulitur. Siquid verò labis contrahet in posterum Compositum, materiæ debetur: haud enim Summus ille Opifex, Trismegisti obseruatu, condidit Rubiginem, aut Æruginem, sed vitia hæc sunt, atq; aberrationes. Conferunt nihilominùs hæc, inq; aliorum beneficium conspirant, reciprocâ lege Ortûs, & Interitûs.

Insuetum est carnes in saxum verti, nuperum tamen vidit Gallia fætum lapideum, forsan ob degenerem materiam. Non diffiteor, contigisse plerùmq; imperfectioribus animalibus, dum terræ latibula petunt, præ frigoris impatientia, vt se intruserint foraminosum in saxum, dum interim circumstans gleba, pluuijs liquata foramina obstrueret, perpetuoq; carceri animal damnaret. Sic contigit Serpenti, quem marmo-

more inclusum, viuum adhuc, & spirantem vidit Martinus V. P. M. teste Baptistâ Leone. Potuit ille inediam tollerare, cui iam assueuerat hyberno tempore, valuit æstiuo compescere esuriem obuiâ terrâ, debito sibi alimento à mundi vsq; incunabulis. Præter id, quòd torpida iacent animalia hæc ob tenuem innati caloris supellectilem, qui nisi ab externo excitetur, ociatur penè, neque quicquam notâ dignum absumit: adde quod neq;aeris reciprocatione indigeat ad sui custodiã, solo perspiratu contentus.

Genes.

Penetrant dubio procul & rerum quarundam semina Lapides, quòd cernere apud nos est in saxo *Alberete* vulgò nuncupato, præ arborum concinnâ figurà, quam includit. Neq; expectes velim, vt te prodant semina cerealium ad instar, sat enim quibusdam est succus bibulâ terrâ exceptus ad tutelam, aut lentor, qualis anguillis. Sic Diuina fruuntur Benedictione semina, dum proferunt *iuxta genus suum:* quod pensiculatè animaduertebat D. Ambrosius in Examerone.

Genes.

Et quod mireris, fruticat Plantæ Sal congruo liquore solutus, tepidoque calore fotus: Quin Oleum ex Nuce Myristica diu asseruatam in Musæo Principis Viri, stolonem protulit compari cum odorata Iuglande. Indomita proinde, occultaque rerum spermata insinuant semet quandoque intra Lapidum viscera, formamq; ni valeant inducere Substantiæ, concinnam, saltem, impartiunt Figuram.

Non omnia tamen,quæ lapideâ crustâ teguntur,ex semine fiunt.Par siquidẽ,æquumq;erat,sensim tunc incrementa sumpsisse recentem fœturam, haud in molem excreuisse actutùm. Et quod caput est, vt disputationem contraham ad Lapideum Serpentem, cuius in gratiam instituta fuit speculatio, nullum in lapide supererat spatium, vbi se extenderet bestia: ita vt affabrè cælauerit saxum ambiens, tam arcta iunctura huic erat contigua.

Verisimile proinde est, intra molle stratum cubâsse tunc bel-

belluam, seq; in spiras recollegisse, quod tam familiare huic generi est tempore somni, quàm perfectis animalibus componere se in orbem ad caloris tutelam. Hinc perfidia blandientis Hospitis (cui arcto in amplexu propria vestigia dudum impresserat) inopinaq; duritie; fatis concessisse.

Plurima tamen supersunt in præsenti negocio, quæ maiorem expetunt indaginem. Nouus ille carcer is non erat, qui necem incauto serpenti valeret inferre. Vixit namque compar huic bestia intra marmoris septa, quod annotauimus superiùs. Præter id, quod lentâ morte contabuisset: tabescentium verò corpora, dum exiccantur, longè minorem in dies occupant molem, quàm tamen hucusque seruauit Lapideus Serpens minimè labefactatam. Præterea vnde tanta accessit siccitas? Si frigiditatem causeris, necnon expressi humidi exilium; In primis, malè cõsuluisse dicent Naturam Animalium indemnitati. Insuper, non eam esse vim frigoris, nisi conglaciet; huius .n. partes sunt infrigidare, vt caloris calefacere. Adde, quòd dissilit terra humore orbata, non coagulatur: verùm si frigus ministrauit coagulum, magis illud contingere deberet in terræ superficie, vbi sæuit Bruma; quàm in recessu tepido, præ Ignis Subterranei perpetuo contubernio. In prõptu quinetiam est coniectura eruta ex Peripati promo: quandoquidem edicit Philosophus concretum à frigore liquari calore, secùs verò contingit nostris Lapidibus. At si fiduciaria opera illud admiserint in gleba, negabunt idem contingere in Serpente: siquidem rigent primùm animalium corpora frigore enecta, deinde putrescunt, soluiturq; tandem illorum compages. Sciscitabuntur postremo loco, quis nouam inanimi misto conciliet formam, eamque perennaturam? quum inepta sit priuatiua causa (humidi scilicet absentia) positiuo effectui producendo; destruat frigus, non construat, vel generet; quin mistioni cuicunq; aduersetur iniectis compedibus, præuiâq; denegatâ miscibilibus luctâ.

In Meteoris.

His

His turbis ſedandis, opportunus adeſt Georgius Agricola ſuo cum *Succo Lapideſcente*, vt dicebamus. Sed nimis vagum inducit Caduceatorem, dubiumque, forſan, atque ſuſpectum. Defluum hunc humorem concreſcere obſeruo; trahat ne verò ſecum parem in ſortẽ corpora, quibus adhæret, concreſcatne medullitùs, nondum aſſequor: neq; iniuriâ controuerſor, tum ob ſubſtantiæ modum, tum etiam, quoniam ignoro, cuias ſit, quibus ve parentibus oriundus. Quapropter dum noua indagine arduæ mutationis expiſcor promotorem, digito ferè indicat artificioſa coniectura tenuem Subſtantiam, actu fluidam, potentiâ coagulatam, vimq; coagulandi, & Lapidis formam inducendi poſſidentem. Tenuis eſſe debet, quô penetret. Fluida, vt abſorbeatur à ſicco corpore; hinc abſumpto humore concreſcens, hæret, & angit quoquo versùs, donec peregrina in materia ſimilem ſibi formam impreſſerit.

Propria opinio.

Quæ conditiones, ni fallor, nonniſi reſoluto Lapidum Sali congruunt. Nôſti germanum Coagulationis principium, Hermeticis eſſe Sal: At Lapides impensè coagulata ſunt corpora, quid ni poſſidebunt igitur proprium Sal? Prodit hic frequenter noſtrum in conſpectum, velutque lanugine obducit ſaxorum ſuperficiem. Quin ignibus inuictus, poſtque ſaxi fata ſuperſtes, fluitat in extincta calce; miramq; vim coagulandi, ni tempore diſſipetur, huic conciliat. Salem fixum, penè, continent duriores lapides, illumq; copioſum, volatilem reliqui; quô fit, vt minùs perennet, laxiorq; hinc euadat ſtructura. Secùs contingit, ſi Fixus Calcis Sal cõgeneri Lapideo iungatur: eos enim ſubſequitur firmus adeò nexus tempore procedente, vt ſe auelli vix permittant.

Vagatur tamen nonnunquam Sal noſter Lapideus trans proprios lares humoris illicio, breuiq; ſe recolligens, abigit infidum ſuaſorem. Haud ſecùs fit, ſi comites ſubeant aliena corpora: Nam priſtinis inſtauratis viribus, antiquo rerum naturalium priuilegio, obuia quæq; ſibi aſſimilat, ſpeciemque

Li-

Lapidis inducit. Non ignorauit hæc Poeta:

„ *Flumen habent Cicones, quod potum ſaxea reddit*
„ *Viſcera: quod tactis inducit marmora rebus.*

Eſt fons apud Ginetri Caſtrum ſexto lapide Viennâ ſemotum, qui à Culina ad Moletrinam deccurrit per ligneos canales, in quibus ſiquid imprimas, aut ſculpas, altero die lapidem inuenies cum impreſſa concretum effigie, vt nos ſubinde vidimus (inquit Hieronymus Montuus) cui obſeruationem non inuidemus, quum ſimile quid contingat ab Aquis Balnei D. Philippi in Agro Senenſi. His locis, habet Vitruuius, ſuccus ſubeſt coaguli naturæ ſimilis, deinde quum commiſta vis egreditur per fontes extra terram, à Solis & Aeris calore cogitur congelari. Equidem ſat appoſitè, parumq; abfuit, quin reſolutum ſalem nominaret. Iuge hoc lapidei Salis defluuium, ſolidum effecit Lapidem Martyris cadauer, è Cæmeterio Callixti nuper erutum. Maduit necnon tali perfuſa ſucco circumſtans noſtro Serpenti gleba, hoſpitiq; ſuo communicauit, hinc factum, vt obriguerint ambo, inq; Lapidem, metamorphoſi vix credendâ, conceſſerint.

De rebus nonnullis nouiter repertis.

NIl nouum ſub Sole, Sacro Sapientiæ Cultori dicebat Antyllus, nil dictum, quod non dictum priùs, veriſſima Comici ſententia, longoq; æui decurſu comprobata, minùs tamen, quàm decet, perpenſa nonnemini. Malè audit Nouatoris nomen, amici, at noua qui cudunt, Plautino damnantur ſcommate. In Prol Caſinæ.

„ *Qui vtuntur vino vetere, ſapienteis puto,*
„ *Et qui lubenter veteres ſpectant fabulas.*
„ *Aequom'ſt placere ante veteres fabulas*
„ *Nam nunc nouæ quæ prodeunt comediæ,*
„ *Multò ſunt nequiores, quàm nummi noui.*

Quor-

Quorsùm hæc, dicebat Præmigenes? an non Artes fiunt per additamenta Principi Peripateticorum, ecquis mentis compos ſedulos auocabit Artifices à noua cultura? Viam ad mare qui neſcio, reponebat Antyllus, flumen ſequor, ſi quid noui aſſequor, mihi tantùm nouum reputo, neque pro nouo licitatoribus diuendo, verùm illorum arbitrio mercem expono, viderint ipſi. Memoriâ recolo, ſtudioſum quemdam in Piſano Lycęo Naturali ſcientię addictum, dubitâſſe quandoque, quomodo Sol à nobis recedens corruptionum auctor eſſet, Ariſtotelis obſeruatu. Nebulam diſcutere tentabant commilitones, cauſati frigiditatem, quam ille tamen excludebat ſimili ratiocinio. Effectus poſitiui cauſa debet eſſe poſitiua, non priuatiua: at frigiditas, effectùs eſt poſitiuus: cauſam proinde habere debet poſitiuam, non priuatiuam, qualis eſt Solis abſentia, ſeu elongatio. Negocium faceſſiuit plurimis hæc difficultas, liſque erat ſub iudice, quũ D. Thommaſius Cortonenſis, Ordinarius Philoſophus, ſtatâ die, Doctores, agmenque ſtudioſorum inuitat, vt nouas, arduaſque quæſtiones enodandas ſuâ præſentiâ honeſtent. Conuenimus cateruatim, quum ille è ſuggeſtu magno verborum apparatu in ſcænam inducit dubitationes tres, quarum prima in ordine prænarrata erat. Fit rumor à conſcijs, hæſitat homo, vixque penſum abſoluit. Sciſcitatur interim, poſtquam è ſuggeſtu deſcendit, turbellæ cauſam, quam, vt nouit, nihil ſe mirari dicebat, nam medio poſuit Deus omnia campo, & verè cuncta proſtant, quandoquidem M. Albertus in Meteoris & Ant. Zimara eodem vſus fuerit olim ratiocinij modo; quos Auctores tamen, vt credere par eſt, neque ſtudioſus, neque Profeſſor adhuc ſalutauerant, multòque minus à noſtro Tyrone, Veteranus ille mutuauerat arma. Viden, quàm cautè exponenda merces? Euinces, triumphabiſque forſan, me non reluctante, aiebat Præmigenes, de nudis Intellectûs operationibus: quandoquidem obuia vnicuique noſtrûm, ne dicam, inſita ſunt principia de-

demonſtrationum, quæ iungere,aut connectere plures eidem ſpeculationi intentos, quid prohibet, aut vetat? Quapropter ſobrios nos eſſe oportet in hac parte,minùſq; procaces.Quod pręſtare obſeruo paſſim cordatos viros,quibus illud frequens in ore, nemo hucuſque, quod viderim, aut mihi occurrerit, hanc inſtitit viam. Vtinam pari Philoſophicâ modeſtiâ, nuperi vterentur ſcriptores, inquit Antyllus, præſertim in re lubrica, ſæpè verò nullius certitudinis, in qua plus errat, qui plura adducit: non enim immutat res obuias Intellectus noſter, ſed conſiderat, raròque aſſequitur. Patulum vbiq; ſemper fuit Naturæ volumen (vt dicebamus,) quo excitati mortales nullum non mouerunt lapidem, quô illius arcana penetrarent. Quis credet cordatum Virum totam impendiſſe ætatem in Apum conſideratione? Inſenuit Abderita Democritus rebus Anatomicis tractandis, tantâque obſtinatione animalium quorumcunq; viſcera ſcrutabatur, vt amentiæ ſuſpicionem non effugeret apud conciues. Periêre temporis iniuriâ laborioſiſſima aduerſaria: quæ ſi præ manibus eſſent, teſtarentur exulâſſe tunc philautiam, præſide ſapientiæ amore. Illud certum, quod Galenus Pergamenus,gloriæ alioquin auidiſſimus, nunquam ſua inuenta iactârit aureis in libris *de Vſu Partium.* Quorum tamen lectioni minùs attentus I. Caſſerius, dum nouos muſculos auris introducere conatur, non animaduertit notos olim hos fuiſſe Galeno, qui diſertis hæc protulit verbis. L. 16. de V.P.c.6. *Porrò quemadmodum delineamenta quædam muſculorum ipſis* (hominis ſcilicet, & Simiæ) *ſunt circùm aures, ſic & nerui minimi ad hunc locum veniunt: in ÿs verò, quæ mobiles valde, ac magnas habent aures, quemadmodum in orbem auris multis muſculis eſt redimita, ita & nerui magni.* Vetus eſt, Lactea dari Vaſa, & Lac, imo in ventre anadoſi alimenti deſtinari. Quid refert, ſi Rhaſis ſuperſtitioſè abſtineat, vetetque dicere venas? Iam Hipp. ſentes complanauerat *lib. de Natura hominis*, effatus, *quod ſunt ex ventriculo venæ per corpus multæ, & omnigenæ per*

quas

quas corpori alimentum accedit. Hæc memoriter repetebat quinetiam in *lib. de Ossium natura*. Fonti assimilabat Plato in Timæo animalis ventriculum, cuius liquor deriuetur per ve-
4. De Part. An. c. 4. nas in corpus vniuersum. Placuit Aristoteli propiùs insistere metaphoræ, ductusq; illos radicibus comparare, è ventre, velut ex terra, alimentum exugentibus. Neque est, cur quis suc censeat Erasistrato, palmamue illi præripiat, causatus incongruam nomenclaturam: satis, enim, constat obuios illi quandoq; fuisse canales Lacteo humore refertos: quos vbi vacuos obseruauit, consona sibi doctrina arterias nuncupauit impunè: quas aeri tantùm patulas, dum valet animal, vt irruenti
De Anat. admini-str. c. vlt. sanguini, si ægrotaturum, Auctor ille censebat. Benè est, quòd Galenus ex composito in hominem irruat; fatebitur (credo) nihilominus quæ faciunt nostram in causam. *Initio autẽ, aiunt, simul ac mesenterium denudatum fuerit, arterias aeri similes apparere, postea lacte repletas conspici. Si igitur aeris specie occurrunt, tibi considerandum relinquatur: etsi multi de ea re in vtranque partem frustra contendant. Quod autem eas lacte repleri dicitur, in hoc enim falsitas sermonis continetur vt dictum est, licet quoq; experiare in omnibus animantibus, nedum hædis, non modò lactè ventriculum repletum esse, sed quâlibet humiditate: neque, enim, si lac, ideo statim transmittitur; verùm propter humiditatem facile oris arteriarum ad ventriculum pertinentium incidit: quia verò euacuatum subsequitur, vt ille ait, protinùs attrahitur: quapropter quanto humiditas lactè sit tenuior, tantò promptius resumetur. Verùm, vt retuli, ne in vno quidem vnquam vidimus ipsum resumi, neque alius quispiam visurus est; si experimentum eius facere*
Lib. an sang. c. 5. *statuerit*. Euidenter constare lib. quos Erasistratus de dissectionibus composuit. *Nam si ventrem imum, & interiorem membranam diuiserimus, arterias in mesenterio planè conspiciemus, in hædis quidem nuper natis lactè refertas, in adultis autem animalibus alterius rei plenas: spiritum autem solum nunquam illas continere viderunt, sicuti nec vllam aliam arteriam, cum nu-*

data

data fuerit. Et venas igitur, & Lacte infarctas nouit certè Antiquitas. Sua tamen ſtat Aſellio laus, qui hanc nactus Spartam, pro viribus, exornauit, licèt plurima ſuperſint adhuc indaganda, vel ipſo Auctore non diffitente. Pari inſuper ſagacitate humorum reciprocationem aſſequutus olim fuerat Inclytus Stagirita, remque enucleauerat in *Paruis Naturalibus*, peculiares dum obſeruat ſanguinis lationes. De Somno quidem hæc habet. *Sed vt diximus, non eſt Somnus impotentia qualibet ipſius ſenſitiui, ſed ex euaporatione circa alimentum paſſio fit hæc! neceſſe enim quod euaporat aliquo vſque impelli, deinde conuerti, & permutari, ſicut Euripum; calidum enim cuiuſque animalium ad ſuperiora natum eſt ferri, cùm autem in ſuperioribus locis fuerit, confertim iterum reuertitur, ferturq́; deorsùm.* Quid valeat prædicata euaporatio, docuerat ille ſuperiùs: *Forinſecùs quidem alimenti ingredientis in ſuſceptiua loca fit euaporatio ad venas, ibi verò permutatum in ſanguinem vertitur, & vadit ad principium.* Expergefactionis tandem annectit cauſam. *Quia verò fit maximè ſanguis poſt nutrimenti oblationem indiſcretus, ſomnus fit, quoad ſecernatur, ſanguinis quod quidem puriſſimum ſursùm, quòd verò turbidiſſimum, deorſum: cum autem hoc acciderit, expergiſcuntur abſoluta ab alimenti grauitate.* Quid valeat caloris refluxus in Somnijs, & ſanguinis ſedatio, atque ſecretio, graphicè delineat propria in tractatione. Omnium primus Hipp. Medicinæ Parens, rem euidentiſſimè delineauit in lib. de oſſium Natura, habet verò. *Venæ per corpus diffuſæ, ſpiritum, & fluxum, ac motum exhibent, ac ab vna multæ germinantes. Atq́; hæc vna vnde oriatur, & vbi deſinat, non ſcio. Circulo enim facto principium nō inuenitur.* Quapropter eſt, vt gratuler amiciſſimo Guglielmo Harueio illuſtrem adepto Patronum pro ſua *ſanguinis Circulatione*; quanquam non dubito eandem fouiſſe ſententiam & Eraſiſtratum. Diſrumpi nanq; temporis progreſſu neceſſe fuerit arterias, ſi præ nouo affluente ſanguine dilatabantur, niſi diuerticulum excogitâſſet Natura. Neque

Galenus sententiæ huic alioquin infensus, ac Erasistrato hostis iuratus, negare valuit, autopsiâ monente, venarum contubernium cum arterijs mutua per oscilla, quibus & posteri subscripsêre. Sublimiùs profectò euexit se Andreas Cæsalpinus, Nobilis Peripateticus, & Medicus insignis, dum problemati respondet, propter quid ex vinculo intumescunt venæ vltra locum apprehensum, non citra? Lucem interim laudato Præceptori concilia, atque infit: *Pro cuius loci explicatione illud sciendum est: cordis meatus ita à Natura paratos esse, vt ex vena caua intromissio fiat in Cordis ventriculum dextrum, vnde patet exitus in pulmonem; Ex pulmone præterea alium ingressum esse in cordis ventriculum sinistrum, ex quo tandem patet exitus in arteriam Aortam, membranis quibusdam ad ostia vasorum appositis, vt impediant retrocessum: sic enim perpetuus quidam motus est ex vena caua per cor, & pulmones in arteriam Aortam: vt in quæstionibus Peripateticis explicauimus. Cum autem in vigilia motus caloris natiui fiat extra, scilicet ad sensoria: in somno autem intra, scilicet ad cor: putandum est in vigilia multum spiritûs, & sanguinis ferri ad arterias, inde enim in neruos est iter. In somno autem eundem calorem per venas reuerti ad cor, non per arterias: ingressus enim naturalis per venam cauam datur in cor, nō per arteriam. Indicio sunt pulsus, qui expergiscentibus fiunt magni, vehementes, celeres, & crebri cum quadam vibratione: in Somno autem parui, languidi tardi, & rari, 3. de caus. puls. 9. & 10. Nam in somno calor natiuus minùs vergit in arterias: in easdem erumpit vehemētiùs, cùm expergiscantur. Venæ autem contrario modo se habent? nam in Somno fiunt tumidiores, in vigilia exiliores, vt patet intuenti eas, quæ in manu sunt. Transit enim in Somno calor natiuus ex arterijs in venas per osculorum communionem, quam Anastomosin vocant, & indè ad cor. Vt autem sanguinis exundatio ad superiora, & retrocessus ad inferiora, instar Euripi, manifesta est in Somno & vigilia, sic non obscurus est huiusmodi motus, in quacunque corporis parte vinculum adhibeatur, aut aliâ ratione occludantur*

tur

tur venæ. Cùm enim tollitur permeatio, intumeſcunt riuuli, quâ parte fluere ſolent. Fortè recurrit eo tempore ſanguis ad principium, ne interceptus extinguatur. Inſignia ſunt quæ habet in *Quæſtionibus Peripateticis,* ſeligam ex ijs nonnulla, ne tędio vos conficiam. *Motus igitur continuus à corde in omnes corporis partes agitur, quia continua eſt ſpiritûs generatio, qui ſuâ amplificatione diffundi celerrimè in omnes partes aptus eſt, ſimul autem alimentum nutritiuum fert, & auctiuum ex venis elicit per oſculorum communionem, quam Græci Anaſtomoſin vocant.* Hanc extulerat nec non præcedenti quæſtione. *Non ſufficit autem arterias ſolùm, vt Galenus aliquando expertus eſt, ſine noxa in collo conſtringere, nam ex venis in eadem loca transfertur virtus à corde, cùm oſculorum ſit communio, non ſolùm in corde, ſed etiam per totum venarum, atque arteriarum ductum.* Apertiſſimè tandem ſanguinis reciprocationem induxit, talia fatus. *Huic ſanguinis Circulationi ex dextro cordis ventriculo per pulmones in ſiniſtrum eiuſdem ventriculum optimè reſpondent ea, quæ ex diſſectione apparent.* Non eſſe inconueniens, aſſerebat Præmigenes, Ariſtotele monitore, eaſdem opiniones ſæpè ad nos reuerti. Aſſentiebatur Antyllus, verùm illud reponebat, indignum ſibi videri antiquatas pro recentibus efferre: cui tamen vitio minimè obnoxius erat Harueius, modeſtiſſimus homo, nulloque ambitionis æſtro percitus, verùm vnico Artis amore concitus, cuius ſuaſu vltra proprias vires, medios inter tumultus, fortunæque ludibria, nunquam lucubrare deſinit digniſſima cedro. Verùm *de Sanguinis Circulatione* iam ſatis. Innotuit præterea noſtro ſęculo Tubus opticus, cuius miniſterio humana acies Lynceam tranſgreditur. Inuenti gloriam varij ſibi arrogant. Præferunt nonnulli Batauum Artificem, plurimi ciuem noſtrũ Galileum; his, me indice, amæniſſimum I. Baptiſtæ Portæ ingenium præripuit palmam. Verborum inuolucro velauit in ſua *Magia Naturali* organum mirabile, cuius conficiendi deſiderio multùm, diùq; flagrauit amicus noſter,

L.5.Q.4.

Mag. Nat.l.17. c.21.

ſter, ſimul & cum Vincentio Fratre, tunc viuente; parùmque abfuit, quin ambo voti fierent compotes. Verùm artificum inopiâ ſuperſedere coacti, vix triennio elapſo, prodijt Mundi in Scænam, Teleſcopij nomenclatura ab Illuſtriſſimo P. Cæſio honeſtatum. Quanquam, vt liberè fatear, cultiori vſum fuiſſe I. Cæſarem non dubito, priùſquàm è Gallia in Angliam tranſfretaret. Hanc verò nonniſi conſpectam, probèque ante examinatam, congruo nequibat aggredi militari apparatu. Cælum conſcendunt alij, Teleſcopio promotore, perque vaſtiſſimum æthera conſpicantur vagantia ſydera, lacuſtriũ piſcium ad inſtar. Quæ ſedulitas noua non eſt, ſed placuit olim Naturæ ſcrutatoribus, teſte Plutarcho, atque Laertio. Solem ſtare, circumuolui terram Pythagoricum delirium fuit, cui labanti manus dedere Copernicus, & Recentiores alij, malo cum ſuo: Quanquam egregius ille Mathematicus Tycho Brahe in frontiſpicio poſthumæ tractationis *de motu Planetarum*, delineatũ ſyſtema in fornice Aſtrologici ædificij digito dum indicat, modeſtiſſimè enunciat QVID SI SIC.

Sitne Motus cauſa caloris?

QVid olidam recoquimus Crambem? indignabundus dicebat Præmigenes: an non ſatis ſuperque exagitata res fuit ſuperiori ſæculo, euictumque experimentis, quod denuò reuocatur ad incudem? Valeat Ariſtotelis teſtimonium 2. Cæli tex. 42. nempè, quòd *motus aptus eſt naturâ ignire ligna, lapides, & ferrum:* nonne quilibet noſtrûm rem experiri millies per ocium potuit, expertuſq; noctu vel qualibet fuit, ſcintillare percuſſam ſilicem; ne quid dicam de mæchanicis inſtrumentis, vel fortuitâ, vehementique ramorum ad inuicem percuſſione ventis ſollicitantibus, quorum impetu integras in Pannoniâ exarſiſſe quandoque ſyluas, narrant curioſi, ſuauiterq; noſter modulatus eſt Lucretius. Compeſcuit

ſcuit hominem Antyllus, productâ Apologiâ quâdam Nobilis Profeſſoris, haud pridem editâ, in qua diſputatur acerrimè, ne dicam impugnatur motûs iuriſdictio: ita vt è pacifica poſſeſſione generandi calorem penè deturbetur. Æquum proinde duxerim (dicebat ille,) Recentis Athletæ nouos expendere conatus. Placuit omnibus; dumque percurritur protelata Digreſſio, obſeruamus controuertere hominem mutuam elementorum generationẽ, ignorare ſolitarias qualitates, præſertimque calorem, ac proinde in quæſtionem ſe non reuocare, *An corpora ignea attrittione, ſiue concuſſione è materijs exilian:, ſed an ignis, qui non aderat, ab ipſo motu producatur?* Primum dicit ſe facilè concedere, alterum limitat, negatque, *ſi per ſe illud eueniat*; non dubitat, *ſi per accidens*. Et verò Ariſtoteli conſentaneum viſum fuit, motum ex propria indolè, ſeu *natura* (vt fatur) afficere ſolida, & *ignire* tandem, quod maius eſt, *per ſe* igitur abſoluet illud. Quanquam non ſum neſcius, dicebat Antyllus, vocis ſub inuolucro, latere ambiguitatem, fauentem prurientibus ingenijs. Motum gignere calorem non ambigitur, præſtet ne opus mediatè, an immediatè, hoc eſt quod cadit ſub quæſtionem. Poſtremum non ſuccedere vltrò fatentur Stagiritæ fautores, moniti interceſſiſſe attritionem. Lis igitur erit de nomine. Quod, enim, hi per *aliud* motui tribuunt, dicis tu fieri *per accidens*. At ſi Leguleio iudicium demandetur, enunciabit, ni fallor: *Qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur*. Mittamus ludrica, ſeria nanque nos manent. Vt video, contrahitur controuerſia ad mixta inanima: fruſtra, enim, à ſimplicibus exilientem attenderes ignem, vbi vel nullus ignis, vel totus ignis. Procedamus vlteriùs. Attrito corpore præ motu, ignem actutùm gigni prædicant Peripati fautores: excuti aſſeris tu priſcâ credulitate perſuaſus. Coges vel inuitos Peripateticos fateri ſubeſſe ignem quolibet in mixto, ſi elementa ſingula contulere ſymbolum huius in generationem. Maneant ne hæc illæſa, viribuſque tantùm

refractis, an verò degenerauerint in nouam formam, superstitibus illorum seminarijs, me iudice, diuturniori eget discussione, quàm quòd præstet obiecta modò singularis concussio. Benè est, quòd illi cautè satis, pro more, vim tribuant lationi ignem producendi, quantùm enim, video, propinquitas non controuertitur, velocitati quisq; subscribit, haud expers tamen est soliditas censuræ, malèq; aeri aptatur. Vagum nimis est effatum, ignem à motu gigni; præter enim attritionem illam nuper commemoratam, suæ debentur partes genito inde calori, cuius energia promouetur materia. *Ignire* motum, dicebat Philosophus, solida corpora, curam relinquens posteris causarum seriem accuratè distinguendi, quam tamen non dubito minùs arridere nostro Antagonistæ, renuncianti qualitatibus, & generationi nouæ cuicunque. At neq; in Democriti schola, vel Epicuri Hortis controuersa sunt illa, si rectè attēdat recens assecla. Qualitatibus fauet mysta Lucretius.

„ *Nam quæcunque obeunt, aut his coniuncta duabus*
„ *Rebus ea inuenies, aut horum Euenta videbis:*

Quæ scilicet alia nuncupatione accidentis separabilis, vel inseparabilis insignit Dialecticus. Postremum hoc vide suis depictum coloribus.

„ *Coniunctum est id, quod nunquam sine perniciali*
„ *Dissidio potis est seiungi, seque gregari*
„ *Pondus, vti saxis, calor ignibus &c.*

Separabile accidens, *Euentûs* sub nomenclaturâ describit, modo non dissimili à Porphiriano

cætera quorum
Aduentu manet incolumis natura, abituque
hæc soliti sumus, vt par est, Euenta vocare

Haud patitur idem Auctor nouæ generationi ius adimi: præter enim ea, quæ passim alibi tradidit, hæsitationem omnem tollit modò

Præterea, cunctas itidem res vertere se se.
Vertunt se fluuij in frondeis: & pabula læta

Ex

In pecudes: vertunt pecudes in corpora nostra
Naturam: & nostro de corpore sæpe ferarum
Augescunt vires, & corpora pennipotentum.
Ergo omneis natura cibos in corpora viua
Vertit: & hinc sensus animantum procreat omnis:
Non aliâ longè ratione, atque arida ligna
Explicat in flammas; & in igneis omnia versat.

Cedunt mixta, vt audis, in alia mixta, longâq; serie redeunt sua ad primordia. An putas minùs valere simplicia corpora pugnacissimis qualitatibus ornata, cælique vicissitudine fota, quàm refractas illas, dubiasque facultates in materiæ sinu delitescentes? Hæc pro qualitatibus, & noua rerum generatione, in via etiam Democriti, quandoquidem Academicis, & Peripateticis ridicula sit talis hæsitantia. Congredior modò, atque progredior. Ratum est aliquid de nouo accidere concluso dudum igni, nuperq; è silice excusso. Vrit scintilla manum, accendit fungum, illuminat tenebricosum conclaue, qui lapis tactu frigidissimus aspectu, opacus diù, multùmq; inter escam, & sulphur innoxius hospes placidè cubauit. Quis lucem actutùm communicauit? nam ignis, vt nôstis, per se non lucet, verùm alienam materiam dum depascitur. Recides igitur inuitus nouam in generationem. Quæ verò sit, qualisuè noua illa materia conflagrans, Aer ne attenuatus, an aliud corpus, differo ad tempus. Non minores patitur difficultates emicans scintilla ex algido parente. Do tibi *Ignis* primordia, illiusque *Subterranei*, quorsùm enim sublunaris descenderet, quove illicio statæ renunciâsset propensioni? Verùm potuit, velut & aqua, partim euanescere, iam peracto negocio, præsertim cùm sola illius facultas vicariam præstare valuerit operam. At superstes sit Ignis in silice, minimus certè ille erit, qui neque sensum mouet, neque fomitem contiguum adoritur. Vicimus, inclamas tu, siquidem ignem latitare, quantumuis exiguum, euicimus. Ades dum, mi homo, paucis te volo.

Obſeruâſtine vniuerſum ſilicē reſolui in ſcintillulas eiuſdem prorsùs cum prioribus naturæ, neq; percuſſum denuò has iaculari deſinere, donec ſui mica ſuperſit? Maxima igitur latitabat frigidiſſimo ſub lapide ignis portio, quin merus erat ignis, ſi quantus quantus eſt in ignem concedit. Fugæ locum tibi præcluſiſti, deſpectâ nouâ generatione, ſenſuum criterio vrgeris, vndique damnaris miſer. I nunc, & cane poſt victoriam triumphũ. Supereſt vt percunctanti ſatisfaciamus. Quærit primùm, cur toti aeri turbine vexato igneſcere non ſuccedit, quod ſuperiori illius parti contingit, rapido citæ orbium motu? Reſpondeo imparem longe eſſe velocitatem: quapropter motus ille perflat, non atterit. Secundò. Cur ſi ſolius motus ea vis eſt, quid ni procelloſi maris vndę etiam hyeme incaleſcunt? Recurrit eadem reſponſio: quanquam non ignoro, ex aliorum obſeruatione, & dulceſcere in procellis marinas aquas, & tepeſcere nonnunquam. Tertiò. Quid ni frementibus ventis niues in montium verticibus liqueſcunt? Quinimò flante Auſtro, vel ipſa grando in aquam diſſoluitur. Reliquorum impetus ventorum imbecillis eſt, & inefficax propter interpolationem. Quartò. Si verum eſt, inquit Cardanus, l.2. de Elem. Aerem ex lapidis attritu accendi, quid ni pariter ex omnibus lapidibus, præſertim duris, ignis producitur? Et produci vel ex ipſamet Chryſtallo foſſili experimentum confirmat. Quintò. At verò ex colliſione marmorum ignis nullus accenditur, immò ne Porphyritidis quidem. In vniuerſum vera non ſunt quæ aſſumuntur. Contingit verò quandoque, vt effectus non ſequatur, vitio externi agentis, aut internæ cauſæ, vel lateat, quandoque, neglectis debitis circumſtantijs. Sensìm procedamus in re ſenſibus diiudicandâ, non arbitrio. Rem experiamur noctu, vel in tenebricoſo conclaui, ne lux diurna micantes faculas obruat, quæ vel ſyderum ſplendorem occultat. Validus, ſimultaneus incutiatur lapidi ictus à re duriſſima, micabit plus, minuſuè pro indole, & ap-

pa-

paratu materiæ, recepturæ nouam ignis ſpeciem. An non, dices tu, aer vbique in promptu ſemperque paratus? Fateor, ſed & illud inſuper, quod & proprium obibit munus rebus benè diſpoſitis, atq; obice omni remoto. Inſtabis rursùs, qui tantas difficultates nectam, ſi pati tantum, atque mutari debet aer, pauciora verò ad patiendum, quinimò pauciſſima requiruntur, præter non repugnantiam, atque propenſionem. Verùm ſat eſt apparatus, quandoquidem Aer modum nactus eſt ſubſtantiæ exactæ tenuitatis, ſymbolamque obtinuit caloris qualitatem. Hîc parùm ſubſiſte, meq; habebis & aſſentientem, & contradicentem. Subſcribo proprio aeris apparatui, refragor alieno. Quid igitur, dices tu, aer iſte attritus non eſt materia ignis? Forſan non eſt: quid tum? Corruent, ais, Sophorum placita cuncta, fruſtraq; in ſcænam frequentiſſimè in hac quæſtione introductus fuit aer. Hoc pernego, mi homo, Aer neceſſarius eſt in re præſenti, duplicemq; mihi agit perſonam, tibi nullam, vel vnicam. Eſt ſubiectum, vel materia, quæ excipit vim externi mouentis, cuius conatu, intenſâque operâ, intendetur nec non illius calor intra peripheriam, tamen, propriæ naturæ: quibus peractis euadit in efficiens; nactuſq; aptam materiam conflagrationi, excitat ignem. Materia verò hæc, ne vos diutiùs morer, ſulphur eſt, in Lapide à primordijs incluſum, aptiſſimum igni excipiendo, plus, minuſuè pro variâ coeuntium miſturâ, quæ illud occultant adeò nonnunquam, vt nonniſi Vulcano reſolutis partibus, vinculiſque ademptis, artificis in conſpectū ſe ſiſtat. Fidem excedit quod expertus fui quādoq;, tibiq; experiri facilè erit, neq; diſpendioſum. Eligas è lapidibus fluuialibus album, & pellucidum, hunc calcina probè in fornace calcaria abſque additamento. Farinam lapidis calcinati inijce ſuper candentes carbones, flagrabit, ſęuamq; ſulphuris exhalabit Mephitim. Experto crede, vel experiaris per ocium; quanquam manus noſtræ oculatæ ſunt, credunt quod vident. Conflagrat forſan

do-

domesticum reliquorum lapidum sulphur in fornace, verùm non ex toto absumitur. Indicio sit feruor ille calcis cuiusuis recentis ab aqua circumuentæ, qui nonnisi in superstite sulphure sedes figit, ditionemq; extendit, adeo vt proxima ligna, atque laquearia nonnunquam ignem conceperint. Mediam hanc, si sapitis, minimè recusabitis viam: nam & attritio, & aer amittuntur, igneum corpus inclusum promouetur, secùs si sentias, euidentiæ repugnabis, quod audîsti superiùs abundè. Hæc pro quinto quæsito. Succedit sextum in ordine. At verò in collisione marmorum ignis nullus accenditur, immò nec Porphyritidis quidem. Multa incircumspectione hæc proferuntur. Ne ve gratis me tibi opponere credas, prouoco te ad experimentum. Silice in silice percute in loco obscuro, micabunt pallidæ scintillæ, minimæ, tardigradæ, lapidis limen vix superantes. Sulphur domesticum silicum est, quod flagrat, plurimùm distans â chalybeo, quod obseruabis pari encheiriâ. Marmora quæ mollia, ictum haud sustinent, sed cedunt mox in granula, seu fragmenta facessunt, eaq; propter non scintillant. At quæ durâ sunt compage, reluctantur, ictaq; nonnunquam, & eludunt, quod facit Porphyrites, maximo statuarij tædio, cui necesse est varias tentare scalpri temperaturas, quô lapidis duritiem superet, secùs perit tempus, & ferrum. Micant interim paruæ flammulæ, te non animaduertente, aut quod suspicor, rem tuo arbitrio moderante, neutiquam ad Lydium autopsiæ lapidem, quæ scribis, examinantem. Quæritur septimo loco, si aer in causa est, quid ni vertitur in flammã, quæ sursum ascendat, potius quàm in scintillas, quæ deorsum feruntur? At scintillæ euidenter susque deque feruntur: vide proinde quàm infelix sis in experimentis producendis. Verùm quid ad rem tuam conducit ista speculatio? An non aurum fulminans descendit, Marsque pari gressu? dubitas ne ambo hæc ignem concepisse? Flammam cur expectas incassum? Purus est aer ille, non fumosus: est verò flamma

fu-

fumus ardens. Præterea, ignis neque ardet, neque lucet, nisi in materia aliena, non in propria. Quamquam neque nobis incommodat proposita hæsitatio, qui credimus intendi tantùm aeris calorem, illumq; sulphureæ lapidis particulæ communicari; quæ tamen ob puritatem, nec non exiguitatem, sensibilem excitare flammam impotens est. Ridicula tandem est illa tua admiratio. Quin etiam mirum videtur aerem totum non accendi, semel accenso fomite, si ita aptus sit, qui in flammam transeat, quemadmodum alijs combustibilibus cõtingit, quorum aliquâ accensâ parte, integra continuò strues comburitur; Verùm neque aptum dicent aerem, neque proximè dispositum ignitioni, qui solo aeri fauent. Nos verò, qui sulphuream agnoscimus proximam mutationis materiam, minimè veremur ab vniuersali conflagratione. Quandoquidem non omne Sulphur concipit ignem, neque, si concipiat, præstat id actutùm, sed pedetentim. Dispersæ præterea sunt micæ illæ Sulphuris in silice, non simul compactæ, quod commissis inter se lapidibus, ictisque concinnè, obseruabis per ocium. Plures mediant, ac intercedunt portiones materiæ, penitùs incombustibilis, quæ simultaneo feruori reluctantur. Et quod caput est, excutitur *atroos* accensa Sulphuris portio, seceditque priùs quàm congeneres sulphuris portiones affici queant. Præripit fuga igitur conflagrationis discrimen. Quid sibi velit homo postrema in hæsitantia, vt liberè fatear, penitùs ignoro: habet verò. Addo, eâdem ratione adstrui posse herbas virides contritas, manuque compressas humorem nullum de se effundere, sed ab aere intermedio humiditatem illam profluere. Nemo, credo, hæc somniauit, aut vigilans, sobriusq; patietur suaderi parem sibi militare *rationem* Ingeminat rationes, vultq; illas ex rei natura petitas, pro mutua elemẽtorum transmutatione, reijcit quæ circumferũtur, velut ignobiles, atque falsas. Verùm oportebat veritatis amatorem alio è promptuario sibi parare viaticum. An nescis.

à sen-

Lucr. [illegible] *à sensibus esse creatam*

Notitiam veri, neque sensus posse refelli

Quis hominem, licèt anxiè petentem, erudiet? hominem, inquam, cæcutientem ignis ad conspectum, stupidum ad contactum? Habeat proindè sibi res suas.

De Caldæ vsu apud Antiquos.

INscitiam dicebat Plautus malè mereri de immerente, & verè inscitia est, quæ seducit posteros, vt palantes quascunque chartas, non improbi alioquin Auctoris, typis dent, sat rati, si proprium nomen, alioquin obscurum, ambitiosè inserant, officij sub prætextu, emendicato interim Mæcenate, quem affabrè delineant. Hinc extenuatur denati existimatio, educta in cōspectum culpabili merce, quam ille nonum pressam in annum, comptamque tandem in scænam litterariam maturè produxisset. Accedit præterea, quòd Auditorum in gratiam sæpiùs illa notentur, quorum captui se accomodare, ex iniuncto sibi officio, tenetur is, qui è suggestu dictat. Quapropter inscitè facit hæres ille, seu fautor, malèque meretur de homine immerente, si quando pedanea, vel abortiua, proprij commodi in gratiam, euulget. Quorsùm hæc proloqueretur Antiphanes, ignorabamus; rogatus tandem significabat nobis, non ita pridem incidisse in tractatiunculam, quæ fortuitum nostrum pensum malè absoluebat. Dum enim gloriolam ex alieni nominis iacturâ aucupatur, fugiunt illum, quæ Clarissimi Viri pridem consignauerant litterarum monumen-

Var.Lect. c.8. tis. Hyer. Mercurialis nouit caldæ vsum in Antiquorum Conuiuijs, monitus à Satyrographo,

Iuuenal. sat. „ *Quando vocatus adest caldæ, gelidæque minister.*

Controuertit tamen calida ne fuerit Aqua illa spontè suâ, an alienâ? quod non vnicâ ratione refutat. Primùmque, ex aquæ calefactæ insuaui sapore, qui stomachū subuertit, vtpotè

præter

præter naturam. Argumento nobis ſunt bruta, quæ illius ductu frigidam proſequuntur, Plinij obſeruatu, at neque ipſe, neque Galenus, vllam huiuſce potionis, niſi in ægrotis, mentionem fecerunt. Tale genus Caldæ, tempore Martialis fuiſſe in vſu teſtatur ipſe.

„ *Iam defeciſſet portantes Calda miniſtros,*
„ *Si non potares Ceciliane merum.* &
„ *Frigida non deſit, non deerit Calda petenti*
„ *Sed tu moroſâ ludere parce ſiti.*

Quæ carmina, licèt credat nouus Auctor ad confirmādam propriam Mercurialis ſententiam nihil facere; ſi tamen proximè ſequentia illius verba attentè obſeruâſſet, argumentum ſat firmum ex aquæ copiâ, & vtilitate deduci deprehendiſſet in dictorum confirmationem. Et quæ erat hominis lenitas, permittit contradicenti, expetitam fuiſſe ſaltem à Conuiuio à Valetudinarijs, vel ingluuioſis ad vomitum prouocandum. Non diſplicent hæc Nouo Cenſori: duo verò, quæ de ſuo annectit, nemini perplacent. Alterum eſt; conuiuas cautiores caldâ, fugiſſe intenſum Aquæ frigus, ne viſceribus parùm firmis noceret: alterum huic è diametro oppoſitum, pro calida tepidam non poſſe intelligi: multum, enim, differt, inquit, calidum quis, an tepidum bibat. Si viueret, interrogarem, qui gradus reſultet ex mixtione feruefactæ aquæ cum niuata? At dubio procul volens nolens in teporem incideret. Monebat interim Antyllus ſubeſſe vocum ambiguitatem: preſſe nanq; ſi loquamur, tepens eſt Aqua, ignem, aut ſolem experta, vel quæ calidæ miſcella temperatur. Noſtri verò frigidam dicunt, vel arte refrigeratam, vel recens hauſtam; calidam, his auxiliaribus deſtitutam. Quæ phraſis Mercurialis ſententiam confirmat: Vt vt ſit, dicebat Antiphanes, manium pace, caldæ vſum Antiquitùs, incurioſè inueſtigauit vterque. Publica Romæ proſtabant Thermopolia, vberrimos fundentia latices: deſtinabantur Serui; ſtatuta erat pæna cunctantibus; Quid igi-

igitur? Vrbs tota malè valebat, aut disrumpebantur crapulâ Conuiuæ omnes, conniuentibus Censoribus? Vino apprimè debebatur hic apparatus non temperando, quòd commodius frigida præstitisset, sed attenuando, & fusile reddendo, ita vt deposito, quod contraxerat, præ senio, crassamento, splendidum, sapidumque euaderet. Huic muneri inepta penitùs erat aqua glacialis: magis enim tunc obduruisset vinum, prisco frigidi priuilegio, & illibatũ diu sic perseuerâsset. Non vnicam crassitudinis assignant causam, sed multiplicem: primæ debentur longæuitati; insolationi deinde, contubernio ignis, vel fumi, quo Arcades olim Vinum spissabant intra Vtres, adeò vt rasile fieret, & Caprion propterea dicebatur, mutuatâ suo à promotore nomenclaturâ. Hanc vinis conciliabant spissitudinem prænarratæ causæ. *nam humor aqueus ab omnibus eiusmodi, dum in arescunt, exire solitus est*, monitore Aristotele. Durabant adhuc Vina *ducentis fere annis*, Plinij testimonio, *iam in speciem redacta mellis asperi: etenim hæc natura vinis*, inquit, *in vetustate est, nec potari per se queunt, nisi peruincat aqua.* Patiebantur hoc exotica, præsertim, vina, vel quæ ambitiosè reposita, in certam diem eruebantur è testis, hinc à Caldæ Ministro probè diluta, atque attenuata, consignabantur gelidæ Ministro, cuius erat munus peregrinam fugare qualitatem à Vino, Niue, & Glacie. Compendiò pensum absolui, maiori ocio elaborandum, fateor, sed pro re nata sat hæc futura existimaui, ne tædio vos conficiam, tempusq; irreuocabile pereat interim. Concludam tandem, si libet, cum Encomiaste Andreæ Baccij, in absolutissimo opere *de Naturali Vinorum Historia*.

Arist. 4. Meteor. Pli. l. 14. c. 4.

„ *Frigida non deerat, præerat sed calda bibenti*
„ *Languida quæ primùm soluentes vina calore*
„ *Mox eadem gelidâ miscerent nectara mensis.*

Cu-

Cur Glacies leuitet in Aqua.

EXercuit dudum præclara ingenia propoſita Quæſtio, plurimaque adduci vltrò, citròque audiuimus ſuperioribus annis, quæ ſi vobis nota ſunt, dicebat Præmigenes, non eſt cur ego in præſentiarum acta rurſus agam. Quin reaſſumenda, vt aiunt litigantes, lis eſt, non dum enim expirârunt fatalia, neq; pronunciatum eſt in cauſa. Quapropter compendiò, dicebat Eudemus, diſſidij originem enarra, repete altercationes, iuſque, ſi libet, dic tandem, aut transfer in longiſſimam diem. Vt par erat, obſequitur Præmigenes, narrabatq; ocioſum quorumdam Litteratorum cætum, æſtiuis horis dum meridiantur, nantem obſeruaſſe glaciem medijs in aquis, quum tamen glacies aqua ſit frigore vehementi denſata; ac proinde minori ſub mole par includens pondus. Quod argumentum, vt effugeret nouitatis quidam amator, ſatis inepte contendebat, glaciem eſſe aquam rarefactam, non denſatam, eaq; propter reliquæ ſupernatare aquæ. Pari inertia homuncio, qui nuper nomen Peripato dederat, figuræ euentum acceptum referebat. Fecit quod mendici, qui vno, eodemq; pallio æſtum arcent, & algorem. Turbatam ſibi ratus poſſeſſionem, qui primo loco dixerat (egregius nanque erat Mathematicus,) ius omne figuris denegabat immeritò: quapropter ventum eſt ad ſponſiones, & ſyngrapha. Pactus quidam eſt Antagoniſta, materiam ſe daturum in craſtinum, quæ præ varia figura & leuitaret, & grauitaret. Vt conuenêre ſtatâ horâ, producebat homo globulum ex ebeno, qui pelui aqua refertæ concreditus, fundum ſtatim petijt, lamina ex eodem ligno dextrè commiſſa, aquæ ſuperficiei ſupernatabat. Obſtupuit Mathemathicus, impræmeditato experimento perculſus, neve ſe victum fateretur nobili in congreſſu, reclamabat, obijciebatq; impar globi, & tabellæ pondus, irrito, & ridiculo conatu: neq;

enim

enim pacta illi fauebant, neque res. Quandoquidem & æquali vtriusque corporis constituto pondere, par consequuturus erat euentus. Interim distulit catus homo ruinam, & meliori consilio in posterùm ius figurarum impugnauit, planæq; præsertim, quam dicebat non per se causam esse supernatationis, verùm præ inclusi aeris cõtubernio redditam fuisse leuiorem, hincque tertium corpus ex ebeni lamina aquam deprimente, & aere intra nouos margines incluso, emergere tandem, mergi tamen nescium. Quibus euasiunculis restitutus apud popellum, ansam præbebat assentatoribus viritim conueniendi obuios quoscunque, vt mirabilis doctrinæ fierent compotes. Et memini occurrisse mihi negocioso balathronem quendam verbosissimum, qui aerem magneticum extollebat, nupero inuento laudati Proceris, cui turpiter parasitabatur. Et quoniam eodem pollebat mentis acumine, qua & modestâ, scripto dedi, quæ opposueram ex tempore aeri illi magnetico, & binas laminulas æreas signatas, demonstrationi nostræ necessarias transmisi, cui responsurum Auditorem quemdam turgidum Antesignani illius polliciti sunt, quod neque factum fuit, nec fiet, vt credo. Animaduertite quæsò, quàm deuiârant sagaces homines à proposito problemate: quapropter ne criminis eiusdem apud vos fiam reus, recitata iam historia, ex iniuncto mihi à vobis officio, contraham posthâc disputationem vniuersam, exhibitum modò ad Lemma, nempe *cur Glacies leuitet in Aqua*? Duoque breuiter præstabo: primùm quidem, dimicantium sententias ventilabo, quo præstito congruã eligam, forsanque, ab illis diuersam, vt quæsito satisfaciam. Quid valeant figuræ in latione, calluit probè Arist. & magna cautione litterarum monumentis olim consignauit. *Figuræ non sunt causæ simpliciter leuitatis, aut grauitatis, sed vt velociùs, vel tardiùs res ferantur*. Malè proinde hoc Præceptore vsus est tenuis ille Peripateticus, qui à *simpliciter*, *ad secundùm quid* incõsultò processit. Præter id, quòd nihil ad rhombum faceret

Lib. de Cæl.

re-

reſponſio. Glacies nanque, vel quacunq; ſub figura aquæ ſupernatat. Non mirum igitur, ſi inepta ſolutione plurimas excitârit homo ille difficiles tricas. Quantùm verò eſt de Glacie, plurima contingere illius in generatione non dubito, quæ non ſunt præſentis negocij. Illud ratum, nanciſci aquam glaciatam ſolidius corpus, molemque propriam contrahere, quæ ſoboles ſunt non rarefactionis, ſed certiſſimæ condenſationis. Cur verò noua moles lõge grauior maternâ aquâ, quod conſtat, ſi cubo, exempli gratia, menſuretur, ſupernatet aquæ nihilominus, reluctantibus Archimedis edictionibus, hoc opus, hic labor. Hanc igitur nactus, & veſtro iuſſu, exornaturus ſpartam, obſeruo liquores quoslibet, quanquam vniformes ad ſenſum videantur, plurimùm tamen diſtare illorum partes, non tam in probitate, quod videre eſt in vino, & melle, quàm & in ipſa partium tenuitate. Naturæ lege, quod grauius, imo conſidet vaſis in fundo, minùs graue medium occupat locum, quod leuiſſimum, manet in ſuperficie. Quam profecto œconomiam ſeruat & aqua, præcipuè quieſcens, neque à ventis agitata. Huius ſuperficiem glaciari nemo non obſeruat: quapropter ſua tuebitur iura poſt contractam glaciem. Vt enim ſupernatabat tunc congeneri aquæ, ſic facit & in præſens. Duo ſunt, dicebat Quintus, quæ faciunt, ne manus tibi liberè dem: Alterum, cur mergitur nihilominus magna ſui ex parte glacies? Alterum, cur ſupernatat vel aquæ cuilibet? par enim erat vt ei ſupernataret, vnde fuerat deſumpta; aliæ verò lymphæ neq; proprijs orbantur tenuibus portionibus, quas deprimere conſors Glacies non valebit? Egregiè noſtra controuertis, inquit Præmigenes, tua tamen, etſi ingenioſa, vnicâ reſponſione, tollam. Contractum pondus ex denſatione, cauſa eſt immerſionis, hæc verò inæqualis eſt pro natura ſubiecti liquoris. Vbi nanq; defæcatior eſt, plus immergitur Glacies, ſi lutulentior, ac proinde grauior, magis emergit.

Ignari ſtigma ritè ne inuratur aſſerenti, humores eſſe in alimentis?

PRæſtitiſſe hæc Pergamenum, dum in Eraſiſtratum effrænis inueheretur, nemo dubitabat. Quum enim Author ille duo ad coctionem abſoluendam in ventriculo deſiderari doceret, & ciborum attritionem quandam, & quod neceſſariò præcedit, arctam quamdam comprehenſionem eorundem, vt connatam ventriculi vim experiantur, in deteriorem partem illa traducens Galenus, non inſueto ſibi more damnabat hominis ſententiam, tanquam iam præfuiſſe in alimentis humores ſtatueret, nouoq; officio contundi, friari, & ſeparari ad inuicem tandem cenſuiſſet. Haud par eſt, dicebat Præmigenes, egregium virum in media Græcia, bonis florentibus Artibus, molæ Aſinariæ ſtomachi elaborationem comparâſſe, aut mortales tunc viuentes enormi paradoxo ſubſcripſiſſe, verùm admiratione proſequutos nobilem Artificem, nouo verborum ſub inuolucro functionem illam concinnè pandentem. Carpit quandoque Eraſiſtratum Galenus vtpote ex induſtria tenebricoſum, alibi profuſum damnat: quæ vitia è diametro ſibi opponuntur; ni loquutionis conſuetum tegmen indictum à M. Hippocrate, ſacra ſacris vix reuelanda permittente, hominem eximant a contradictione: hæc pro Eraſiſtrato. Succedit illius doctrina. Solida, quæ ingeruntur cibaria, attritionem à dentibus experiuntur, fitque in ore, vel Galeni conſenſu, neſcio quæ ſemicoctio, vlteriùs promouenda, quin abſoluenda in ventriculo. Qui tamen attritioni incumbere, nonniſi quadam ſub figura poſſe cenſebis, ſi memineris ordine dentium quocunque illum orbari, neque inciſorijs, neque molaribus vnquam fuiſſe inſtructum. Atterit nihilominus ſolida alimenta elixationis ope, inque homogeneam conſiſtentiam, Lactis ad inſtar, leuigat, abigitq; recrementa, præſertim vbi

Ven-

Ventriculus omni nixu amplectitur, arctèque circumambit commissa sibi cibaria. Audiamus modò, quæ Galenus obijciat. *Dubitare verò, an in animantium corporibus is succus gignatur, an in cibis contineatur, vtique hominis est qui nec illud aduertat, quemadmodum etiam ijs, qui sani citra vitiū sunt, vbi aliqua coacti occasione, contra consuetudinem cibo abstinuerunt, os quidem amarum, lotium verò biliosum reddatur, ac venter mordeatur: sed qui quasi subitò nunc in hunc mundum sit ingressus, nec dum quæ in eo sunt nouerit. Quis namq; ignorat eorum, quæ immodicè coquuntur, singula fieri primùm quidem salsiora, postea verò amariora, cùm si mel ipsum, quod omnium est dulcissimum, plurimùm percoquere velis, id quoque reddideris amarissimum?* Duo hîc obseruo, quorum primum est, parùm feliciter, in Erasistratum inuehi Galenum: alterum, quod grauius, vano contradicendi percitum œstro, perperàm euadere iniurium, vel in ipsummet Diuinum Hippocratē. Esto dulcia amara euadant ab assante calore, incalescant corpus, & humores ab inedia, quid tum? vnicus ne hic erit generationis modus, an bilis in humano corpore aliundè introduci minimè valebit? Includunt alimenta varias facultates, nonnunquam & sibi aduersas: qua de re si certior quis fieri optat, adeat Hippoc. in lib. de Vet. Med. *Quin & ex cibis quicunq; nobis incommodi sunt, & ingesti hominem lædunt, horum vnusquisque, aut amarus est, & meracus, ac intemperatus, & fortis, eo propterea turbantur ab ipsis* (nota) *quemadmodum etiam ab ijs, quæ ex corpore excernuntur,* quin ipsam consulat euidentiam, domesticis exploratis medicamentorum substantijs oculata Anatomi quernum Polypodiū nullum, dicam, non saporis genus includit, dulce obseruabis, ponticum, amarum, austerum, præter hæc & vim obtinuisse purgantem. Pronum est, vt varios humores educat, alios introducat. Obijciet forsan vestrûm aliquis, iecur officinam esse humorum. Hoc est quod modò sub quæstione cadit, & ponentis est probare, quod assumpsit. At sit: quæro ego, an om-

De Nat. facult. c. 8.

nium? an solum? an semper? Neniæ sunt, reri, nonnisi ab immodico calore gigni bilem. Quæro an in euenato corpore illa gignatur, vbi exulat omnis suspicio excedentis caloris? An non & secernitur hæc propriam in vesicam, quocunque in animali, nullo ætatis, vel sexûs discrimine, quod & sero, & atro contigit sedimento, congruas petentibus sedes, absolutâ hæmatosi. Concoquit primùm Natura, deinde segregat, tandem expellit, quæ series toties à Galeno repetitur, vt iam abierit in cantilenam. Tribuerit hæc calori Peripati alumnus, benè conscius, illius esse partes congregare, quæ sunt eiusdem naturæ, disgregare quæ alterius. Infero ego incunctanter, igitur præerant, quæ disgregantur, nō gignuntur à calore nunc operante? Cui dubium fatebatur Quintus. A pari, subijciebat rursus ille, deducam argumentum. Vt in opera elementalis caloris circa materiam elaborandam non fiunt excrementa, verùm secernuntur, pari pacto & in animalis calore Chylum in sanguinem vertente. Paritas in hoc stat, quòd vterque calor propriam afficit materiam, reijcit alienam. Præcessêre igitur, quæ modò obseruas excrementa, non successêre. Quibus tamen, si bilis, aut cæterorum humorum nomenclaturam deneges, donec à iecore excludantur, lis erit de nomine, tibiq; strenuo Athletæ herbam porrigam; dummodo cautius & tu procedas in posterùm, neq; nos seducas tuis cum cibis biliosis, pituitosis, & melancholicis. Valeas proinde simul & cum Erasistrato, me nanque reuocat Hipp. in exordio 4. *de Morb. Quin & hæc sic se habent. in omnibus cibis, ac potibus, & biliosi quid est, & aquosi, & sanguinei, & pituitosi, in alio plus, in alio minùs. Quapropter, & quæ eduntur, ac bibuntur, alia alijs præstant ad sanitatem. Atque hæc mihi de hoc dicta sunt. Postquam verò comedit, aut bibit homo, corpus in se ipsum humorem relatum ex ventriculo, & fontes trahunt per venas de ventriculo, similis humor similem, & corpori distribuunt. Quemadmodum etiam in plantis similis humor similem trahit de terra. Habet enim eodem*

modo

modo terra omnigenas in se ipsa; ac innumeras facultates. Ex ventriculo quemlibet trahi singulatìm humorem, longa serie in posterum docet Nobilis Author, quem adire par est, magnáq; attentione audire docentem, haud propulsantem, verùm deridentem illatam sibi ab incircumspectis iniuriam.

De Oculorum Mangonio.

TAnta ne est decoris affectio, vt tingantur oculi quoque? Oculi pars corporis preciosissima, & qui lucis vsu vitam distinguunt à morte? Et tinguntur, reponebat Pamphilo Sergius, & alia Mangonis non detrectant officia. At ille rursus; an non oculorum prolapsus, distorsio, expressio, ad Medicum pertinent, non Mangonem? Bene est, dicebat alter, verùm maiora, forsan, præstabit despectus à te Artifex. Nam orbitam augebit, inficiet oculum, deperditum restituet. Ridentibus cunctis, arrisit & Pamphilus. His concitus Sergius, ne paradoxologus audiret, confirmabat postremum effatum, non absque plausu. Quandoquidem videre passim erat, substitui eruto picturatum oculum, facili spectantium errore. Verùm infectioni obstare membri naturam, reclamabat Pamphilus. Pellucidus est oculus vniuersus, vt imagines exteras admittat, eaq; propter purissimos, atq; defæcatissimos expedit esse inclusos humores, Chrystallinum, scilicet, vitreum, & Aqueum, quô visionis functio inculpatè absoluatur. Diaphana insuper est Cornea tunica, quæ nostrum primò cadit sub conspectum, vnica Vuea coloribus variegatur. Hanc si inficere speras, vniuersus oculus tibi peruadendus erit, quin pessundandus, priusquam in recessibus sitam, inefficaci, hostilique vnguine adoriaris. Vetus est, inquiebat Sergius, pingi oculos, quod fecit execranda Iezabel, improbatq; Hieremias, succensens filiæ Sion. Renuncio interim cultioris litteraturæ auctoribus, nostrosque aduoco, vt tibi præripiam notum diuerticulum

Plin. lib. 11. c. 37.

4. Reg. c. 5. c. 4.

externæ oculi culturæ. Consule Galenum, si libet, *lib. de Remed. Par. facil.* vbi Leucomati, seu Albugini opem dum fert, hæc habet. *Celeriter his medetur nitrum exactè contritum, & ex oleo veteri inunctum. Idem præstant illitus Lacertæ fumus, & Nycticoracis ouum, his enim tinguntur oculi.* Actuarium insuper *lib. 6. Meth. med. cap.* 5. vbi locorum *ad glaucos oculos, vt nigri fiant*, binas præscribit compositiones, quibus & tertiam mox annectit. *Ad glaucos oculos, vt nigras habeant pupillas*, epigraphes est *cap. 41. in Aetij Volumine:* neque minùs tibi superior titulus incommodat, qui habet *Albuginum tincturæ.* Nôstis, enim, quòd Albugines nonnisi in Cornea consistant. Nam, vt idem Auctor pridem monuerat, *omnes cicatrices in nigro oculi albæ apparent: densata, enim, Corniformi tunica, subiectus ipse cæruleus color non translucet.* Non sibi defuit Pamphilus, & laudatum Auctorem nostrum sistebat in conspectum, vt Antagonistæ infirmaret munimenta. Infit Aetius. *Iam autem dictum est, quòd abstinere oportet à pharmacis cicatrices tingentibus, verùm vt ne ignorentur ea, quæ hoc facere possunt, etiam horum mentio facienda est.* Ex aliorum proinde mente, magis quàm ex propria sententia, vel experimento, illa recensuisse non dubito, quod & fecit in sequenti capite. Altercantes compescuit Censor noster, contraxitque disputationem vniuersam ad superficiarium oculorum ornatum, qua de re plurima occurrēt curiosis (aiebat) cognitu dignissima. Præcedat nobilitatis iure scopus finisue Mangonis; quo latice perfosso, erumpent vberrima fluenta, Eruditionis sitim pacatura. Quid tu Sosia? At ille incunctanter vnicum causabatur ornatum. Nimis vagum adducis impulsorem, dicebat senex, propiùs collima, si vacat, & lubet. Gnitona Petronianum, producebat ille, rasis supercilijs, cui totam formam suam reddidit officiosa Triphænæ ancilla, prolatis è pyxide artefactis. Percunctor ego, inquit Eudemus, cur meruit abiecta reponi merx in mundo muliebri? Nulla tunc voluptuosissimæ mulieri contigerat calamitas,

Cap. 10.

Aet. Tet. 2. serm. 3

Cap. 40. loc. cit.

Cap. 37.

tas, qua adacta, caluitium, & inductam oculis turpitudinem emendaret. Vix se continebat Quintus, dum hæc agitarentur: vt verò dicendi facta vnicuiq; fuit facultas, duplicem ille expiscabatur finem in oculorũ Mangonio, physicum hunc, moralem alterum. Perculit omnium animos nouitas: quapròpter homo frugi ne diutius nos suspensos haberet, nôstis, inquit, amici, quod *supercilia huiusmodi*, Plinij obseruatu, *& pariter, & alternè mobilia, & in ijs pars animi. Negamus, annuimus: hæc maximè indicant fastum. Superbia alibi conceptaculum, sed hìc sedem habet. In corde nascitur, hìc subit; hìc pendet. Nihil altius simul, abruptiusq́, inuenit in corpore, vbi solitaria esset.* Verùm Libr. 1. cap. 37.

„ *Fastus inest pulchris, sequiturq́, superbia formam*

Monitore Ouidio 1. *Fast.* Obliterant proinde fæminæ connati fastûs argumenta, nouisque superinductis lineis, faciles, lenesque se se simulant. Hæc prima, ni fallor, mutilationis, fucique origo. Suppar huic est ambita pulchritudo. Laudabat Flaccus

„ *Lycium nigris* In Epod.
„ *Oculis, nigroq́*
„ *Crine decorum.*

Lucianus extollit ὄμματα μέλανα, nigros s. oculos. His, plurimisq; alijs sollicitatus laudatoribus sequior sexus, alienas fruges excantat, posthabitis 12. Tabb. Sanctionibus, inque domestica arua, malis artibus, secedere compellit. Canos insuper arcent, superinducta noua tinctura: quod facinus meritò damnauit olim Tertullianus lib. 12. *Proh temeritatem, erubescit ætas exoptata votis senectus, cum plus occultare studuerit, plus detegetur.* Ambitus tandem prorogandi oculorum fines cuncta antecellit. Nôstis quanti fiant patuli oculi, atque magni, vel apud Barbaros. Fidem faciebat Peregrinus Petrus Bellonius. *Cùm Græci insignem formam extollere volunt, sublatam manum in latus inclinant, pollicisque, & indicis extrema coniungentes, orbem faciunt, quasi indicare velint, eius, de quo sermo*

In Dial. Mor.

Lib. 3. c. 36.

 est,

est, oculos tam grandes esse. Vetus illud est à Græcis auctoribus muliebris formæ iudicibus celebratum, qui insignis formæ fœminas unica voce πλατυοφθάλμους appellarunt; hoc est amplis oculis: propter elata nimirum supercilia, quæ lata, & amplæ faciei gratiam conciliant. Conterraneum Dalecampium huic succenturiabo.

In Annot. ad Plin. *Pulchriores olim fœminas putauerunt, quibus latiores essent oculi, & vt apud Homerum legitur βοῶπιδες. Cum autem rasa supercilia colore stibij nigro inunguntur, quod passim fit à mulieribus Græcis formæ studio deditis, oculi latiores videntur. Inde Plathyophtalmon stibium esse dictum.* Sic infectio illa, quod dudum pollicebatur Sergius, extendit ad libitum oculorum confinia, vel simulat saltem, qua de re posteriùs. Contraho interim vela, methodi in gratiam, rursus illa explicaturus vestris auspicijs. Oculorum Mangonium fucus est, quo liniti oculi atro inficiuntur colore. Patiar libenter carpere vos non dum absolutam orationem: exulat nanque materia apprimè necessaria, vbi res naturales statis vallantur finibus. Materiam ingemino, ex qua conficitur fucus, nec non pars cui admouetur; modum, & Auctorē fęliciùs alij prosequantur. Quantùm ad primam, varij varia recensent. *Acacia* Petronio est, succus nempè ater ex alba spina. Fuligo est alijs

Ouid. li. 3. de A. A. „ *Nec pudor est oculos tenui signasse fauilla*

habet Romanus Vates, cuius vestigia sequitur Satyrographus Iuuenalis.

Satyr. 2. „ *Ille supercilium madida fuligine tinctum.*

Li. 12. c. 5. Lib. 1. Non displicuit Tertulliano. *Oculos*, inquit, *fuligine collinunt.* Placuit, & Arnobio *Fuligine oculos obumbrare.* Malè oculis fuligine consulitur, obijciebat Antiphanes, vt quæ croceo, non atro tingat pilos colore, quod videre est nostratibus in baiulis, caminos verrentibus. Non ex lignis combustis, verùm ex thure suam parare fuliginem, consueuisse priscos, inculcabat Quintus, æmulam forsan atri illius pulueris ex fumo ardentis resinæ, quem Pictores appositè dicunt *Nigrum fumi.* Non diffiteor

fiteor abusos quandoq; fuisse nonnullos fuliginis voce: nam Hieronymus ad Fuluiam *non habuit orbes stibio fuliginatos:* Sic impegimus famigeratissimum in stibium, cui primas dant nobiles Auctores, hincque forsan γυναικεῖον, idest *muliebre* Græcis dicebatur, referente Dioscoride, quòd mulieribus inseruiat, prout notabant Marc. Virgil. & Hermol. Barbarus. Solitario ne vterentur illæ, vel alijs admixto, nondum assequor. *Nigrore fucare*, habent Tertullianus, & Assecla Cyprianus, qui rursus vnanimes *Nigri pulueris* meminêre. Me iudice, non bene suspicatur Cerda puluerẽ hunc fuisse illum, quem Plinius attingit *lib. 30. cap. 15. Ouis formicarum supercilia denigrari cum muscis tritis, aiunt.* Quandoquidem niger ille non est, nigredinem verò supercilijs conciliare tractu temporis olidum farcimen, non diffiteor, renatis pilis, cui muneri obeundo apprimè efficax est. Formulas habeo puluerum, & aridi collyrij pridem nobis communicatas. Prostat apud Nicol. Myrep. *Puluis Oribasij, Melitera dictus:* non inuidit nobis Aetius plures collyriorum descriptiones ad ornatum facientes, quæ à stibio denominantur, quanquam & alia ingrediuntur singulas compositiones. Aduoco rursus laudatum Bellonium. *Diuersa porrò ratione fit ea mixtura, qua Turcicæ, & Græcæ Mulieres supercilia sibi inficiunt. Vulgariorem autem, quæq; fæminis apprimè nota est didicimus. Æris vsti laminulam, quam Itali vulgò Feretto d'Espagna appellant, vnam, aut alteram drachmam pendentem, leniter in ferrea pala confricant, vt in puluerem conuertatur: huic pulueri gallam omphacitim superpositam calido, sed non candenti, ferro, premunt, quæ eo calore dissoluitur: deinde aquæ tres, vel quatuor guttas inspergunt, postea calefacto denuo ferro, identidem eam compressionem repetunt, donec galla omnino dissoluta pulueri commisceatur. Ea mixtura atramentum nonnihil densatum æmulatur, cuius pauxillum bacillo penicilli instar efformato sumentes mulieres, ipsæmet ad speculum sibi supercilia tingunt, & resiccari permittunt. Id quinquies, aut sexies repetitum, supercilia talpæ pilis altio-*

In Com. Diosc. Hermol. corol. l. 5. c. 935.
Tertul. de Hab. Mul. c. 2. Cypr. l. de lapsis.
De Pulueribus sect. 36. c. 60.
Loc. cit. cap. 35.

altiora reddit: tandem madido lineo panno confricantes, nigredi-
Aet. Tetr. 2. serm. 3. c. 98. *nem cuti inhærentem tollunt.* Hæc pro legitimo *Nigro puluere*, vniuersaq; mangonij materia; quæ oculo admoueri consueuerat. Verùm quoniã pluribus hic constat partibus, cadere poterat sub dubium, vtræ pingerentur, internæ, an externæ? Primas excludit inferenda turpitudo, & noxa valentibus, vix patiar valetudinarijs administrari, quod euicit dudum Sergius noster. Extimam vniuersam fædâsse illos oculorum orbitam, si credimus, iniquum est, præterq; cosmetices institutum. Su-
Plin. loc. cit. Pollux l. 5. c. 16. Aet. Ruf. Oribus. percilium madida fuligine tingi audiuimus ex Iuuenale, denigrari hanc partim testabitur Plinius, nuperq; Pollux præter nostrorum testationes. Hinc teste Causabono *id fuci genus à superciliјs* καλλιβλέφαρον *appellant.* Cilijs præterea Mangones consuluisse scriptum habeo. Pro me stat Galenus instar omnium, qui nobilis Auctor, dum oculis sicco collyrio, quod ex Phrygio lapide componitur, prouideret, monebat interim, *ac sic palpebras specillo inducas, ne oculi membranam intus contingas: ita nanque mulieres quotidiè faciunt, cum stibio oculis gratiam*
Loc. cit. cap. 94. *conciliant.* Si vacat, prestò erit Aetius ornatui palpebrarum, & pulchritudini intentus. Plures recenset formulas compositionum, Seueri vnam, reliquas Auctoris, quibus stibium præest. Assentiebamur dicenti vnanimes. Quum ille semet recolligẽs, veniamq; precatus, si quid præter nostram opinionem posthac enunciasset. Nam eam ibat in sententiam, vt subtus quinetiam pingere consueuerint oculos, modòq, inficiant Barbari. Vidimus (inquit) Emirum Tyri, & Sidonis exulem, Serenifs. M. Cosmi hospitem, atro quotidiè inficere colore imam luminũ orbitam; qui fucus, gratiam, atque decorem Regulo concilia-
Lib. 5. c. 16. bat. Consulamus Philologos, quos apud nihil frequentius voce illa ὑπογράφει. Laudatus Pollux, *oculos* ὑπογράφει *subtus pingit, supercilia denigrat.* Themist. in *Orat. VII. de Philos.* οὐδὲ
Lib. 5. ὑπογράφι τὰ ὄμματα; sic Herodianus in Heliogabalo, Hesychius, & apertissimè Athæneus *lib.* 12. quâ de mollissimo Sardana-

danapalo. *Tinctis fuco superciliys picturatis oculis,* καὶ ὑπὸ γραπτοῖς ὀφθαλμοῖς. Prosequebatur Pollux. *Lineas semicirculares circumducit.* Consonant hæc Tertullianeis, *oculos circumducto nigrore fucare,* æmulaturq; fæliciter, vt solet, Cyprianus. Non minoris sunt, quæ ille superiori enunciauerat capite de puluere, *quo oculorum exordia producuntur.* Quomodocunque enim legas, siue nupera *exordia*, vel antiqua *exodia*, in vnum recidit, nostraq; vberrimè confirmant. Nullũ in circulo exordium, sed vbique exordia *producunt exodia*, ambitum, scilicet, oculorum extendunt, non tam vera loci occupatione, quàm vmbrarum nixu: scitè proinde dixit Arnobius, *oculos obumbrare*, non inscitè Adhelmus. *Qui stibio genas, ac mandibulas mancipat.* Sponsor adest pro verbo *producunt* Lib. 11. c.2. Lib. 1. De Virg.

Ille supercilium madida fuligine tinctum
Obliqua producit acu. Iuuenal. Satyr. 2.

His fidem faciet vel ipsum stibium, quod πλατυόφθαλμον *oculos ampliens* Græci dixêre, referente Anazarbeo Dioscoride. Portum iam teneo, amici, in vestra manu est ratis gubernaculum. Tribus verbis, aiebat Eudemus, poteras, quæ designasti, absoluere: verùm ne tibi recusanti graues vltra simus, onus subeat proximus nobis Sosias. Qui subridens expedito remulcho cursum se absoluturum pollicitus insinuabat nobis auëtibus, par esse credere antiqua supercilia sublata tunc fuisse psilothro, vel nouacula, ne impedimento forent nouæ picturæ. Hanc verò obliqua produci acu, audiuimus dudum ex Iuuenale. Cilijs specillo consulebatur, monitore Pergameno, reliqua tinctura commodè poterat penicillo perfici. Quod & præstant barbaræ fæminæ, vt dudum audistis ex Bellonio. Loc. cit. Par æquumque tandem est exitum tantæ culturæ obseruare apud eundem auctorem. *Pleraque Peroticæ fæminæ, & puellæ Græcæ supercilia tusmate tollunt, deinde paulò supra superciliorum radices, ea mixtura se se in arcus formam tingunt, vt supercilia incurua appareant. Procul aspicientibus elegans videtur: at fædum*

ijs

ijs, qui è vicino loco attentiùs obseruant. Imposturæ auctorem si quæritis, digito præmonstrabunt Patres Antiquum illum impostorem. Tertullianus. *Illi* (Dæmones) *oculos circumducto nigrore fucare docuerũt*, & Cyprianus de *Disciplina & habitu Virginum*, *Deum videre non poteris, quando oculi tui non sunt, quos Deus fecit, sed quos Diabolus infecit*. Quapropter benè consulit *Lapsis*. *Quæ nigri pulueris ductu oculorum delineamenta depingis, vel nunc lachrymis oculos ablue*.

Quid corradant stillaticiæ ex plumbeis vasis.

LIs grauis suborta dudum est apud Nobilem Dysentericum, dum assidentes Medici noui morbi causam expiscarentur. Maior pars bilis ferociam damnabant, quæ non contenta tertianã excitâsse superioribus diebus, extra vasa in die laudabili tandem expulsa, molesta reddebatur intestinis. His enim confestim abrasis, sæuo comitante dolore, sanguinem elicuit, strigmentosamque concitauit colluuiem. Non defuit sibi amicus quidam noster, præterque collegarum sententiam, non in flauam bilem commotam euentum referebat, verùm in Cerussam clam ab ægrotãte absotptam pridie illius diei. Quũ enim sibi æger indulsisset crebro pitissando Aquam Scorzoneræ illi dono datam, factum est, vt subdulci illius sapore allectus, plùs minùs libras tres absumpserit. Nôstis, dicebat, quòd Aquæ hæ ex Hispania ad nos aduectæ, omnes per plumbea vasa destillantur, à quibus cerussam dum corrodunt, subdulcem interim lucrantur saporem, qui tamen cæteris aquis, succisque denegatur, si vitreis vasis, aut vitreatis, igne quouis, eliciantur. Duo sunt, quæ vobis debeo: primum quidem, continere stillaticias ex vasis plumbeis, cerussam: alterum, valere hanc dysenterias excitare. Aderit mihi Galenus: qui dum Romæ degeret, incolas Regionis cuiusdam, qui fontanam ex plumbeis tubis bibebant, dysenterijs tenta-

tos

tos fuisse obseruauit. Prætereo volens subscribentium Authorum cateruam, ne nimius videar in re per quàm euidenti: illud vestra pace dixerim, excreta nostri ægrotantis fidem dictis fecisse; nusquam enim Bilis cuiuscunq; apparuêre hucusque vestigia, quod tamen pernecessarium erat, si intestinorum vlcus his acceptum referri debebat. Hæc pro causa. Superest certitudo corrasæ substantiæ. At ego certissimam existimo, vel si quis æquam putealis aquæ portionem admisceat. Vbi enim per plumbea vasa destillatæ sunt aquæ, lactescunt confestim, atque turbantur, quod experimentum repetam, si vobis placet, Collegæ, cogamque liquorem deponere furtum. Arrisit cunctis: quapropter permistas aquas diu lactescere passus, vrgebat tandem consperso, nescio quo, liquore, pellucido, hinc niuis ad instar concedebant atomi candidæ quamplurimæ vasis in fundo, donec limpida ex turbida redderetur aqua, tegeretque cerussa vitri pauimentum. Valuit tandem euidentia, paradoxon suadere reluctantibus.

De effectis nonnullis morsûs Tarantulæ Appulæ.

FLuxêre interea pede tempora lapsa fugaci, inuitosq; penè dirimebat indicta Noctis hora. Remorabatur tamen iam concessuros serotina pluuia, dum interim Musæi in angulo legeretur à nonnullis epistola quædam, non absque cachinnis. Placuit Eudemo hortari legentem (si res pateretur) vt publici faceret iuris festiuum nuncium. Obsequens ille insinuabat, litteras ad cõsanguineum Nobilis cuiusdam Bari decumbentis, haud pridem redditas, in quibus narrabatur tentari hominem febre mali moris, cui & sanguinis missione, atq; iterato frigidæ copiosæ potu, Medici consuluerant. Mox verò, vt ab Amico adstante resciuêre fædatam peticulis obseruari cutem, introduci iussisse Tibicines, qui intensissimè Tibias inflarent,

ma-

maximo ægrotantis, & familiarium tædio, nulloque, vti diuinare par erat, prouentu. Hìc rurſus cuncti ſubſannârunt inſuetam cacoethiæ curandi normam. Compeſcuit irridentes Eudemus, teſtatus non incongruâ illud factum fuiſſe ratione. Ibat in ſententiam Præmigenes, memor eorum, quæ retulit A. Gell. l.4. c.13. quandoque A. Gellius ex Theophraſto. *Viperarum morſibus tibicinem ſcitè, modulateq; adhibitum mederi*. Et quod rei propoſitæ congruentius, Priſcum illum Democritum particulari tractatione, cui titulus περὶ λιμῶν, ἢ λωγικῶν κακῶν docuiſſe, *plurimis hominum morbis Medicinam fuiſſe incentiones tibiarum: tanta prorſus eſt affinitas corporibus hominum, mentibuſque, & propterea quoque vitijs, aut medelis animorum, & corporum.* Non improbo hæc, nectebat Eudemus, verùm alia, ni fallor, mens fuit Medicis curantibus. Noſtis, enim, quàm ferax ſit Iapygarum Solum Phalangiorum, ſeu Araneorum, qui à Tarento, antiquiſſima Apuliæ Ciuitate, vbi plurimo veneno pollent, nomen hodie ſortiuntur. Contigit verò ſæpiùs ad necis vſque limina proceſſiſſe ægrotantem, cui, nempe, non ſecus ac Medicis, ignota fuerat illata ab animalculo noxa. Nam quidam poſitus extremo vitæ in agone, fortuito tibiarũ ſonitu excutiente veternum, dicitur ſaltâſſe mox, & Choreas duxiſſe, donec præ ſudore fatiſcerent, & vires, & morbus. Experiundi igitur causâ illud tentârunt Medici, moniti, vt opinor, à frequentibus experimentis. Qua de re ſi quis veſtrûm exactam appetit eruditionem, adeat Epiphanium Ferdinandum, loci indigenam proprijs in *Obſeruationibus*. Obſ. 81. Satiùs erit, dicebat Antiphanes, rem præterire noſtro hoc ſæculo clariſſimam, in qua explicanda illuſtria inſudârunt ingenia, ſumma cum laude. Portum tenebat ferè Sennertus, quum hæſitans iſta protulit. Prac. Med. lib. 1. p. 2 c. 17. de Tarantulis. *Sed qui fiat, quod animalculum hoc Muſicâ delectetur, & huic venena vis adhuc impreſſa maneat, vt homo eo infectus audita Muſica ad ſaltandum moueatur, hoc nemo facilè explicabit.* hæc ille. Quòd ſi mihi daretur optio, non inſalutata recederet propoſi-

ta difficultas. Æquum, parque eſt, dicebat Eudemus, Antiphani morem gerere, quamquam nuper laudatus Epiphanius ſat operæ contulit, centum referans nodos. Erat fortè ad manus Sennerti liber, quem attentè dum percurrit Præmigenes, anſam cunctis præbuit negocium committendi homini curioſiſſimo. Non recuſauit ille, naucique facere viſus eſt prima fronte propoſitas difficultates. Nam quod attinet, aiebat, ad proportionẽ Tarantulæ ad Muſicam, & ad peculiare Muſicæ genus, non à qualitatibus hoc pendet elementaribus, multòq; minùs ab imaginatione animalis, quod nunquam, forſan, tale genus harmoniæ ante perceperat. Ratum verò eſt, nihil poſſidere imaginationem, niſi quod à ſenſu pridem mutuauerat. Quid igitur, infit Sergius, confugies ad ignorantiæ aſylum, occultas illas, abditaſq; cauſas? Satius quandoq; eſt ſummittere faſces, reſpondit Præmigenes, quam abſona, & perridicula dare reſponſa. Neq; adeo eneruis ſum, vt herbam aduerſario porrigam in præſentiarum, ſed cominùs luctaturus deſcendo in arenam. Non potiori iure quæritur, quî fiat, vt animalculum hoc Muſica delectetur, quàm cur telam fabrifaciat. Quod ſi propriam Tarantulæ cauſeris naturam, eandem quoque ego tibi repono. Plurimùm verò intereſt, vtrum medias quis ignoret cauſas, an ad immediatam vſq; procedat, illamq; in album adducat. Texit Aranea, quia Aranea eſt, amat harmoniam, vtpote rem naturæ ſuæ familiarem, atque voluptuoſam. *Affert, enim, vnicuiq; voluptatem,* Stagirita Præceptore, *id quod cuiuſq; naturæ accomodatum eſt.* Arist. 8. Polit. c. 8. Varia ſunt Tarantularum genera, varijs proinde gaudent modulationibus: has verò incerti venantur Tibicines, & Cytharædi parùm attentè; Chirurgus verò quidã, referente Epiphanio, longo vſu edoctus, callebat, digitoq; præmonſtrabat hanc Tarantulam hac » ſpecie Muſicæ oblectari, illam alia ſpecie, & ita res erat, nam » hoc modo ſonans, illa tripudiabat, alio verò modo nequaquã, » & in dies vnicuique hanc experientiam faciebat. Annectam »
ex

„ ex eodem Auctore rem ridiculam, neque importunam. Inter „ cætera refert, vnam vidimus, & ſcimus Tarantulam momor- „ diſſe quandam veſpam, & ibi fortè fortuna cum eſſet Cytha- „ rædus, pulſauit cytharam, & vno, & eodem tempore tripu- diauit Tarantula, & Veſpa circumcirca. Appoſitè quidem, dicebat Eudemus, nam recurrit Sennerti dubitatio, cur huic veneno vis adhuc impreſſa maneat? At non magis huic, quàm omni veneno, reponebat Præmigenes: ſecus venenum quod- libet exularet. Sin autem illud ſibi vult, ſcrutaturq;, eccur pa- ri contagio inficiat brutum, hominemue, reddo illi ſua verba, *habent venena vim totius corporis humores & ſpiritus mutandi,* Subde tu incunctanter, ſed omne phyſicum agens non impe- ditum, propriam ſatagit impatiens inducere ſimilitudinem, vſque ad vltimas differentias: validiſſimum igitur Tarantulæ virus, ictu illatum, valet ſaucij animalis corpus in ſuam trahe- re ſimilitudinem. Vrget ratiocinium hoc tuum, non diffiteor, dicebat Sergius, verùm cur homo eo infectus auditâ muſicâ ad ſaltandum moueatur, hoc opus, hìc labor. Cur homo mi- nùs, quàm brutum, quærebat Præmigenes: cui alter: quoniã rationem habet ducem, atque auxiliarem. Adducebat Anta- goniſta Epiphanium Probl. 89. vbi quærit Auctor, *Cur aliqui ob honeſtatem, vel caſtitatem, & verecundiam ſaltare, & tripu- diare recuſãtes, in grauiora inciderint ſymptomata, vel in pernicio- ſas, vel chronicas ægritudines?* Satisfacit quæſito, tandemque annectit. *Multos, enim, nos nouimus religioſos, & religioſas, quæ nolentes ob verecũdiam, ac honeſtatem ſaltare, ferè eſſe peremptos: niſi poſtea vellent, nollent, muſica eis preſtò fuiſſet.* Attentè nota- te ſubſequentia, *& qui penitus Muſica caruerunt, ac omni alio re- medio, in malignas ægritudines inciderunt.* Mihi vero haud dif- ficile eſt relata credere. Noui enim hominem temperatiſſi- mum inter cuncta animalia, cute molliſſimum, ac proinde ex- ternis iniurijs maximè expoſitum. Monebat inſuper Præcep- tor, *aliquam nobis eſſe cum harmonijs, & numeris cognationem:*

Senn. l. cit.

Ar. 8. po- lit. c. 5.

quo-

quocirca multi sapientes, partim animam harmoniam esse dixerunt, partim ex harmonia constare. Præter verò dudum allatum Democriti testimonium, si quis rẽ penitiùs scrutari auet, *cur numeris, modulis, canticis, denique omnibus concinendi generibus oblectari omnes consueuêre,* adeat Naturæ à secretis Aristotelem, cuius opera nec non percipiet Phrygiam Musicam cõcitare Enthusiasmon, omnemque talem motum ex omnibus organis in Tibijs esse maximè. Vt igitur receptui canam & ego, Naturæ instinctu Harmoniam Tarantula amat, necnon peculiare Harmoniæ genus, quô fit vt cõmunicato per ictum proprio veneno, alioquin actiuissimo, trahatur animal vulneratum in consortium: quod & homini maximè contingit, præ concinno, aptoque corporaturæ apparatu. Communibus votis itum est Præmigenis in sententiam.

Sec. 19. Prob. 38.


8. Polit. c. 5. 8.

Sat prata biberunt, dicebat Eudemus, reseruemus, (amici) si placet, aliquid in crastinum venientibus hospitibus. Obsequimur actutùm: hincq; vltrò, citròq; ominati fœlicem noctem, & reditum, NOCTI GENIALI IV. lati finem imposuimus.




NOX GENIALIS QVINTA.

Alat ne Vinum?



TRahebant iam *sera crepuscula NOCTEM*, cùm amicas ædes caternatim repetimus, Eudemum reuisuri. Pitissantem offendimus generosa vina nuper illi dono data. Opportunè, inquit, aduentâstis, amici, iudicium laturi, cui primæ debeantur, Nostrati ne Vino, an Politiano? Subridens Præmigenes, inquit: Onus subeo lubens: verùm præmonuit me pridem Stagirita, quod *ponens discrimen inter aliqua, debet vtrumque distinctè cognoscere*. Æquum, parque est, reponebat senex, obsequi vos cunctos Eximio Legislatori,

ri,priuſquam feratis ſententiam. Dictum, factum. Guſtauimus omnes, non ſine admiratione, & encomijs; poſtq; maturam rei grauis diſcuſſionem, vnanimi voto ſentẽtiam pronunciauimus, quam dicunt Legulei *ab obſeruatione*, concinnius dixerim, diſtulimus iudicium *in longiſsimam diem.* Interim, neſcio quis, ex noſtris Collegis liquoris ſuauitate delinitus, non benè precabatur manibus Clariſſimi H. Mercurialis: qui Author omnem alendi facultatem Vinis ademit. Non defuêre qui teſtarentur, excurſu diſputationis illud peractum: obtrudebant alij, euulgatam typis opinionem, & rationibus varijs munitam. Rixantes compeſcuit tandem Eudemus, hortatuſqne eſt, vt latæ Legi derogantes NOCTEM GENIALEM V. in ordine hinc exordiremur. Subſcripſimus omnes.



Alat

Alatne Vinum?

SEriò negotium tractâsse H. Mercurialem, non perfunctoriè, credebat Antiphanes & verò commodè poterat cum Hipp. sic philosophari. *Alimentum, non alimentum. Si nutrire non potest, nomen est alimentum, non opus. Opus & res est alimentum, non nomen.* At Vinum nutrire non potest, non ergo alimentum. Non posse nutrire probat ex ineptitudine substantiæ propriæ, & membrorum, in quæ concedere debebat: hæc est summa rationum: quibus accedunt consona Antiquorum placita, obseruationes nonnullæ, & præoccupationes ad obijcientes. Supponit, quod verissimum, Nutritionem functionem esse viuentis, viuere verò quæ animata sunt. Sanguis illi non viuit, neque spiritus, reliqua igitur tantùm sunt solida, quæ solidis, non fluidis deperditam substantiam arcere teneretur. Hæc membrorum in gratiam. At vinum aqueum esse, concinens Procerum chorus statuit olim, quum tamen crassum, viscidumque esse debuisset, non fluxile, facilèque difflabile. Sat speciosa illa sunt, dicebat Sergius, quæ sui placiti in confirmationem adducit egregius Mercurialis: verùm ijs iam itum est contra ab A. Buccio, A. Baccio, & à Præclarissimo Philosopho Franc. Bonamico in lib. de Aliméto, nuperrimè verò ab amicissimo Stephano Rod. Castrensi in aureo comm. ad lib. Hippoc. de Alim. vt præteream volens plerosq; alios gregales. Non mirum (aiebat Pamphilus) nam etiam lepores extincto Leoni illudunt, atque insultant. Vtrosque veneror Clarissimos Præceptores, & Bonamicũ, & Mercurialem: quorum viuæ vocis oraculis eruditus olim fui in Pisano Gymnasio. Amici ambo, quibus addatur & tertius, sed magis amica veritas. Si quid à me exigitur in præsenti controuersia, scepticè disputabo, vel saltem indicabo sobrijs impugnatam fuisse Paradoxologi sententiam, nondum tamen expugnatam, si quid sapio,

Tract. de Vino & Aqua. Lib. de Alim.

Lib. 3. de Nat. V. c. 4. pio, & sentio; vos interim Arbitri estote. A. Buccius dicet illationem Mercurialis esse infirmissimam, nam declaratum est „ in Philosophia, quòd nutritio primùm tribuitur similaribus „ partibus, & homogeneis, & ex eis per vlteriorem digestionem „ solida etiam nutriuntur. Nil ad rhombum, vt videtis. Nonne inter partes similares sunt ossa, nerui, cartilagines, carnes? indigent ne hæc vlteriori alimenti elaboratione, vt solida euadant? Non meliora adducit Baccius, habet verò. *An potius, vt anima primùm similarium perfectio est, & actus, secundariò verò etiam dissimilarium, quæ sunt illarum materia? ita animal primùm ali dicemus per solidius illud humidum, quod ex cibis reponitur, secundariò verò etiam per roscidi, & liquidioris instaurationem, vino, liquidioribus potionibus præstare solitum.* At vinum ineptum quinetiam dicet Mercurialis roris generationi, priusque in halitum diffluere, aut per vrinas secedere tenuem illam substantiam, quàm in Roris speciem vertatur: quandoquidem viscida res illa sit, atque crassiuscula, è sanguine elaboratiori oriunda. Perstat igitur adhuc Vini impotentia pro alimento partium solidarum. Authoritate Galeni ab alendo excluditur penitùs Vinum. Locus est *in pr. de facult. Natural.* vbi euidentissimè aduersus Lycum argumentatur. *Totum id quod bibitur, excerni per vrinam, exceptâ exiguâ quâdam portione, quæ per sudorem, vel per insensibilem transpirationem euaporat.* Cur non dicit, relinqui exiguam ad nutrimentum, si nutrit? hæc ille. Quibus tamen contradicere veretur Buccius, seque munit alijs Galeni placitis; mox incertus deflectit ab Authore; tandemque disputationem dicit esse ad hominem; tanquam liceat probum virum, mentiri vel cum aduersario. Infirmant præterea vini altionem quæ professus quandoque fuit Hipp. *in lib. de Alim. Alijs autem vinum alimentum est, & quibusdam non alimentum,* siquidem id quod verè, & propriè est tale, semper & omnibus est tale. Hoc testimonium intactum contradictores relinquunt, quod tamen validissimum est in vtramque

par-

partem. Dissimulant præterea solutionem difficultatis excitatæ ex 21. aph. 2. lib. *Famem vini potio soluit*, cui egregiè cum Galeno in Comm. satisfacit. Totus est Censor quidam in maculis, vt turpem contradictionis notã Mercuriali inurat. Obiecerat hic sibi maculas, quas à vino diluto altiùs imprimi, & ægriùs elui dixerat quondam Arist. in Probl. illudq; præ lentore contingere suadere poterat, quod & in oleo, larido, Butyro, substantijs alioquin viscidis, lentoremque participantibus, quotidie obseruatur. Soluit Mercurialis, declinans lentorem, & penetrationi illud referens acceptum: quæ tenuitas partium in causa est, Theophrasti obseruatione, vt ignis, & carbones faciliùs vino, & Aceto extinguantur, quàm Aquâ solâ. Insultat Censor, hancq; rationem *indignam* dicit *Viro docto*. Trahit homo hic ad se mala, vt læcias nubes: audiamus impulsum. *Nam si maculæ sunt indelebiles ob tenuitatẽ vini, cur nigrum vinum crassum magis indelebiles relinquit maculas?* Respondeo aliud esse atriore, & saturatiore colore inficere Mappas, aliud facilè, aut difficile posse deleri. Cæteris paribus, nigrum vinum, nigras nec non excitat maculas, quem colorem diluere tentant œconomi, superinfusa confestim aqua, ne scilicet oculos conuiuantium offendant inductæ sordes; quanquam roseus excitari potuisset gratissimus color, post lintei exiccationem affricata aciditate Limonis, aut Mali Aurantij. Non nescij tamen, qui plus sapiunt, indelebiles reddi maculas ex Vino, si aquâ diluantur, oleum offundunt, hincque lixiuio, & Smegmate elutæ, restituuntur facillimè. Par ratio, atque euentus, vbi sudariolum, aut linteamen attramento scriptorio inficitur; nam si aqua tangatur, indelebile contrahit rubiginis stigma, si verò acidum Limonis priùs affricetur, elotum postea omnem deponit fæditatem. Quorsum hæc dicetis? nempè, vt vera innotescat causa, visq; tenuitatis præpolleat lentori. Vrbanè Sergius monebat Pamphilum, vt subsisteret, siquidem in proximo erat decipula. Et caui, inquit ille, & ca- Sect. 3. Prob. 12.

uebo posthac: progrediamur, si placet. Prosequitur Censor. *Probat ille; quòd proposuit, nempè, vinum lymphatum ob aquæ permixtionem maculas indelebiles relinquere, & ad probandum hoc affert Theophr.* Falsa hæc sunt, neq; mentem Authoris percepit, claramq; sententiam; habet, enim, *si ergo vinum aqua dilutum propter aquam maximè penetrat, & hac ratione difficulter maculæ eluantur, certissimum est argumentum, maculas à vino difficulter elui, non quia viscidum sit, sed quia maximè penetrat.* Viden' quod ipsi præ oculis sit *penetratio,* scilicet, non maculæ. Dictis attexit confestim. *Sic enim dicebat Theophrastus lib. de Igne, carbones, & ignem citiùs extingui à vino, & aceto, quàm aqua, quia intimiùs omnes partes penetrant.* Quid opponit Censor. Recitabo, inquit Sergius. *An non vidit vir alioquin satis benè oculatus, eum sibimet contrariari. Dixerat vinum lymphatum magis penetrare propter aquæ permixtionem, postea verò ex Theophr. inquit, vinum, & acetum citiùs extinguere carbones, quoniam vinum intimiùs penetrat.* Non facit alienam causam suam Mercurialis, subijciebat Pamphilus, sed in propriæ sententiæ confirmationem, adducit Theoph. obseruationes pro exemplo. Sat habet confirmare, ob facilem penetrationem, non ob lentorem contumaces esse vini maculas. Penetrationem quinetiam ingeminat Theophrastus, sit ne verum experimentum illud, & assignata causa, nihil moratur, sat illi est assignari pro causa penetrationem, quô euitet lentorem. Sat necnon hæc nostra vobis sunto pro vindicãdo immerente à calumnia, & quod polliciti in principio fueramus quoquomodo præstando, impugnatam, nempè, fuisse Mercurialis sententiam hucusque, non expugnatam: addam insuper, pace vestrâ, cauillis potius, quàm solidâ doctrinâ.



Locus Theophrasti adductus examinatur.

NOn placuit Conſeſſui inſalutatum abire Theoph. quapropter etſi pro re nata ſat feciſſe cunctis videretur Pamphilus; propoſita nihilominùs obſeruatio, benè nota quibuſdam ex noſtris, iteratiſque experimentis confirmata, exigebat, vt euentus illius cauſa accuratiùs inueſtigaretur; ſic, enim, tolli ceruicoſis omnem contradicendi facultatem. Incredibile videri inexpertis, actiuiſſimum ignem, eluſis inſignibus aquæ facultatibus, quæ illi è diametrò opponuntur, opprimi à ſubſtantijs minùs aduerſis, fortaſſe verò, & calore non dubio præditis, quum tamen accendi potiùs, atque propagari par eſſet, baſilica in Philoſophia edictione, *Inter ſymbola facillimum eſſe tranſitum*. Quæ vires his acceſſerunt, quæ aquæ deceſſerunt? Quod ſi actio ſit inter contraria, cur pauſant, pugnamue detrectant? Hæc admirabundus Quintus. Cui confeſtim Præmigenes: Et tua, quæ dudum protuliſti certiſſima, ſunt; neque minùs certa, hæc noſtra, quin Ariſtotelea, nempe, *non quodlibet agere in quodlibet, ſed determinatum in determinatum.* Agere, & pati eſſe inter contraria; maximè contraria ægriùs agere, & pati, tardamque expectandã hinc victoriam: quæ coincidunt tua cum prædicata ſymboleitate. Pura aqua quolibet liquore tenuior, Margaritas olim contubernales non aggreditur: Acetum confligit, penetrat actutùm, eaſdemque diſſoluit. Congredi veretur cum igne aqua, admotaque reſilit. Acetum, & vinum, quanquam aquea à prædominio, partibus tamen calidis prædita, penetrant faciliùs ignis penetralia, illumq; extinguunt. Adde inſuper, quòd minùs tenues ſunt enarrati liquores qualibet aqua: eaque, propter faciliùs obſtruunt combuſtibilis materiæ meatus, hincque ſuccedit ſuffocari ignem, non corrumpi à contrario. Quæ ſi minùs perſuadent, adducam tertio loco minimam aquæ reſiſtentiam, bre-

uem-

uemque moram in conflictu, præ propriæ ſubſtantiæ tenuitate. Vt enim ignem concepit, aut ſaltem calorem affecit, confeſtim tenues abit in auras, opuſq; imperfectum relinquit, commodè abſoluendum à corpore quouis, cui contigerit firmior compages.

Abſoluitur Controuerſia de Vini Altione.

NOndum quieuerat æquor, concitiſq; agitabamur fluctibus, niſi cauiſſet ſedulus Gubernator, hortatus, vt remis, & aurâ proximum veritatis in portum contenderemus. Quapropter vt data fuit libera dicendi facultas, laudauimus Pamphili pietatem Præceptoris in manes, veniamque ab eo impetrauimus, ſi quid duriùs animaduerteretur poſthac in paradoxam ſententiam: plurimùm nanque referre exiſtimabamus ad hominum valetudinem, vtra opinio vera eſſet, aut falſa. Specioſum dubio procul, prima fronte videri nouum placitum ingenioſum, ditiq; eruditionis ſuppellectile conditum, malè tamen cohærens Antiquorum placitis, rei naturæ, & quotidianis experimentis. Nemo negabit ſolidioris alimenti vinum eſſe vehiculum, addam inſuper ego, dicebat Antyllus, primæuam elixationis cauſam, quæ celebratur in ventriculo, non denudatur tamen propterea ab alimenti dignitate: præſtat illa ex officio, hæc verò ex propria indole. Quæ munera perpendens Magnus Hipp. poſteris inſinuare tentauit, velatæ ex more loquutionis ambagibus. *Alijs autem alimentum Vinum eſt, & quibuſdam non alimentum.* His, nempe, qui largiſſimam illius hauriunt copiam, perq; aluum, & renes totum expurgant, vt obſeruabat Gal. *p. de Fac. Natur.* qua via facta ſemel, aquarum Thermalium ad inſtar, quod biboni cuidam euenisse ferunt, qui integrum exhauſit cadum bibens, ſimulq; meiens. Potori Syracuſano, vt eſt apud Ariſt. de *Admir. Audit.* non aliter eueniſſe veriſimile eſt: hic enim potans eouſque

tem-

tempus produxit, donec ex ouis, quæ proprio corporis sui fouebat calore, viuentes pulli excluderentur: & veri admiranda auditio, & execrandus helluo. Præterea, neque ijs est alimentum Vinum, qui solidioribus, & aridioribus onerant stomachum edulijs: præripit enim liquatus horum succus per lacteas propinquas penetrare venas, dum interim compedes vino inijcit nota siccitas alimentorum, quibuscum iungitur indissolubili nexu, perficiendæ coctionis in gratiam, vicemque vehiculi præbet tandem luculentiori alimento: Non negarem tamen modicum quid alimēti tunc accedere membris ex Vino, verùm vt probè nostis, *parum pro nihilo haberi videtur*, eaque de causa, concinnè dixit Hipp. *quibusdam verò non est alimentum*, sed vehiculum. At sobriè bibentibus, mollioribusq; vtentibus cibarijs, alimentum certissimum est, simulque vehiculum. His complanatis difficultatibus, quas Procerum lectio excitabat, facilis patet ad veritatem semita, non vetusta, illa, sed nupera. Experiamur quæsò. Quicquid mutatur in sanguinis substantiam, nutrit: at Vinum in sanguinem mutatur, nutrit igitur, vel nobis renuentibus. Nemo controuersari ausus est primam propositionem, benè conscij sanguinem, vltimum alimentum esse sanguine præditis vtraq; in schola. Vacillabat tamen apud plurimos alterius præmissæ fides, quod animaduertens Antyllus, euidentiam minimè controuersam acciuit dictorum in confirmationem. Pinguescere largos Vini potatores, non tamen profusos, vnicuique est perspectum: sed pinguedo argumentum est probè peractæ coctionis sanguineæ, Arist. monitore: igitur si pinguescunt vino indulgentes, signum est iam probè peractam coctionem sanguinis, illiusq; abundantiam ex vini copia euenisse. His aduersabatur Pamphilus. Admitto, inquit, pinguescere potatores, non perditos illos, sed qui modicum à mediocritate deflectunt. Pinguedinem præterea, & signum, & effectum esse probè confecti sanguinis non deffiteor: reijcio tantum euentus caußam in solam

coctionem, quam vini calor, & promptum vehendi officium: promouit vberrimè. Expecta parumper, dicebat Antyllus, donec Galenus, cui plurimùm meritò defers, te erudiat. Qui
Lib. 12. c.4. Author in *lib. Meth. Med.* ex profeſsò, aquoſa, & auſtera vina examinans, de Aquoſis hæc habet. *Minimum enim ex horum ſubſtantia in ſanguinis mutatur ſpeciem.* Audin ſubſtantiæ mutationem, non ſolam promotionem? Conficiet te pleniſſimè, obſtruitque os Vinis auſteris. Caue tibi Pamphile. *At verò nutriunt hæc magis, quàm tenuia, ac vitioſos ſuccos omnium vinorum celerrimè* (nota) *bono ſanguine generando, corrigunt*. Res mihi eſt integra nihilominus, aiebat Pamphilus, & ſcholarum more diſtinguam effectiuè, non materialiter Vina auſtera bonum ſanguinem generare. Tum Antylus minùs te peruicax erat Præceptor tuus qui dulcia Vina nutrire permiſit. At vina non ſunt, reponebat alter. Quid ni ille? Cui Antagoniſta: quóniam non inebriant, quæ propria conditio eſt Vini. Riſimus omnes, ſimulq; interrogabamus propriumne iactaret experimentum, an verò per manus ab alijs traditum? Procliue eſſe Mercatores Cretenſes, & Venetos interrogare, an Dulce Maluaticum, vel modicè potatum, inebriet: Quod ſi parcis incommodo percunctandi exteros; experire ſaltem vernaculam Vernacciam, ac præcipuè, quam Diui Geminiani, à vicino Oppido, dicunt, vt euadas certior, cautiorq; in poſterùm. Garrientibus ſilentium impoſuit Eudemus, pollicitus, mox ſe ius dicturum. Interim procedendum ad vlteriora: quod præſtitit Quintus incunctanter, ſic exorſus. Si nutriunt vuæ, igitur & ſuccus, qui ab illis exprimitur. At vuas nutrire iam euicit obſeruatio, & communis hominum conſenſus: igitur pari pa-
2. De Al. fac. c.9. cto, & Vinum. Pingueſcere Vinearum cuſtodes, præ ficuum, & vuarum eſu, obſeruabat Galenus, & quanquam hæ minùs alunt, quàm ficus, immunes tamen ſunt à vehiculi ſuſpicione nuper allata. Et verò, alimenta, vt talia, ſpectantur ſecundùm ſubſtantiam, vt qualitatibus ornata, corpori medentur. Vinum,
vua-

vuarum succus, torculari quæsitus, si toto acino magis nutrire dixero, non errabo, quandoquidem abiectis reduuijs, & seminibus, caro vuarum tota liquescens, concedit alimentosum in succum, iam depuratum, nullique oneri futurum facultati nutrienti. Postremo loco, ne vos tædio afficiam, plura dum mihi referuo, specto vini dotes, & miram præcipuè illius suauitatem. Quòd si natura nihil facit frustra, in aliquem finem direxisse par est: at nullus alius esse potest, præter alimenti illicium: nutriet igitur Vinum ex primæuo Naturæ instituto. His contradicere paratus erat Pamphilus, quem intercepit Censor noster, interminatus instans iudicium. Vt nôstis, aiebat, in ore omnium est, petenda esse in foro iniqua, vt concedantur æqua. Iam præiudicata opinio insederat mortalium animis, maximum accedere homini alimentum à Vino, quo penè solo sibi posse consulere, credit popellus. Non sine risu audimus, tantùm panis illis sat esse, quantùm ad obstruendum œnophori orificium sufficit, mox plenissimè siccandum. Lac senum prædicant, & credunt scioli, neque sat consultum nouis dicunt puerperis mulierculæ cuiuscunq; sortis, nisi vino deperditæ vires restituantur, & quod verius, obruantur. Quæ res perniciosa plerunq; est, & valentibus, & valetudinarijs. Quanquam enim qui citissimâ egent instauratione, modico Vini haustu, ne dicam vel solo olfactu, restituuntur, breue tamen recidunt, ni solidior cibus accedat deperditæ substantiæ in partes. Permeat Vinum actutùm, quæ vis illius spiritui debetur, secumq; rapit obuia quæque: Quapropter verissimè dixit Comicus, nosq; experimur quotidie in Medicina facienda

„ *Vinum luctator est dolosus*
„ *tentat pedes* Plautus.

ne recenseam fœtarum frequentia funera, debitâ nec morte peremptarum. Profuit igitur præiudicatam euellere credulitatem, iusq; suum ex merito vnicuiq; tribuere. Alit Vinum, coctiones promouet, alimenta reliqua deuehit, humores corrigit,

rigit, excrementa quoquouerſus expellit, Spiritus inſtaurat. Quæ inſtauratio noua mihi eſt ſubſtantiæ generatio, non qualitatis inductio, ſecùs quæram impunè, quorſum abierunt ſpiritus in Syncope, quæ præceps eſt virium lapſus? Nouos igitur reficit ſpiritus vinum proprio ſpiritu, humores, minimè dubio humore, ſolidis partibus non multum, neq; diuturnum præbet alimentum, craſſiorem ex triplici coctione adeptum ſubſtantiam. Vaniſſima eſt inducta inebriandi proprietas, quæ à proprij natura penitùs deflectit vel ipſam carpentibus Logicorum pueris. Proprium namque Vini eſt, vt ſubſtantiæ, corpus noſtrum alere, reliquas dotes alio ſub titulo poſſidet. Poſſe inebriare, poſterius quid eſt, certumq; potiùs hærentibus indicium, non ſpoliari proprio ſpiritu vinum illud, quod controuerſum eſt. Limites noſtræ Artis tranſcendit, qui curioſè quærit, viuant ne ſpiritus, & humores, ijſq; propterea debeatur nutritio, nec ne, ſat .n. Medico eſſe debet illud noſſe, deperditas vires congruo Vini vſu reparari, nouâ ſubſtantiâ effluentis in locum ſurrogatâ. Sobriè igitur in Medicina
2. Pyhſ. philoſophandum, Ariſt. monitu, *& vſque ad aliquid* cognitio inſtituenda, ne rixantibus pereat tempus, & æger.

De Vino Dulci nonnulla.

HAud ita facilè ſe traduci patiebatur Pamphilus, præſertim vbi audiuiſſet in dubium reuocari Dulcis Vini firmitatem, iuſq; illi denegatum inebriandi reſtitui. Nomine, vinum illud, non re, dicebat Philoſophus, quandoquidem ine-
Prob.23. briare non poteſt, quod & *Sect.3. Probl.* conſtanti ſententia repetit, quia bibentes medio in compotationis curſu ab ebrietate præſeruari illius vſu, diſertis verbis in *Probl.* 12. eiuſdem Sectionis, pridem enunciauerat. Sitne illa proprietas, an ſignum inconcuſſum, nihil moror, ſat mihi eſt in præſens, vinum, vt ſic, debere prodigè vtentes inebriare. Ratio in promptu

ptu eſt, quoniam maſculum vinum calidũ eſt, ac ſpiritibus redundans, quod nobis Pyrotechnia reuelat: ebrietas verò fit, vbi loca ſuperiora, præ vini ſpiritu, plus iuſto incaleſcunt. Dulce vinum obſtruit ſibi vias, præ modo ſubſtantiæ: nactus enim eſt viſcidam, infarcientemq; materiam. Præterea inodorum eſt Vinum hoc, Ariſt. obſeruatu, quæ labes adſcribitur ſpirituum abſentiæ. Modicum tandem caloris dulcia includunt, vt quæ temperata penè ſint, omnium conſenſu. Viciſti, exclamabat Sergius, ſi comitem adiunxeris experimentum. Inurbanum eſſe, Peripati Principi derogare fidem, reponebat Antyllus, cui auxiliarem mox ſe adiunxit Præmigenes. Inueriſimile prorſus eſſe, tantum virum, florídiſſima in regione, cultuq; bonarum litterarum admirabili, expoſuiſſe ſemet erudiendi popelli ludibrio, & ganeonis cuiuſcunq; cenſuræ, præſertim quum paruo diſpendio experiri fas illi fuiſſet, an Vinum dulce inebriet? Pari verſari in errore, qui ambigunt, an plumbeus ſagittæ mucro liqueſcat, velociſſimè dum fertur, eo quod nuper periclitantibus non ex voto ceſſerit: nam peccâſſet Philoſophus in Methodum, niſi rem euidentiſſimam pro exemplo adduxiſſet, quicquid ſit de nouis experimentis, fideſq; & propria exiſtimatio vacillâſſent penitùs. Non defuêre qui tacitè muſſitarent, quòd adducere abſurda, non eſt ſoluere quæſtionem; quapropter Eudemus ſuo vſus iure difficultatem ſic ſuperabat. Quæ dicimus dulcia Vina, egregiè nutrire nemo vſquam dubitauit, neque, ſi viueret Mercurialis, forſan negaret: quanquam locum illis inter vini ſubſellia minimè concederet, non abſque ratione Pedetentim rem proſequamur. Alere dulcia Vina præter Authorum conſenſum, ſuadet modus ſubſtantiæ, facilis coctio, fælix diſtributio. Craſſa illa ſunt, magiſq; craſſeſcere apta, præ coctione duplici, quam ſubeunt in ventre, & hepate: quapropter eludunt hoc nomine minatum exilium. Hæc pro altionis iure. Philologi eſſet ſcrutari intimiùs, quo ſub cenſu dulcia Græcorum Vina reponi debeant.

beant. Ratum quandoquidem est è minimè defæcata illa fuisse, ob idque nigra ab illis appellata, opaca, scilicet, vt ego interpretor, non pellucida, verùm consistentia sapæ ad instar, aut crassioris mellis. Quæ si Mercurialis reiecit simul & cum Aristotele à Vinorum consortio, non miror, sunt enim potiùs condimenta, & cedunt non ægrè in beneficium rei culinariæ. Diluta tamen admittebantur in mensis, qua de re aliàs pro re nata vberrimè. Secùs dicam de nostratibus dulcibus, & transmarinis, quæ pellucida sunt, crassioris tamen substantiæ, quàm quæ non dulcia: malè igitur vtrumq; genus confunditur. Illud tamen certum est, Galeni ætate priora Dulcia in censum vinorum recipi. Sed præstat ipsum audire loquentem. *Quod verò ad Vina pertinet, quæ dulcia admodum sunt, omnia sanguinem crassum gignunt; nigra nanq; hæc sunt, & consistentia crassa, & ijs adhuc magis Sireon, quod vocant, idest sapa, est autem id mustum plurimùm coctum.* Nondum manū de tabula. *Vinorum omnium rubra simul, & crassa sanguini generādo sunt accomodatissima, vt quæ minima egeāt mutatione, vt sanguis fiāt. Post ipsa sunt nigra, crassaq;, & dulcia. Dulcia verò conficiuntur in ventriculo, ac distribuūtur faciliùs, quàm austera, vt quæ facultate sunt calidiora.* Sint vobis hæc omnia superpondij loco, nuper assertorū in confirmationē. Quæ tamē antiquissima Dulcis Vini iura, controuertere potis est damnata legibus quibusdam ebrietas. Tentat vinum gressus, debilitatq; pedes, tentat, & mentem, vnde Temetum. Dulce vinum quodcunque, vinoso minùs caput tentare, pro comperto habeo, nunquam tentare, aut non tentare, falsum existimo. Præter verò adductam non importunè, disputationis in progressu, infractam euidentiam, si authoritatibus inter nos pugnandum, vtar libenter communi omnium Præceptore Hipp. qui alicubi monuit, quòd *Vinum Dulce, vinoso minùs mentem ferit.* Patiamini refricari vobis tritum illud apud Scholasticos, nempè, *Minùs tale, respectu magis talis, rationem habere contrarij.* Quo nomine Dulce Vinum reluctatur

De Vict. Rat. p. 2. t. 2.

exi-

eximijs vinosi viribus; hincque futuræ ebrietati aduersabitur: explicatiùs dicam, diluet, ni deleat temulentiã. Admitto substantiæ modum, præ qua impetus in superiorem partem vaporibus denegatur, quod & facit oleum, & oleosa quæque, vt præmãsæ amygdalæ, quia & totam admitto substantiam Vino aduersam, qualem obseruant curiosi latitare in brassica: aliud est tamen, quod à Vino dulci commodum attendo, prophylacticon ebrietatis. Vt enim depressit vini pridem ingurgitati feruorem, facillimè per aluum secedit, secumque detrahit vniuersum humorem. Præter verò frequens experimentum, certiorem me fecit deiectoriæ facultatis noster Hipp. sermonis in progressu; *Atque quouis alio faciliùs per intestina descendit.* Minùs igitur inebriat Vinum dulce Vino quouis vinoso, omnium minimè Dulcia illa, quæ in vsu erant Aristotelis ætate. Hæsito interim, an præter recensitas causas, satietas quinetiam introduci queat? vt enim probè nôstis, minùs Vini dulcis hauritur, quàm vinosi cuiusuis: in minori autem mole, minor etiam & virtus. Qui Vinum appetunt, vinoso alliciuntur sapore, quo vbi datum est perfrui, perit ille confestim. Quapropter mox repetunt auidi cupitum voluptatis fontem. Hi verò, quibus dulce Vinum est in optatis, non Vinum appetunt, sed dulcedinem, quæ diutiùs sensibus blanditur præ subiectæ materiæ lentore, expletq; tandem non absque breui satietatis discrimine, si quis in bibendo progrediatur. Hoc sibì voluisse mihi visus est Arist. *Probl.* 28. *Sect.* 3. quærit præceptor. *Cur ex vino dulci, suaui alioquin existente, non fiunt temulenti?* Respondet incunctanter. *An quod non proprium habet saporem dulce* (scilicet Vinum) *sed alienum: amator ergo erit dulcis, non autem vini, qui vincetur.*

Loc. cit.



De ordine assumendorum in mensa, & quomodo à liquidis inchoandum.

IAm composita videbatur lis, quum digladiantes inter sese audemus Quintum, & Antiphanem. Licere hunc sibi, præ data norma, vini haustu in prima mensa deperditis viribus cõsulere, negare alterum, malaq; plurima interminari. Desipere vulgum, qui notum illud *à potu incipe cœnam*, ad vinum ineptè traducat, quum tamen mens authori illa fuerit, vt à liquidioribus alimentis cœnam exordiamur.

„ *Nam vacuis committere venis*
„ *Nil nisi lene decet*

Flacci obseruatu. Cur non eodem Consultore, dicebat Antyllus, vteris, lectionemq; prosequeris

„ *leui præcordia mulso*
„ *prolueris melius.*

Fabulæ hæc sunt, inquit Sergius, neque refert, quo ordine cibi assumantur, nam simul, & semel omnes conficiuntur. Obijciebat nouo paradoxo Quintus, vel ipsumet Galenum, monentem, Persica non esse post alios cibos mandenda, siquidem corrumpantur in superficie natantia, præbuit ansam tale præceptum vniuersale eliciendi, quale rei naturæ, & obseruationibus graphicè congruit. *Sed in omnibus*, inquit, *quæ praui sunt succi, verùm humida sunt, ac lubrica, & quæ subduci facilè queant, id communiter tenendum, & ob id ipsum ante alios cibos esse sumenda: ita enim fiet, vt & citius subducantur, & alijs cibis viam muniant, quæ si sumpta postrema fuerint, vna secum quoque alia corrumpent*. Verùm, nescio quo fato, eruditissimus alioquin Author secũmet ipse pugnet, dum coctionis modum, & Chyli distributionem aliquando nobis explicat. Prædicat nanque ita cibum à ventriculo comprehendi, vt nonnisi vniuerso confecto, atque absoluto, reseretur pyloron, quam doctrinam

[Margin: De Al. fac. c. 19. 3. Ac. 22.]
[Margin: Loc. cit.]
[Margin: 9. de loc. aff. de fac. Nat.]

hau-

hausisse videtur noster Sergius. Hæc si admittas, præpostero in Persicis, & consimilibus alimentis, vteris ordine, ijs nanque claudendæ erant cænæ, quando sint mali succi, lubrica & humida, ne diuturniorem perpessa calorem, reliqua cibaria inquinent. Vtra igitur harum falsa censenda? Inopinata Galeni contradictio omnium animos exagitabat. Suspicabatur Sergius, talia alimenta nihilominus præmandenda, quod suopte nisu viam sibi molirentur, & reliquis, mox conficiendis, iter reserarent. Impugnabat Quintus, indicans adeò religiosam fuisse Galeno hanc pylori occlusionem, vt nonnisi à causis morbificis reserari putaret. Officeret præterea semicoctis succis, calore difflato; inquinata nanque, præcedentium subsequentur semitas, non reluctante ventriculo, reliquis iam exsatiato, grauitate verò, ac propensione, ferè cogente. Repugnat insuper hoc placitum, vel oppugnat Naturæ maiestatem. Facultas namque vegeta cibum alterat, vt perfruatur: at verò iam confectum, atque absolutum, quid prohibebit quominus attrahatur, non reluctante materia, quæ iam disposita, neque facultate alimenti indiga, patulis insuper, vndequaq; vijs; quas non ociari videre est in vino, asparagis, hipposellino, Cassiaq; fistula, superstite adhuc in stomacho vniuerso cibo. Harum sedulitatem admiratur Galenus 1. *de Symp. cauf.* 7. & alibi, immo omne ius defert, vt iam præ longa fame venæ exinanitæ ad obiectos, inquit, conuertuntur cibos, atq; ex ijs nutrimentum trahunt, nequaquam ex ventriculo. Improuida præterea fuisset Natura, si munus illud ventriculo demandâsset, quod ipsi oneri, vniuerso autem corpori, incommodo erat futurum. Quorsum etenim diutina conclusio? An, ne dilabatur Chylus, aut inconfectus cibus? At figura ventriculi cibi pondere elongata per se sufficiens erat, quanquam nôn sim nescius, ex inuolucro Ianitoris elatiore huic damno à conditrice occurri. Sperabant nonnulli laudabiliorem hinc subsequuturam coctionem, quod tamen Quinto nõ arridebat, hinc


2. De Sympt. c. 3. 3. De fac. Nat. c. 5.

potiùs alimenti putredinem verito. Nullius verò emolumenti fore credebat in partibus corporis internis, quicquid ſit in externis: quum vndique calidiſſimis viſceribus innatus ventriculi foueatur calor. Incumbit trãſuerſum ſeptum, per quod vniuerſa thoracis, cordiſque æſtuans vis ventriculo communicatur. Ambit in dextris Iecur, confouet in ſiniſtris Lyen, opẽ ferunt inſignia vaſa, caua vena, arteriaque Aorta, non ociantibus dorſalibus muſculis. Subſternitur pancreas, tegitur tãdem
4. De V. Part. 7. omento, atque muſculis epigaſtrij. Verùm enim verò, quum
3. De fac. Nat. c. 4. ſuaderet laudatus Author, vt oculata fide coarctationis operam perpenderemus, non in ventriculo ſolùm, vel vtero onuſto, verùm & in vtraque veſica, curioſitati ſatisfecimus, & inſpectione, & maturo diſcurſu. Nam cur comprimunt, non vt fruantur, quum inutilia ſint excrementa; non ordine Naturæ vniuerſalis, vt pacatiora reddantur, minuſque fera, ſiquidem præ diutina mora, ſæuiſſima quandoque euadunt. Lubens propterea, volenſque firmiori opinioni ſubſcribo credentium, nec veſicam lotio, nec folliculum felle nutriri, quoniam non interna tantum, externaque earum ſuperficies, verùm & profunditas, venis, & arterijs vbique perfunditur. Eſt autem ſanguis (vt millies dictum) vltimum alimentum ſanguineis, Ariſtotelis, & Galeni monitu. Contra obijciebat Antyllus, non incongruum ſibi videri, ſiquid vtile in excrementis adhuc latitaret, cunctatione racemari à particulis continentibus, eaq; propter inculpatè his incumbere. Improbabat hæc Quintus; Naturalis nanque, proindeq; perpetua ſupponitur actio; ſuperſtes verò alimentum in excremento, nonniſi vitio facultatum deſeruientium, aut non retineri, aut expelli continget. Verùm ecquid diutiùs pars inſiſtit tam exiguo confouendo? Quid prohibet, quominus attrahat, inque ſui naturam alterando immutet? tunc enim, aut deſinet compreſſio, aut noua euentûs
3. De V. Part. c. 7. indaganda erit cauſa. Reluctantem Antyllo producebant cæteri Galenum, qui ambas veſicas, vt alerentur, venis eguiſſe,
do-

docuit, eò quòd inutile alimentum alendo alliciant. Coctionem insuper omnem in vesicis apertissimè eliminat. Vt ergo animi mei sensum (aiebat) liberè patefaciam, existimo ego acutissimum Galenum speculatione potiùs hæc fuisse assequutum, quàm autopsiâ, atque oculata fide. Non diffiteor in Anatomicis administrationibus vesicas, & ventriculum pendulas ambire contenta, necnon speciem præferre quandam coarctationis, at non facultate hoc operante, verùm ex grauitate liquorum contingere animaduertet, quicunque in cadaueribus, aut exenteratis animalibus hæc obseruabit, vel animi gratia consimilia vasa semiplena liquore fabrefecerit. An verò ex tali coarctatione vllum subsequatur Naturæ emolumentum, nec ne, qualecunque sit, non illud existimo, vt ei deferenda sit coctionis summa. Forsanque minùs proficiet; siquidem exangues partes quô magis elongantur à carnosis confouentibus, eò deteriùs munere suo perfunguntur. His igitur missis, vt tandem receptui canamus, quum nulla obseruetur Ventriculi coarctatio, vel si qua sit, aut fortuita, aut inutilis, consequens erit, vt non expectata vltima alimentorum absolutione, impunè valeat Natura portione illa alimenti liberè perfrui, quæ iam probè confecta, vlteriori mora reliqua cibaria corrumperet. Huic muneri obeundo sagax corporis Opifex venas stomachum perreptantes destinauit, & nuperas Lacteas ab Asellio obseruatas, quæ Iecori exhausto excultum deferunt alimentum. Satis igitur superque, ni fallor, iam constat, verissimum illud Galeni effatum *lib. de Alim. fac.* semper seruandum, præcipuè verò, vbi æstuanti calori æstiuus squallor vim inferat.

Loc. cit. c. 12.

3. De fac. Nat. c. 13.



Locus Hipp. in lib. de Alimento expenditur, necnon & Tex. 1. Sect. 6. 6. Epid.

ÆGrè Ariſtogenes impoſitum recens ſibi onus ſubibat, veritus obſoletam mouere Camarinam, inuiſam, diuque agitatam ſuperiori ſæculo. Manifeſtam prima fronte ſibi videri Hipp. ſententiam, præſertim ſi recitetur integra, non deartuata, quod conſueuêre Explanatores: habet verò Senex. *Opus & res eſt alimentum, non nomen. In pilos alimentum, & in vngues, & in extremam ſuperficiem. Forinſecus alimentum ex extrema ſuperficie ad intima peruenit. Confluxio vna, conſpiratio vna, conſentientia omnia.* Scopus Authoris duplex eſt in præſentiarum, primus diſtinguere verum alimentum à non vero, ex opere, ſcilicet, quod præſtat, deinde teſtari reciprocationẽ veri alimenti à centro ad circunferentiam, vicèq; verſa à circumferentia ad centrum. Quod paulò inferius explicat diſertis verbis. *Principium magnum ad extremam partem deuenit, ex extrema parte ad magnum principium peruenit.* Quorſum hæc præſtat, aiebat Antiphanes? Vt quæ ſuperiùs aſſumpſerat confirmet; dicebat alter; ſunt verò duo hæc: *Facultas alimenti peruenit ad omnes partes*, alterum: *Principium omnium vnum eſt, & finis omnium vnus, & idem finis eſt, atque principium.* Plurimùm diuertis, inquiebat Antiphanes, à mente Clariſſimorum Expoſitorum, ſiquidem ex ijs nonnulli credunt per illud *forinſecus alimentum*, aerem innui, qui per cutis poros fertur in arterias, hincque in cor properat. Alij externum alimentum admittunt, creduntque altilem quamcunque materiam, corporis ſuperficiei applicitam, facilè cedere illius in alimoniam, probè iam in vapores extenuatam. Quid tu? Audiſti, reſpondebat alter: haud enim pænitet me ab illorum mente diuertere, qui ab Hippocratica miſerè deuiant. Aeris fautoribus obtrudet rurſus Cous Senex, *Alimentum non alimentum. Si nutri-*

re

re non potest, nomen est alimentum, non opus. Quo nomine excluditur aer à veri alimenti priuilegio: *nam opus & res est alimentum, non nomen*. Ni tamen aerem credas animalium corpora alere. Cui Antiphanes, Doctorem, ductoremque adhibebo laudatum nuper Authorem, qui hæc habet in calce, *Alimentum enim spiritus est*, & paulò superius. *Principium alimenti spiritus, nares, os, guttur, pulmo, & reliqua respiratio*. Prosequere reponebat Antagonista, vel prosequar ego tui in gratiam. *Principium alimenti, & humidi, & sicci, os, gula, venter*. Quod si libet parumper regredi legendo, dirimet radicitùs controuersiam Summus Dictator, inquiens, *Pulmo contrarium corpori alimentum trahit*. Insultabat Antiphanes. En tibi, vel reluctanti, atque inuito alimentum ab aere. Non verum, admittebat Aristogenes, at verum, & in opus exurgens, acriter pernegabat. Rursus insultabat in hominem. Cur, inquit, non pensitas sedulus qualecumque sit illud alimentum, quod pulmo trahit, *contrarium* esse, atque diuersum à reliquo alimento, quod trahit corpus vniuersum? Attrahitur aer, igitur diuersa res hæc est ab ea, quæ trahitur à corpore vniuerso, & per consequens relegabitur aer, vltra fines corporis, cuius in locum meritò succedit verum, & genuinum alimentum. Dum hæc meditor, obseruo nostrum Antesignanum vnico iaculo vtramque confodisse credulitatem. Quandoquidem alimenti vias enarraturus, cunctis remotis ambagibus; hæc profert. *Principium alimenti & humidi, & sicci, os, gula, venter. Verùm antiquius, & primordiale alimentum per abdomen vmbilicus*. Quorsum abijt cutanea alimenti semita? En principium, & ostium *alimenti sicci, & humidi?* An vapor est præter horum sortem? Aciem instaurabat Antiphanes, producto Hipp. clarè fatente 6. *Epid. Carnes attractrices ex ventre, & extrinsecus.* Sect. 6. t. 5. Neutri tractioni molestus sum, dicebat Aristogenes, & legitimum alimentum ex ventre trahi, si fatear, illegitimum extrinsecùs accedere concede, quæ mens fuit nostro Hipp. tractio-

nem laudatam suadenti hoc argumento. *Indicio est sensus ipse, quod expirabile, at inspirabile est totum corpus, calidissima venula sanguinis multitudine, id quod fuliginosum est exerit, & statim secernit.* Nam quòd necessariò cõsequitur excretæ fuliginis in locũ, aer ambiens est: hunc inducere recusauit breuitatis studio, sat ratus si transpirationem cõfirmasset, præterita euidentissima inspiratione. Vt igitur me recolligam, non Aer, non extrinsecũ, & quasi alimẽtum ab vltima parte interiùs se ingerit, sed remeat domesticũ à meta ad carceres, velut circuitu quodam perquàm necessario ad vitam, & animalium propagationem. Quæ vt audiuit Eudemus, non dum manum, inquit, de tabula, mi Aristogenes: edissere nobis postremum hoc Ænigma, ne videaris præ diuturno cum Hippocrate contubernio, affectare modò ex industria obscuritatem. Obsequebatur ille iubenti, & sanguinis reciprocationem, quocunque illa succedat modo, & vitam tueri dicebat, innato calori, & vltimo alimento collatis officijs. Redux hoc tandem peculiarem membrorum quorumcunque signaturam adeptum, cor repetit, instauratisq; viribus properat in vasa, stato loco, & tempore sobolem nouam editurum.

Feriante ore, possitne aliunde ali corpus?

LImites disputationis dubiò procul arctauit nobis nupera locorum difficilium explicatio, cui vt subscribã, dicebat Sergius, mihi suadet, quin vrget idemmet inductus Hipp. Hoc saltem fuit in lucro, vt non cõtrouersa superfit carniũ attractio ab extrinsecis partibus, quæ res facit, vt, necessitate cogente, loco aeris introducatur vapidum alimentum, immo rapiatur ab exuccis arterijs illic oscillantibus. Facilè posse, quinetiam in sanguinis officinam conscendere sperant, si vmbilico cibaria admoueantur, memores illinc processisse antiquam, diuturnamque corporis nostri alimoniam. Quod faciunt

ciunt

ciunt externi pori, dubiaque vasa, certiùs præstant mesaraicæ venæ, quibus iniunctum, nemine refragante, vt exugāt incessanter quicquid alimenti continent intestina, perque Portæ ramos, mox in sanguinem cudendum, iecori offerant. Iniecta proinde cibaria, debitoque cultu priùs apparata, confestim concedent attracta hepatis in ditionem, quod tamen certis officijs præuenit illorum aduentum, & domesticis infulis properantia exornat. Quid prohibet tandem quominus ab intestinis in ventriculū rectà concedat alimentū, magna penuria detentū? quæ res facit, vt trahat vehementer à vicinis partibus. Hæ verò reluctari nesciæ, cedent trahentis in obsequiū, inuersoq; ordine, quod alias per morbos contigit, semet contrahent, expromentq; in stomachum commissam sibi alimoniam. Quo ingenio scimus plures ægrotantes, quibus denegatus fuerat oris vsus, ad multos dies vitam prorogâsse, donec remotis impedimentis primæuus cibarijs restitueretur aditus. Aridos, marasmoq; iam penè confectos, balneis ex lacte, & iurulentis restitui, aut saltem iuuari, omnibus est in confesso. Feriari proinde nonnunquam os, & ventriculum euidenter, quod quærebat oblatum Lemma, iam satis, superq; patere arbitror. Quæ tamen haud planè cunctis satisfaciebant: quapropter data facultate non defuêre contradictores. Criminabantur alij nimiam licentiam in abdicandis organis, præter naturæ maiestatem, infractumque rerum ordinem. Malè audiebat apud nonnullos præpostera alendi norma, turpisque assentatio in credulum vulgus, gregemque garrulum muliercularum nostratium, quæ ientaculum se præbere autumant esurienti fætui, mox exultaturo præ admoto calido fotu. Suspiciunt, euehunt arcana sequioris sexûs molles Medici, vel nimis vxorij, quorum authoritate indicitur tandem præscriptio, & perpetuum contradicentibus imponitur silentium. Fas esse nihilominùs abdito in conclaui malè cohærentia concutere, & ad Lydium veritatis lapidem illa metiri. Committebatur prouincia Nu-

menio

menio ſeorſim cum Pamphilo tunc diſputanti. Quod vbi reſciuit feſtiuus homo, obuius nobis factus; referam, inquit, ſi vobis placet, amici, quæ dudum agebam in angulo. Haud deſino mirari, dicebat, nimiam mortalium confidentiam, qui leges naturæ præſcribunt, obliti penitùs firmarum illius ſanctionum à Mundi vſque incunabulis. Deperditam corporis noſtri ſubſtantiam reparari poſſe, nouâ introductâ ſubſtantiâ, Lex firmat, atque euidentia confirmat. Nullum cedere in vſum, niſi alteretur à peculiari membrorum calore, ratum eſt. Plures atque ſubordinatas ſubire coctionis ſpecies, priuſquam partium altioni reddatur idonea noua illa ſubſtantia, nemo controuertit. Neque præteribo, quod prioris error, aut vacatio, nequeat à poſteriori ſarciri, vel emendari. Veriſſima hæc fatebatur Sergius in naturali ſtatu, non ſi præter naturam conſtituatur animal. Vrgebat Numenius. Si in ſtatu naturali neceſſariò hæc requiruntur; ergo tantò magis in eo, qui præter naturam. Probatur conſequentia. Vbi læſio, ibi auxilium. Vbi maior læſio, ibi par auxilium: at in ſtatu morboſo maior adeſt læſio (quia morbus ipſe *formaliter*, vt habent Scholæ, nihil aliud eſt, quàm diſpoſitio præter naturam actiones lædens) igitur in morboſo ſtatu, præterque naturam, vberiora auxilia erunt deſideranda. At in ſtatu naturali gradariæ illæ coctiones creduntur neceſſariæ, vt cibaria in corporis noſtri ſubſtantiam cedant, atque tranſmutentur: ergo tantò magis in ſtatu præter naturam; vbi languent functiones, calorq; innatus fatiſcit, duplicari potiùs, quàm deſiderari debet progreſſus ille, atque iterata gradatìm alimenti confectio. Hanc verò actionem eſſe dicere quid refert? & probare dedecet tali in cõſeſſu. Quapropter liber in poſterùm cœptum dum proſequor iter, & naturæ œconomiam interim penſito; inutile prorſus, atque ſuperſtitioſum, quicquid alimentoſi extrinſecùs admouetur, exiſtimo. Laudatum balneum ex carnium decoctione, & animalium extremitatibus, viam ſibi præripit lentore; eſto penetret,

attra-

attrahatur, ne videar in fautores iniquus, aut nimis seuerus, quid succedet? vel conficietur succus ille à vicinis membris esurientibus, vel per longas, & inexcogitabiles ambages ad iecur penetrabit, euasurus in sanguinem. Primum si contingat; vacant iam Chylosis,& hæmatosis, iecur præterea, ac vẽtriculus: & quod grauiùs, valebunt infirma membra, quod firmis, beneque valentibus negatur. Leuiùs delinquet, si stomachi functionem solam declinet; nam iecori erit onerosum, penitùsque inutile. Sponsorem habeo Galenum, qui post maturam considerationem vtilitatis partium singularum, & ventriculi præsertim, hæc habet. *Promptuarium autem hoc alimentum vniuersum excipiens, ceu diuinum, non humanum sit opificium, subit primùm in cibarijs laborem, sine quo hæc sunt inutilia, in nullumque vsum animali commoda.* Cuius Autoris mentem in re controuersa apertè perspicere datur 3. *de Temp. c.* 2. vbi fatetur, neque vinum, neque panem, betam, aut mazam foris imposita nutrire, etiamsi per totam diem, ac noctem extrinsecus super corpus sint imposita. Verùm si authoritatibus, numeroq; Authorum est pugnandum, aiebat Sergius, à iure cades, Eumeni, quin & inductus à te Galenus nostram fouere non semel visus est sententiam. Ac primùm in Comm. tex. cit. *Carnes attractrices* &c. hæc habet: *Incertum est, alimentum ne dicat, an aerem: possunt .n. partes, quemadmodum ex ventriculo alimentum hauriunt, sic & ab externis partibus in profundum reuocare.* Prætereà feriari permittit ventriculum in disputatione, quam habuit cum Erasistrato: *licet ventriculus cibos omninò conterere non valeat, modò succos aliquos assumamus, vt multis in Nationibus Lac solent, viuere possumus: si sanguinis generatio tollatur, vitam quoq; tolli necesse est.* Constat igitur in Schola Galeni, non necessariam esse vitæ stomachi actionem, quum viuere possit animal, feriante ventriculo, & alimentum ab extima parte in corpus irrepere, absq; eo quod per os assumatur, præter contradicentium sententiam. Quæ tamen non ita facilè Eumenius

Gal. 6. de Placit. c. 6.

deglu-

deglutiebat,& inducti Erasistrati attritione egere asseuerabat, priusquam illa concoqueret. Nam quod attinet ad extimas partes, à quibus reuocatur alimentum in profundum,non sunt hæ mathematico more interpretandæ, sed physico, eaque in latitudine, vt profundum, non impartibile centrum,& extima pars, non superficies, vel linea circumscribens credatur, verùm corpora plus, minusuè remota, vasis conspersa, per quæ & mittitur, & reuocatur sanguis, vltimum sanguineorum alimentum, si quando vrgeat necessitas: hæc genuina mens est Auctoris. Qui tamen nusquam denegat ius suum ventriculo, sed constanti sententia præfecit semper coctioni, quanquam auersante Erasistrato, cui coctio sola attritio erat. At hæc in aridis tantùm locum habent, non in liquoribus, quæ ingeruntur, quod faciunt Scythæ galactopotæ. Coquitur nihilominus Lac illorum in ventriculo, euaditquè suo tempore in sanguinem, quo partes aluntur. Aut cæcutio ego, aut caligat amicus meus eruditione Clarissimus: qui elici hinc propositionem absolutam, non ad hominem pro stomachi ferijs autumat. Est tamen quod obseruem in nuper allata Galeni sententia, quod iecoris actio vitalis censetur, nempè, sine qua vita conseruari nescit, at vos magna facilitate iecur prætereuntes membris singulis vberrima alimenta paratis.Eadem confidentia, pariq; arbitrio reuocatis vmbilicum antiqua ad officia: rati vacuitates illas eodem modo nunc fore dispositas; quum tamen in solidum ligamentum iam coaluerint, suis muneribus conspicuum, quod dicere supersedeo, ne sim vobis onerosus. Obijciebat nescio quis, Aquam balnei, quæ per poros extimæ superficiei attrahitur, quare potest similiter attrahi succus ex re alimentosa. Audin aliàs, dicebat Eumenius, tali ratiocinio perperam suasos fuisse nõnullos celebres alioquin, atq; Emeritos in medica facultate: qui tamen si attentiùs rem considerassent, dubiò procul prehendissent, aliud esse attrahi, aliud confici. Data enim attractione, nulla sequitur substãtialis mutatio,

Steph. Roder. Castr. in li. de Alim. c. 3.

tatio, vitio apparatus materiæ, vt dicebamus ſuperiùs, indicio eſt fruſtrata inſtauratio. Experimenta parùm reſpondent. Balneum ex Lacte in Hectica parùm conducit, vixq; tranſgreditur officia lauacri ex dulci aqua. Superſtitioſa ſunt vnguenta illa refrigerantia, ac nutrientia, & quæ tribuitur illis recreatio, ſi vera, indubitataq; eſt, quod vereor, alias agnoſcit cauſas. Iam igitur conſtat, neque per cutis poros, neq; per meatus vmbilicales ſubire alimenta in viſcera: de iniectis alij iudicabunt, quibus (pace veſtra) locum cedo lubens, & volens.

Nutriantne Enemata?

MInùs ſibi ſupereſſe negotij exiſtimabat Sergius in præſenti diſceptatione, quandoquidem meliorum Authorum vnanimi teſtimonio, fidoq; euidentiæ ſuffragio, confirmatur perfecta altio per iniecta ad ſenſibilem temporis intercapedinem. Adeat, qui dubitat, præclaras Medicorum obſeruationes: ſciſcitetur Coriphæos, nullus dubio ſupererit locus, neq; deerunt inſuper rationum momenta, quibus enormis quorumdam ſuperetur peruicacia. Parùm refert vnde alimenta in corpus animalis introducantur, dummodo debitas aſſequantur, & ſubordinatas coctiones. Sic contingere iniectæ alimentoſæ ſubſtantiæ, haud ægrè probatur: hæc enim, vel ſtomachum ſubit, vel inteſtina non conſcendit, vtrobique primam experitur coctionem: igitur nulla cauſa eſt, cur ſuſpectus ſit nouus hic alendi modus. Nouum, dixi, vt Antagoniſtis in re leuidenſi morem geram, quum tamen ſecus conſtet apud C. Celſum, Aetium, Oribaſium, vniuerſamq; Pænorum familiam. Ne dicam Hippoc. cum H. Rubeo, quem ille perperam inducit Celſo fauentem lib. 4. Acut. t.20. (hoc enim candidè fateor) nam totus ibi eſt Senex in purgatione ſuadenda, quam ſi deiectæ vires, præ ſanguinis miſſione, non tolerant, ſubſtituit illi clyſmata, quod & nos præſtamus in Medicina ſa- In C. Cél lib. 3.

facienda: nēpè, vt quimus, quando vt volumus non licet. Ad rem. Rapi in ſtomachum iniecta, præſertim familiaria, & neceſſitate vrgente, hæc ſuadent. Si medicamenta infuſa, dum nulla eſurie premitur homo, in ſtomachum penetrant: ergo tantò magis alimenta, eſurie vrgente. Sed partem Clyſteris in ſtomachum introductam fuiſſe obſeruauit Galenus: igitur commodiùs potuerunt illuc properare alimenta. Non ambigitur, credo, an introducta iam beneficiū coctionis experiantur? Verùm ſtagnent in inteſtinis, neq; valeat natura cunctantia, velut manu trahere, vertentur nihilominus in Chylum ex loci fauore. Pro me ſtat Pergamenus, qui diſertis, atq; conſultis verbis talia enunciauit quandoq; *Coquitur quidem adhuc alimentum, & in ipſo per inteſtina tranſitu.* Similem hanc eſſe, atque æmulam illius, quæ in ventriculo celebretur, deducit ex ſimilitudine ſubſtantiæ inteſtinorum, & ventriculi. Vt igitur receptui canam, quum cibaria per enemata infuſa, vrgente penuria, quoquo loco illa trahantur, experiantur nihilominus naturæ beneficium, & in Chylum vertantur; dubiò procul peruicacis animi eſſet, hæmatoſim proximè futuram illis denegare. Quod ſi hanc admittere cogimini; alent igitur reliquorum eduliorum ad inſtar, iam in ſanguinem tranſmutata. Quæ tamen plurimi ex noſtris non tam facilè admittebant, vt ille rebatur, horumque nomine declinabat Antiphanes contortum in ſe telum ex Galeni obſeruatione ſingulari. Quod probationis genus, vt valet ad perſuadendum in Scholis Rhetorum; ſic inutile prorſus in rebus Phyſicis tractandis cenſetur, in quibus ex iteratis experimentis fit memoria, à qua elicitur tandem vniuerſale, quod ſcientiæ principium eſt, edictione Principis Peripateticorum. Subijſſe partem Clyſteris in ventriculum, tanquam rem monſtroſam, narrat Galenus, ſiue illud contigerit vi admixti pharmaci, vel artificis impulſu, aut præpoſtero tandem inteſtinorum motu, qualem experiuntur Iliaci; certū nihilominus eſt, hinc deduci minimè licere,

[Margin: 4. de vſ. part. c. 17 — beside "ſultis verbis talia enunciauit"]

[Margin: 2. Poſter. in calce. — beside "ctione Principis Peripateticorum"]

re, alimentosam clysmatum substãtiam ad ventriculum ipsum necessariò penetrare. Si familiaritate illud trahi credis, inuerso naturali ordine, præter id, quod petis tibi concedi, quod est in quæstione; familiarem magis dicam sanguinem tunicis vẽtriculi, quàm nullo nixu commodè trahit per venas sibi congenitas, & secundæ præsertim membranæ implicitas. Repetit insuper innoxiè, quam dudum iecori distribuerãt alimoniam. Pergameno Doctore, trahit & à contiguo Epipolo, sibiq; connato, qui Author tacitæ occurrit dubitationi in calce *cap.* 19. *Admirantur tamen nonnulli, si per quas venas priùs anadosis ad hepar facta est, per easdẽ rursus aliquãdo sanguis benignus recurrat, cum aliorum naturæ operum ignari, tum verò roboris in attrahendo instrumentorũ nutritione egentium: de quo in aliis demonstratum est.* Sic trahit à vicinis partibus prisca consuetudine, nulloq; periculo introducendi abominabile recrementum, cuius exclusioni sat cauit prouida Natura in stomachi conformatione. Hanc tamen minimè ociosam aggredi iniecta alimenta, eaque alterare, non dubito, nam & inter dentes micæ superstites, partium adiacentium fauore, promoueri se testantur. verùm non est illa alteratio perfectiua, vt cum Scholis loquar, neq; terminatur ad nouã generationem, sed periculum imminet ne in corruptionem tendat: ac proinde *corruptiua* potiùs alteratio erit, & nuncupanda, & censenda. Vitio illi vertitur, quòd prudentem vẽtriculi operam minimè fuit substantia illa experta, ac proinde Galeni monitu, inutilis, in nullumq; vsum animali commoda. *Coquitur*, inquit, *adhuc alimentum in ipso per intestina transitu*, & verè adhuc, quòd dudum gratiam priorem recepit proprio in promptuario. Sed præstat Gal. audire loquentem. *Coquitur quidem adhuc alimentum, & in ipso per intestina transitu, vt in venis etiam omnibus sanguis, cum tamen neque intestinorum vllum concoctionis, neque venæ sanguificationis gratia extiterint: sed, vt antea dictum est, natura aliàs quidem organorum quoq; in melius simul vtitur, aliàs*

De vs. part.

3. de v. p. c. 17.

autem id necessariò sequitur omnia, quæ alicuius gratia extiterunt. Quemadmodum igitur venis, cum eas distributionis instrumenta fecisset, facultatem sanguinis generatricem indidit, ne, dum per eas fertur, tempus ipsi alimento frustra periret, ad eundem modum & intestinis, distributionis in venas gratiâ institutis facultas quædam concoctrix ciborum inest: quod fieri omninò non poterat, vt in commentarijs, quos de facultatibus naturalibus conscripsimus, demonstratum est, quin singulæ animalis particulæ virtutem quãdam haberent alteratricem. Iam verò intestinorum substantia haud multùm à ventriculo est diuersa: quô fit, vt, si facultatem alteratricem ipsis quoque inditam fuisse oportuit, ipsi ventriculo assimilem, in his quoque cibum concoqui necessariò consequatur: nam vt in hepate est velut officina sanguificationis, ita in ventriculo concoctionis: quod autem neque superfluorum prorsum delationis, neq; concoctionis gratia, sed, vt id omne, quod in ventriculo in chylum est mutatum, assumatur in venas, constructa fuerant intestina, hinc discas, licet. Hinc elice, primò, & per se coqui in ventriculo cibaria, cuius opera si prosequi studeas, adi eundem Authorem, paulò superiùs è suggesto nos docentem cap. 1. *Purgat enim ex ipsis, vt præparandi tritici periti, si quid terræ, aut lapidum, aut syluestrium seminum admistum sit, quæ perniciosa corporibus esse solent, ita & ventriculi facultas, si quid fuerit eiusmodi, pellit infernè, reliquum verò omne, quod fuerit naturæ vtile, vtilius adhuc ab ipso redditum, venis, quæ tum ad ipsum ventriculum, tum ad intestina proueniunt, distribuit.* Quæ omnia malè committerentur patulis intestinis, inque anadosim, ex officio properantibus. Accedit non leue argumentũ ex conformatione deductum. Nam quibus partibus attractione opus erat, eas Natura longis villis muniuit, his verò, Gal. obseruatu, carent intestina, solis transuersis contenta, nisi ad firmitudinem horum, & rectis quandoq; opus habeant. *Coquitur & adhuc*, ne pereat tempus, & refrigeret actio, dum confectum Chylum, iecori distribuunt intestina, seu per antiquas mesa-

Loc. cit.

mesaraicas, seu per nuperas Lacteas Asellij, concinniùs proinde foueri absolutũ chylum ab intestinis, quàm absolui tuemur. Suadet prædicata loci similitudo, quæ antiquo iure vim habet conseruandi locatum, non destruendi, aut alterius conciliandæ formæ, verùm antiquam proprio in subiecto conseruandi, quantumque in ipso est, tuendi, atq; promouendi. Quæ beneficia conferunt chylo, iam confecto in stomacho, intestina, non cibarijs violenter intrusis, & vacuitatibus excipientibus onerosis penitusq; insuetis. Plura dicere paratum compescuit noster Censor, monebatq; non reluctantes, sępiùs obseruatum necessitate vrgente, protractam fuisse vitam enematum vsu. Non negare, aliud mutationis genus consequi iniecta cibaria, præter laudatam Chylosim, corruptionẽ tamen haud nancisci actutùm, verùm medio illo temporis in spatio quoquo modo explere trahentium vasorum cupiditatem, & partium siccitatem ad tempus diluere; quando delere nõ datur. Parem vtilitatem præstare Tabescentibus aquam balnei, quæ suppetias fert membris, non tam alliciendo alimentum, laxatis partibus, quàm diluta ariditate, temperatoq; habituali calore, solidis perquam infesto, quod in Lampadibus oleo ardentibus fieri obseruamus, præ adiuncta Aqua.

Alaturne fœtus per extrinsecùs admota?

NOn indigna hæc pars est, quæ à vobis tractetur, aiebat Eudemus: quandoquidem sæpè vsu venit in Medicina facienda, vt prægnantes, acuto morbo detentæ, languenti fętui subsidium à Medico curante exposcant: qui tamen officiosè plura præstat, alimenta, fotusque adhibet, non absque prouentu. Sitne ille fortuitus, & officium superstitiosum, non vera ratione suffultum, hoc opus, hic labor. Euentum non reuocabat in dubium, qui inter nos Medicinam faciebãt: siquidem reuiuiscere mox languidos fętus, moueri, calcitrare, vt admo-

tæ sunt placentæ, aut carnium assarum frustula matris vmbilico, & pubi. Nouas proinde hinc suppeditari vires. incluso fœtui tam certum, quàm quòd certissimum: at nonnisi vegetanti, qua pollet, & proficit, illa deberi, cuius obiectum est alimentum, concinente Sophorum choro. Fluctuabant alij, parùm tamen inter se consentientes. Quandoquidem Præmigeni arridebat, suscitari innatum pueri calorem, & coctionem, admoto calido fomento, promoueri, reliquorum fotuum ad instar, quibus vis membri languens penè restituitur. Diceret Arist. quod de Balneo quandoq; pronunciauit, *& balneum concoquit, quanquam per accidens*, reuocato, nempè, ad officium innato calore, cui per se debetur nobilis functio. Introducere tentabant nonnulli alimentosam materiam, iam extenuatam, & suâ corpulentiâ exutam, ad penetralia fœtus vsque, sperantes facilem aditum per tubos arteriarum matris, aut saltem per cutis meatus, quibus superatis, facilè irrepit vapor altilis intra tenellum corpus. His iure contradicebat Antyllus, & cuncta recurrere fatebatur argumenta, quæ dudum excluserant externam alimoniam. Agamus nihilominus, dicebat, fiduciaria opera; penetret vapor maternam cutem, carnosam membranam, & musculos, impinget sine dubio in vteri, & membranarum corporaturam, quam superare arduum erit. At superetur tandem, quâ cymbâ lacum superabit, vbi fœtus innoxiè innatat, mergetur dubio procul, aut obruetur ichorũ copiâ, qui se peruadi nunquam patientur. Operosa in hac lucta, quantum temporis absumi censes, quantum necnon, si admissus cedere deberet esurientis in alimoniam? At confestim salit infans fotibus admotis: alia proinde, ni fallor, certi euentûs certior expectanda est causa. Vt fit in re dubia, multi multa dicebant, itumq; est varias in sentẽtias. Quapropter Eudemus opportunè dissidium composuit. Nouas fœtui accessisse vires ex administratis fotibus, non ambigitur, sint ne illæ vegetanti debitæ, an secus, nil moror in præsens, commodiùs

In Meteor.

pos-

possunt hæ spiritibus referri acceptæ, quibus datum, Hipp. monitore, vt impetum faciant. Non displicet caloris illicium: nam & manus calida ventri prægnantis mulieris admota concitat fœtum, breuique fouentem pulsat; quod officium nostræ obstetrices dicunt, *venire ad manum.* Sed breue illud est, atq; perfunctorium, nonnunquam & frustraneum, quum tamen frequentissimus sit euentus, quo de nobis est sermo institutus. Dicam quod sentio in re problematica, suum cuique permittens sensum; Acciri crederem externis officijs nouum fœtui alimentum ab vniuerso corpore parentis in placentam, seu iecur vterinum. Extenuari præterea sanguinem ibi stagnantem, excitari innatū fœtus calorem, cuius ministerio nouum, excultumq; alimentum introducitur tandem per vasa vmbilicalia, simul & cum vegetis spiritibus, labantis naturæ in subsidium.

De Ciborum delectu in acutis morbis.

EIa age, cur in tanto ocio necessarium negocium non aggredimur, ciborum nempè delectum in morbis acutis? Mirum profectò, quantas Neoterici quidam excitârint turbas, & quàm grauiter nobis succenseant, dum Antiquorum leges, vt credunt, violamus, Naturæ vim inferri, non releuari, ægrotantes opprimi, artē despectui reddi autumant: Parùm abesse, morbos manufacias, an verò iam factos impiè alas. Quæ dum proferret ex officio Quintus, arrectis auribus, nubilosaq; frōte Eudem. excipiebat: moræ tandē impatiens irrupit: Me me, qui adsum, in me cōuertite ferrū: iam hìc depono fasces, arbitriq; personam: mea siquidem res agitur. Vos pro virili insurgite: quam enim longo vsu salubrem victûs rationem maiores nostri, velut per manus, tradidere, propugnare intendo; nō quidem hostili, ac peruicaci animo (absit hoc à viro Philosopho) neque mulierculis morem gesturus, quarum metu audio non-

nullos ſimiolos, etſi ciborum conſuetam normam vituperant, obſequi, nihilominus (vt aiunt) nec lato quidem vngue recedere auſos ab imperatis; ſic improbè, ne dicam impiè

Laudamus Veteres, ſed noſtris vtimur annis.

verùm, quoniam experientia ſuprema ductrix in naturalibus, rationum momenta, veterumq; dicta ad lancem librata, hoc vnum aſtruere videantur. Magnum ſubſequetur emolumentum Medicæ Arti, maximum ægrotantibus, ſi quæ Medicinam penè eliminauerint, diſſidia componantur. Victûs namque inſtituendi ratio nō ſolum eſt inter primas, & vniuerſales [a] Medici actiones, verum [b] maxima pars artis, primuſque, & præcipuus curandi ſcopus in omni ægritudine. Quapropter rogo, ne vos pigeat, vel tædeat obiecta referre. Vix à Pamphilo extorſimus, vt improbum ſubiret laborem. Paucis, inquam, rem [c] abſoluam: nam quæ [d] opinionum eſt viciſſitudo. [e] monſtroſas Petronæ diætas reuixiſſe prædicant: licèt enim noſtrates Medici frugaliores forſan ſe præbeant, extare tamen in claris Italiæ vrbibus, qui acuto morbo correptis, carnes, & vina exhibeant. Nemini [f] verò dubium, ſanorum diætam ægris nocentiorem eſſe, quàm ferarū edulia ſanis. Quid etenim aliud eſt, incongruum offerre cibum, quàm [g] plenitudinem ſuppeditare, [h] morbos accerſire, naturæ [i] opera turbare? nam cibi quantum ægroti robur adaugent, tantū coctiones [l] impediunt. Iure ergo meritoq; Hipp. [m] ſanciuit, ciborū adiectioni intendendum multò minus. [n] Medici enim officium eſt, vt ægrum ſuperuacaneâ materiâ non oneret, eòque magis, [o] quòd impura corpora, quantò plus nutrias, tantò magis lædas. Corrumpitur [p] enim adueniens alimentum ab humorum prauitate. Sicubi non mens adhibenda [q] in omni febre ciborū concoctioni proſpicere magnopere oportet, [r] propterea quòd naturalis caloris mediocritas corrumpitur. Tantum verò, inquiunt, profecit aſſentatio, vt omnem antiquam victûs inſtituendi eliminauerit rationem. Exulauit [s] iam Ptiſana tot encomijs

a ad Thr.
b 1 1. Meth. 15.
c de rem. p.f.
d Ariſ. 1. Met.
e Hip. 1. Ac. 13.
f Hip. lib. de ve. m.
f 6 de v.ſ. ad Era. 6.
h Hip. 7. aph 67.
i Li. de v. p. c. 4.
l 1. ad Glau. 10.
m 7. Ac. 37.
n 1. c. 4.
o 2. aph. 10.
p G. in com.
q 1. met. 5.
r de f. n. 8.
s Ac.

comijs

comijs ab Hipp. in morbis acutis celebrata, vix retinemus coctura dubia nomina. Successêre iuscula carnium, contusa, pisces, olera, fructus horarij, bellaria, ac tandem quæcunq; libido ægrotantium dictat. An[t] non ciborum varietas, & præsertim vbi varijs constent facultatibus, nocentissima, vtpotè quæ ingesta ipsa probè concoqui prohibeat? Iam verò apud nonnullos tam religiosum est par ouorum, & panem ex iure ægris quibuscunq; præscribere, vt iam cesserit in cantilenam. Mitto quod oua victum constituant plenum nulli non calida, verùm contemptus ætatis, temperamenti, viriũ, & consuetudinis, cõtemptibiles meritò apud vulgares huiusmodi Medicos reddit. Hæc etsi vulgò nota, non vilia tamẽ, maiora subsequuntur errata, quæ sacrosanctas Veterum leges, hominumq; valetudinem euertant. Tanti namq; semper fecit Hipp. tempestiuam cibandi normam, vt post inculcatam doctrinam ad stomachũ ferè, historiam proposuerit puellæ leuissimo morbo tentatæ, quæ tamen ab intempestiua cæna defuncta est. Extulit Gal. decretum hoc, vnanimis recepit Græcorum schola, penetrauit Latium, ita vt Celsus aureum illud protulerit: Optimum medicamentum est opportunè cibus datus. Soli verò Medici nostræ ætatis, ne dicam nostrates, nescio quo veterno deuincti, aut incuriâ sopiti, nullum temporis, aut morbi vniuersi, aut particularis inuasionis agnoscunt discrimen. Instituitur primâ die ægrotantibus omnibus vnus, idemq; victus, quem neque morbi vigor minuit, nec declinatio auget. Quid perniciosius, aut naturæ infensius excogitari valet? Neq; verò ijs contenta vulgaris Medicorum turba, particulare etiam cibãdi tempus in singulis febrium paroxismis peruertit. Vix instat augumentum, quum sollicitus Medicus ptisanam ægro iniungit, reluctante stomacho, æstuantibus visceribus. Sin obijcias emergentem reuocari calorem, pudẽdo errore profert Hipp. authorem, qui cibum admittit, vbi calor ad pedes descenderit. Hæc referebat Pamphilus; quum senex iam sedato animo

t de Vic. C.1. t.18.

Epid.

l.3. c.4.

R. c. 10. t. 44. placidè ſic exorſus. Cibandi ſcopus vnus eſt tam ſanis, tum languentibus, facultatis, nempè, vitalis cuſtodia, quæ ſolam indicat alimoniam. Neq; aliter ſentit Gal. quamquam recenſet morbi vigorem tanquam alterum indicandi fontem, nec non tertium ex particularibus acceſſionibus ad perfectam, & indeficientem victûs rationem inſtituendam: vſurpat .n. tunc Indicationis nomen laxiori in ſignificatione, nempè, vt complectitur omne id, quod ſub conſiderationem medicam cadit. Extat verò eius rei abſolutiſſima ſāctio in com. lib. Acut. Morbi affectionem non tamquam cibi indicatricem, ſed tamquam prohibitricem contemplamur. Eiuſdem namque facultatis eſt alimentum indicare, & eius copiam appetere: itaut ſanos, non ſecùs ac ægrotantes ſaginaremus, niſi caſuum magnitudo, & futura cominùs lucta vires peſſumdatura cibum eriperent. Neque Medicus naturæ cuſtodiam relaxat, dum tenue præſcribit alimentum, verùm quò vnicæ humorum coctioni illa vacet, & ne diſtracta breui ſuccumbat, frugalem, atque opportunam ſubijcit materiam. Valeant Empiricorum agreſtes Boatus, valeat impudens temeritas, quæ nullo diſcrimine languidas ægrorum vires pleno victu opprimit, & extinguit. Quid inertius, aut pernicioſiùs, quàm imbecillitatem à cauſa morbifica opprimente illatam, confundere cum reſolutione ex morbi acutie inductam. His non diſſimiles ſunt Medici voluptuoſi, quos extollit vulgus, abſenteſque, inuito Medico, æmulatur, qui gelidam quotidie ad ſatietatē, poma varia, olera, & quod deterius, medicamēta niuata propinant. Neminem vino interdicunt; & quod ſupereſt, duriſſimas carnes, pulli ventriculum, & fruſtulum iecoris ex omento ægris frequēter nauſeantibus bis in die propinant. Sin tanti monſtri ab eis cauſam ſciſciteris, æſtuanti regioni aſcribunt, quum tamen pertriti illius meminiſſe debuiſſent, necnon deberent, æſtate cibos difficillimè concoqui, calorē verò aeris ambientis, cùm fundat humores, ac effeminatiorē faciat, cogere quoq; ad ciborū ſubtractionē,

Marginal notes: 1. aph. 11. & 12. — loc. cit. — c. 1. t. 41. — In Z. Bòuium. — Hipp. aph. 1. — Com. 1. aph. 15.

Verùm

Verùm quid operã perdo, hos.n.degeneres, atq; deuios, neq; si reuiuiscat, ad bonã frugem rediget Hipp. Seduxit alios non benè percepta Gal. mens. Etenim quò naturæ vires debilitarent, magno ægrorum dispendio oppositam sequuti sententiam, seueram diętandi formam in vnoquoq; corporis affectu imperant, etiamsi leuissimus, etiamsi longissimus. Succurrit obseruâsse me aliquando huius farinæ Medicum, qui adolescentulum ex venerea lue iam penè leprosum, importunissimâ inediâ macerando ad tabem ferè deduxerat; quinimò seclusa etiam proprij alexipharmaci virtute, debellaturum se morbũ publicè iactabat. Digni sunt, quos nec Hipp. moneat, nec rerum fida indagatrix experientia, toties reclamans, instituat. Parùm profueris, si obijcias, virtutis primam esse habendam rationem, Medicum propugnatorem constitui naturæ, non oppugnatorem: se namq; ingenuos vitæ patronos prędicant, reliquos verò etiam inuitos cogente veritate secum sentire iactant. Nam vbi quis pauciora dispẽdio offert alimenta, tunc virium moliri debilitatem; idq; sibi esse in optatis, quò morbi euitent acutiem, naturæ robur infringere. Proferunt suo placito consentientem Hipp. qui bonum athletarum habitum statim soluit, eaq; de causa senes minùs vexari prædicat acutis, nam cùm minus ob frigiditatem appetant, facillimè ieiunium ferunt. Quod sequitur euidens est, vt non solum præsente morbo, sed etiam instante, vel etiam leuissimo, ob incertitudinem, tenuissima cibandi norma sit instituenda, quibus consonat Auic. *Quũ ignoras genus ægritudinis, subtilia victum.* Euidentiùs verò Gal. à quo mutuauerat, quũ primò inuadunt morbi, & non temerè, & citra iudicium cibũ exhibere, etiã si paruus videatur morbus: ijs, & similibus suum exornant placitum. At si cubi ratum illud Philosophi minimum errorem in principio, maximum euadere in fine, iam quanta pernicie hoc experitur medica facultas, cuius principia vnicam in praxim conspirant. Explicabat Gal. quæ ab Hipp. dicerentur αἱ λεπταὶ

1. aph.
1. aph. 4
1. aph. 3
1. Epid. 29.
1. aph. 14

καὶ ἀκριβεῖς δίαιται,qua ex materia conſtituantur,quibus cõueniant. Nam quum ſanis plenum, & mediocre alimentum aſſignaſſet ad vires conſeruandas, & augendas, ægrotos tamen, etſi rarò, à pleno victu non relegauit, mediocrem verò,& fouentem vires in chronicis ſuaſit. Verùm in acutis morbis, ſolerti ſemper facultatis habita ratione, non quidem, vt inferũt, Medicus debet naturæ vires infirmare, ſed parùm inquit Gal. debilitatas conſeruare; nam ſi quales accepiſti ſerues, vel augeas, addes ſemper ad morbum. Ignoratio verò Dialecticæ præcipites ſæpè tales agit: nam quod per accidens virtuti cõpetit, non diſtinguunt ab eo, quod per ſe illi debetur. Deteriùs verò labuntur, quum particularem propoſitionem, limitibus coercitam, in ſuam diſtorquentes peruicaciam, tãquam abſolutam diuendunt. Soluit Hipp. athletarum euexiam,ſed vt corpus rurſus nutriri incipiat, veritus ne ſummum ad apicem plenitudinis deueniens retrò velut ruina quadam dilabatur. At febres ſenibus non ita acutæ fiunt, quoniam frigidum eorum eſt corpus; innato calore iam penè marceſcente, cuius inopiâ facillimè ieiunium ferunt: hæc eſt genuina Hipp. mens, non præpoſterum, quod inferunt; monſtrum. Verùm antiquus mos eſt ſophiſtis, multa congerere diſtorta, infida, atq; inepta, quò tyronibus, atque ineruditis imponant. Stet igitur antiquum dogma, naturæ vires ſemper eſſe tuendas,reſipiſcant aduerſarij,attentiuſq; verba Gal. obſeruantes,diſcãt, in morbis Medicum vires etiam augere,ſemper vero conſeruare, dum opportunum innato calori ſubijcit pabulum.

Illata roborantur: explicatur aph. 6.

DVrum videbatur nobis ijs ſubſcribere, quæ intulerat Eudemus, refragante præſertim Gal. poſteriſque Medicis aduerſantibus, quum tamen ſenex abundè ſe munitum
l. c. 1. Epid. prædicaret. At Sergius, quid forſan ægris indulgens patroci-

nan-

mantē induces Hipp. 6. aph. 1. lib. antiquo errore, ac repudiato ſenſu. Neque ſi exprobres, reſpondit, abſtineam, quò pateſiat ſciolorum iactantia; interim longè euidentiora proferam, vt illam confirmem. Augendas eſſe vires nonnunquam in morbis pleniori victu diſertis verbis docuerat olim Pergamenus, cuius præcepti theoriam accõmodat ſyncope ex tenuibus ſuccis, & febribus exoluentibus, poſthabita quinetiam repugnante inuaſione. Euidentiùs Hipp. dum carpit Medicos, qui in morbis non venarum exinanitione, ſed ſorbitione egẽtibus, venas concidere permittunt, cuius errati damna abundè proſequitur in progreſſu. Atque vtinam tot ſæculis intercurrentibus, nonnullos iam edocuiſſet experimentum, ita vt imbecillitates in morbis diſcernerent, quæ prę irritatione, aut venarum exinanitione fiunt, ne impudentis erroris grauiſſimã ſubirent calumniam. Contigit mihi quadrimeſtrem tertianarium ab orco reuocare, qui perpetua fame maceratus, qualem vix pleuriticus admitteret, ad extremam maciem deductus iam Tabis limina penetrârat. Huic opportunè cibus datus ſopitas vires excitauit, viamq; affectibus reliquis deploratis fugandis ita ſtrauit, vt intra menſem florida perfrueretur, atque inculpata valetudine. Præterea, velut minimè controuerſum, alimentũ omne, quum diffluentis ſubſtantiæ partem reſtituat, virtutem non tãtum roborare, verùm perpetuò augere, quod niſi deperditam corporis noſtri ſubſtantiam reſarciret, alimentum non eſſet. Verùm hæc adeò euidentia ſunt, vt ſi confirmare pergam, infirmare planè videar. Quare maiora aggrediar, illudq; vnanimi, ni fallor, Medicorum voto, ſupponam, cibi electionem, non ſecus ac eius quantitatem à viribus indicari. Quibus conijciendis, nõ vulgari tantùm trutina, verum exacta egemus libella, quò illarum cauſæ mediatè, vel immediatè, cõfouentes, aut deſtruẽtes ad amuſſim ponderentur. Recentiores, ſi quando mentem attentiùs dictis adhibuiſſent, vno calopodio, omnes non calcearent. Et vt liberè fa-

1. aph. c. 4. & 17.

2. Ac. t. 46.

t. 50.

1. Ac. t. 14

tear, vereor nedum Hipp. inducunt 1. aph. & alibi consulentem acutè ægrotantibus tenuem victum, errones hi absolutè acceperint, quod optimus Legislator quodammodò protulerat. Veluti si quando memor victu tenuissimo vtendum esse, quãdo morbus in suo vigore consistit, tu improuidus in chronici morbi, vel acuti non exquisiti statu, inedia, sorbitioneuè sola ægrotantes conficeres, fameq; perderes. Præterea victus plenus is dicitur, qui auget vires: verùm si absolutè acceperis, quomodo singulis poterit esse idem? Herculi bufago, oua, panis ex iure, carnisuè cõtusa, forsan erunt tenuissimus victus, qui tamen nonnullis mediocris, alicui verò etiam plenissimus. Iure igitur meritòq; Hipp. horum inscitiam redarguens scripsit, cibi modum non pondere, nõ numero, sed corporis sensu metiendum; Tenuiorem quidem in morbis nonnullis præscribens victum, proq; naturæ, & morborum ratione tenuissimum in statu, ita vt qui alicui foret mediocris, huic iam vrgente morbo pro tenuissimo habeatur. Si quãdo verò tenuem considerat victum in genere, videre est quàm cautè eius normas præscribat, damnaque indicet, ne improuidi, nimisq; methodo addicti, simul & cum methodo hominem perdamus. Verùm hæc repugnare dicebat Sergius Hipp. menti, quando in hoc totus sit, vt particulares constituat, non destruat species victus. Reclamare insuper eundem Medicinæ parentem proprio, atq; illustri in loco, ciborum adiectioni nequaquam esse intendendum, verùm subtrahere quandoque omninò expedire. An pugnantia docebit Hippoc. vel ei derogabimus, qui, iudice Macrobio, nec fallere, nec falli potuit? Tuum esset, aiebat Eudemus, optimum præceptorem à contradictione vindicare. At nulla subest, si quis Hippoc. mentem, sedulò attendat, respondit Sergius, in hoc enim totus est in aph. vt victum præscribendo tenuẽ, ægros ab erroribus deterreat. Neq; Hipp. dignitati, neque præsenti instituto congruum, dicebat Eudemus, vt nonnullorum intemperãtium consulens erratis,

[Margin notes: 1. aph. 8. — De v. med. — 4. & 5. — 2. Ac. 30.]

oleum,

oleum, & operam perdat primo artis in vestibulo. Quod si tenuis victus potens est obsequentibus vim etiam inferre, malè suadet Medicus ægrotantibus impossibilia. Neque si conuicijs propterea redempturus existimationem, intemperātiam ægri culpet, inscitiam excusabit capitalem. Excludit præterea Gal. intemperantes, asseuerans victum hunc esse periculosum, nam errores grauiùs ferunt, non quòd propter victum tenuiorem cogantur delinquere. Refragaris insuper aph. texturæ, habet enim absolutè, *in Tenui victu ægri peccant*, non enim existimo te verba contextus immutaturū, quod tamen aliqui nefario ausu committere non sunt veriti, pro ἁμαρτάνουσιν, ἁμαρτάνοντες vertentes. Quod verò subsequitur in aphorismo, *quò fit vt magis lædantur*; consequutionem quandam, ac probationem connexionem præferre potiùs videtur. Quapropter existimo Hipp. altiùs mentis suæ aciem direxisse, neglectisq; tam leuibus incitamentis, opportunissimū in Medica Arte pandere oraculum. Cuius interpretationi etsi multi hucusque suauiori nixu operam locauerint, eoq; nomine gratiā profiteantur, propterea quod non leue studium in locis conciliandis, & sententia explicanda contulerint, non ea tamen apud nos illorum est auctoritas, vt admissis incongruis commentationibus, ne dicam commentis, veritati aduersemur. Onerosum nimis esset singulatim confutare, quæ minùs arrident. Vnicam elibabo, cui communis consensus, authoritasque virorum, fidem impensè contulit. Existimant igitur Hipp. in proposito aphorismo compendiariam quandam tradere doctrinam eorum, quæ constituerat 2. Acut. Illius namq; ætate errabant ægroti, suadentibus Medicis Thessalicum illud Diatriton, quapropter vrgenti morbo cogebantur noxio alimēto corruentibus viribus suppetias ferre. Hæc illi suadent. Verùm quid opus erat Hipp. acta agere, vt sibi inoffensam breuitatem labefactaret? in re præterea tam seria poteratne, absque vitio, pernecessariam conditionem intempestiuitatis supprimere?

Idem.

At

At qui vniuersam aphoris. seriem obseruabit, præcipuè verò, quam Senex infert ex dictis, vbique opinionem hanc conuincet falsitatis. Verùm his missis, quô mens Hipp. elucescat, proferam contextus ordinem, atq; connexionem: primo igitur aph. admonens introducit candidatos in Medicinæ sacrarium. Quoniam verò, vt ipsi libuit, Medicina est adiectio, & ablatio, frequentiùsq; contingat auferre, quam addere, ablationem aggreditur confestìm, atque in 12. ex toto absoluit. Præcedunt optimo iure spontaneæ euacuationes, subsequuntur artificiosæ, præcipuè verò, quas vulgus in eucrasia despicit. Neque tamen in summa plenitudine extremam vasorum, viriumuè concidentiam permittit, quam methodus exigebat: siquidem extremas euacuationes, necnon refectiones fallaces, & periculosas semper fore prædicat. Aequissimi verò Legislatoris more, quod sibi nunc dari petebat, luculenter probat, atq; demonstrat in 2. lib. Hanc igitur occasionem nactus vitandæ concidentiæ, quum tenuis victus imperceptibili dissolutione corpus euacuet, nonnullis verò morbis, aut saltem particularibus eorum temporibus, congruere videatur, iure meritoq; eius damna recenset, quô à seuera illa diætandi norma, cauentes recedamus. Sic ille extremè tenuem diætam intolerabilem dicit naturæ nostræ, non secus ac extremam plenitudinem. Siste quæso, vimq; huius rationis perpende, ac in posterũ, si libet, tenuissimũ iam institue victum. His accedunt errata, quæ singuli ægrotantes seuera diæta cogente committunt, non solum, vt placuit Gal. in Com. quia natura à tali victu debilitatur, vel quia ad eum sit transitus insuetus, verùm alias ob caussas, quibus recensendis supersedeo, nam contex. ad se reuocat. *Quicumque enim error committitur*, vel à Medico, vel ab ægroto adstantibus, vel extrinsecis, duplicatur. *Maiorq; fit in tenui, quam in paulò plenitori victu.* Postrema hæc aphorismi verba Hip. mentem elucidant, tamq; bellè patefaciunt, vt nullus supersit scrupulus, ni tamen consueta peruica-

[margin: de Flat.]
[margin: aph. 51.]

cia

cia conniueant, aut distorqueant. Exemplo sanorum tandem rem confirmat: his namq; exquisita vtentibus diæta, verenda imminent pericula, ob idque peccant. Ita vt si rationum momenta pensitaturus dicta recolligas, hoc verissimum constituas ratiocinium. Vt se habent sani ad exquisitam victus rationem, sic & ægroti ad tenuem: at illi periculoso, quinimò fallaci, & indebito vtuntur victu: ergo & ægrotantes: verbum namque σφαλερόν, etsi vertatur periculosus, propriè tamen significat fallax, intimiùs verò spectanti, præsertim in superiori aphorismo, quum in chronicis tenues diætæ σφαλεραὶ dicũtur, vim habet indebiti, & falsi. Ridiculum planè esset, atque Hipp. dignitate indignum, sanos tenui vtẽtes diæta ob id tantum reprehendere, quod erroribus ferendis impotentiores se reddant, quum tamen nullo occurrente errore, latè, superq; criminandi sint, quod propriam euertant, ac demoliantur naturam. Congrua igitur enarratis tandem infert Hipp. quàm dissona à reliquis interpretationibus, his verbis. *Ob hoc igitur tenuis victus, atque admodum exquisitus, eo qui sit paulò plenior,* ἐν τοῖσι πλείστοισι, videlicet, *in pluribus magis periculosus, & fallax.* Nec sibi onerosum ratus item meminisse paulò plenioris victus, quô tenuissimam illam diætandi seueritatem paulùm declinantes, ægroti tutò consulamus integræ valetudini.

Hæsitantiæ nonnullæ in assertum aph. institutæ.

Qvamquam placuit ferè vniuerso cœtui plana aph. explanatio; mussitabant nihilominus quidam ex nostris, & clanculum inter se se digladiabantur. Quos tamen rogabat Senex, vt liberè propriam sentẽtiam proferrent, dictosque carperent, si quid minùs arrideret. Polliceri se gratiam, atq; palinodiam, si meliora adferrentur. Hortabatur Sosiam Antiphanes, vt denuò explicaret, quæ dudum obijciebat. Paruit ille, modestèq; repetebat, mirari se, primum quidem,

dem,

dem, si totus est Hipp. in constituendo tenui victu, cur interminetur, ægrumque, & Medicum ab illius obseruantia auertat? hoc verò ex allata interpretatione. Insuper, vel nobis inuitis, quibusdam morbis aptabitur victûs illa ratio, congruetq; particularibus temporibus. Ac tandem, si dictante methodo in vsũ venit talis victus, cur deflectere debemus ad pleniorẽ, posthabitâ indicationis energiâ? Soluebat non ægrè primum nodum Eudemus, negans hanc esse in præsentiarũ Hipp. mentem, vt vix constituat tenuem, sed præcepta tradere, Medicumq; instituere, quô cautè procedens, obuia pericula declinet in ægris curandis. Haud eliminari tenuem victũ, sed cautelis confirmari. Indicari quidem ab affectibus nonnullis, & particularibus morborum temporibus, at prohiberi non minùs varijs de causis. Quapropter in re ancipiti satiùs esse declinare ad paulò pleniorem victum. Sat constare, quòd is, qui nimis exactè methodũ seruat, simul & cum methodo hominem tollat. Magnum videbatur Sofiæ petitum, impunè posse nos quandoq; à methodo declinare, quod tamen verissimũ existimabat Eudemus, req; ipsa comprobabat. Fluxioni inhibendæ (dicebat) debetur reuulsio, hæc verò exigit, vt quàm longissimè fiat à membro, in quod fluxio decumbit. Hanc si extendas ad omne positionis genus, serum, aut nullum adferes auxiliũ, quod euenire in Pleuritide Gal. testabatur. Rem cõtrahamus ad alimentum ægrotãtium: neq; dubitare fas est, quòd Natura minimè ab opere est distrahenda, quo tempore maximè confligit cum morbo, igitur omnimoda feriatione ipsi consulendum erit, quô vnicæ materiæ morbificæ euincendæ vacet. Hæc indicit Methodus. Reclamat nihilominus eadem virtus, nunquam verò, quod nonnemo somniat, contradicit; siquidem vegeta, semper est in actu secundo, eiusq; permansio, quæ vita dicitur, solo stat alimento. Consequens igitur est, vt non reparatâ deperditâ substantiâ, dissoluatur tandem corporis compages, aut noua succedat materia deperditæ in

locum,

locum, contra quàm exigeret methodus. Rursus infestus erat Sosias, proque inedia pugnabat, asseuerans, quod externi alimenti vicem tunc commodè sustinebit internum, hoc verò non repugnare naturæ operibus. Respondebat Senex, quòd fluxa res est humanum corpus, præ igne, qui nos genuit, & in progressu destruit: at nisi externus prestò sit fomes, breui absumuntur probi succi in vasis contenti, aut degenerant aliam in naturam, animalis integritati penitùs incommodam.

Diluuntur obiecta.

NEque sat habuit hæc nobis inculcare Eudemus, verũ & nodos dudum obiectos soluere aggrediebatur, proloquio Gal. fisus. *Admiratione sanè dignum videtur, quamobrem fiat, vt Medici, qui artem eam tractant, in qua, an admota remedia profuerint, an læserint, experientiâ potest iudicari, nihilosecius tamen de ijs, quæ iuuant, vel nocent, maximè inter se repugnantes sententias protulerint.* Quadrat hęc animaduersio nostros in cõtradictores, quibus quotidiana valet testari experientia plurimos ex orci faucibus eripi, seruari innumeros damnata perperàm victus consueta ratione, quod maximum argumentum esse debet in re præsenti. Accedit, quod non ea religione Græcorum alimenta in morbis nostra ętate, & regionibus veniant eligenda, vt diuertere non liceat, consuetaque substituere, quum longo vsu iam constet, Nationibus quibusque sua esse edulia, diuturnaq; assuetudine migrâsse in naturã, adeptã gratiam indelebilem. Quantum verò huic tribuat Hipp. nôstis, contentus paulò deteriori cibo, dummodò gratus, atq; suauis, meliorem arcet, atq; excludit. Familiaris erat Græcis Ptisana, illâq; in mensa quotidie vtebantur, nobis verò exotica, forsanque exosa (quod malo cum suo expertus quandoq; fuit F. Valeriola) vixq; præscribente Medico penetrat ædes: proinde nostrates Medici debent è penu petere ali- 9. de Plac. c. 6.

menta, quæ neq; onerosa sint facultati, neque interpellent ab iniuncto sibi opere, verùm promoueant, atq; euehant. Nôstis, quod nutriunt, & concoquuntur meliùs grata: contra, ingrata fastidit ventriculus, & reijcit: quæ verò longo tempore consueta sunt, minùs molestare solent, edictione basilica, grataq; quisq; experitur: consueta igitur alimenta ægris condonāda. Nam subita victus immutatio citra periculum nō est, ne quid in corpore innouetur ab ea permutatione, monitu Auct. de Natura humana. Plena timoris sunt, quæ 2. Acut. de mutatione obseruat, & eousq; procedit, vt fateatur vitiosum victum cibi, & potus, semper sibi similē, ad sanitatem tutiorem omninò esse, quàm si quis subitò ad alterum, vel meliorem se transferat. Vniuersam transcriberem tractationem, si ocium suppeteret, verùm, ne vestrâ abutar patientiâ, satisfaciam primùm ijs, quę de alimenti noxa, ab incongrua quantitate obijciebantur, obijciuè debebant. Me iudice, vtraq; extrema, & pleni, & tenuissimi victus in morbis quibusque indiscriminatim, vitiosa sunt: non nego tamen, suum stare nonnunquam vtrisque locum, quanquam rarissimè: & quoniam Tyrones non erudio, sed emeritos alloquor, supersedeo ab improbo probādi, quæ dicebam, labore. Vlteriùs progredior, Gal. duce, victumq; tenuem statuo, non tam eum, qui fit per pauca, sed & alterum, qui per parùm nutrientia fit edulia. Hæc enim, etsi ardua, diuersaque primâ fronte videantur, egregiè tamen cohærent: non enim externi alimenti moles solùm attenditur, verùm profectus, atq; emolumentum. Quapropter, si febricitās tempestiuâ horâ, sex, octouè vncias humentis, coctiquè cibi assumat, cui heri, & nudiustertiùs vix octo solidæ libræ fuêre satis, hunc tenui victu vti, ni fallor, dicemus. Micæ panis modicæ, iure aquoso maceratæ, ignemq; expertæ, alimentum præbent promptum, sed non multum, illudq. facilè alterabile, quin & diflabile, si constat Coi Dictatoris prisca obseruatio, eorum, quę velociter nutriunt, veloces quinetiam fieri excre-

tiones.

tiones. In summa, negamus nostros ægrotantes non vti tenui victu: pauca namque assumunt, parumq; nutrientia cibaria. Nam de ouis Gallinarum sorbilibus, suo loco reseruamus disputationem. Interim monitos contradicentes velim, benèq; memores Hippocratici effati, neque à nobis discussi, quod si quid peccandum, declinare ad paulò pleniorem victum tutiùs sit, quàm in oppositum. Præter verò tanti Præceptoris auctoritatem, non deerunt solidæ rationes, certaque experimenta. Deducuntur illæ non ægrè à facilitate restitutionis in pristinum, si quid errare contingat, adamussim mediocritatis, quam modum, non pondere, & numero (vt dicebamus) sed corporis sensu metiri debeat cordatus quisque, Senis oràculo in lib. de Veteri medicina. Vbi locorum verendũ illud testatur, quod fames magnam potestatem in naturam hominis habet, & sanandi, & debilitandi, & occidendi. Siquidem irreparabilis est tunc nimiũ lapsus, vbi natura maximo est in agone, vrgetq; labantem implacabilis hostis. Haud perperã laudatus Auctor notabat *Malum febriculosum inimicum esse fami*, cunctisq; est in confesso, alimenti inopiâ acui bilem, vigilias induci, febrem excitari, præsertim quum rari sint acuti morbi, quibus tenuis ille victus debetur, eiusdem Hipp. testimonio. Prætereo plurima, quæ victum tenuem prohibent, quales sunt particulares Naturæ; ætas senilis .s. & puerilis, Anni tempus regio: nam Asiatici faciliùs inediã tolerant, ægriùs Europæi, & pro Regionis diuersitate succi præstantia, aut imbecillitas, vel in eodem alimentorum genere. Redeo rursus in viã, neq; multos superesse morbos obseruo, in quibus expetatur illa diæta. Dubio procul nil prorsus illi est cum nuda intemperie, minùs certè cum mala conformatione, omnium minimè cum soluta vnitate. Sola superest intemperies cũ materia, morbum efficiens acutum, qui tamen rari sunt, vt audistis, eximuntq; se à seuera illa norma, si humorum corruptio fuerit insignis, qua cum vt vires non consistunt, & miscere præterea, atq; diluere

6. epid.

1. de r. me.

luere necesse est nouam materiam corruptam, qua de re aliàs luculenter à vobis disputatum. Hæc pro alimenti quantitate cautè instituenda, quam tamen inuentu impossibilem dicebat Auctor libri de Diæta, non præsenti exactè præscribere impossibilem. Succedit electio, quam Nouatores nobis adimunt, arctisq; vinculis Veterum eduliorum nos mancipant, quo de negocio; etsi pauca pro re nata diximus, plura supersunt à nobis dicenda. Vnicum tantum addam verbum, pace vestra, amici, quod cibus vt alit, spectatur ratione substantiæ, hanc verò familiarem, & vniuersæ speciei, & singulis illius indiuiduis esse dicitur. Maximam vim habet totius substantiæ conuenientia, Galeni obseruatu, idiosyncrasias quis non admiretur, assuetudines dudùm extollebamus. Si quis verò curiosè dicta Veterum examinet, dubiò procul comperiet, non adeò religiosè vnicum præscripsisse alimenti genus, quia plura simul, & semel indicauerint per coniecturam. Vberem quidem fidem faciet Galenus plurimis in locis, probat verò vnicum eligere, qui excitatas turbas singulas deprimat, atq; sedet; est verò in *pri. lib. ad Glauc. in Cura Tertianæ exquisitæ*, vbi post vini exhibitionem, apparẽtibus signis coctionis, solida persequitur alimenta. *Cibi autem*, inquit, *quicunq; humectant, atque refrigerant, omnes vtiles sunt exquisitis tertianis, quantitas verò in ipsis sit tanta, quanta optimè concoqui possit. Ex Oleribus quidem Atriplex, Blitum, Lapathum, & Malua, & Lactuca, & Cucurbita; ex alijs verò, & Ptisanæ succus, & ex alica sorbitiones: & ex piscibus saxatiles; ex volatilibus autem, quæ mollibus constant carnibus: quæ autem talia non sunt, alæ. Testiculi quoque Gallorum, & Suum pedes, & cerebra: paruorum verò si etiam dederis carnem liquefactam, nihil nocebis. Sed & oua ad sorbendum sunt concedenda, & præsertim Vitelli eorum; nam hi faciliùs, quàm pars alba, concoquuntur. Ex fructibus autem permittendum est, vt illos degustent, qui nõ sunt omninò difficiles concoqui. Oportet autem abstinere à melle, sinapi, & salitis, atq; omnibus*

Margin notes: 6. de t. v. c. 1. (beside "duis esse dicitur"); c. 7. (beside "tianæ exquisitæ")

bus

bus acribus, & à vinis, & satis vetustis, & quæ naturâ sunt calida. Quæ sequuntur, modò animaduerte. *Hæc quidem sit victus ratio in pluribus, veluti ad coniecturam exposita.* Non igitur quis tum nos astringet, quanquàm parciores simus in victu instituendo, atq; frugaliores. Vltimam imponit manum, simulque finem controuersiæ, effatus: *Qui verò non sunt delitiosi, ijs talis victus est instituendus, qualem nôsti me aliquando instituisse in exquisita Tertiana, secundùm sermonem Hippoc. ex succo ptisanæ, vsq; ad crisim. Hæc quidem in exquisitis Tertianis seruare oportet.*

Propugnatur modus cibandi, & tempus.

RESpirabat Eudemus post varias superatas ambages, quē tamen refrigescere vix passus Antyllus, officiosè prouocabat, vt manum vltimam præsenti disputationi imponeret, aut differret saltem in crastinam NOCTEM. Nam graues, aiebat, adhuc manere scrupos, multo temporis dispendio obnixè superandos. Recusabat Senex, sat se virium recollegisse fassus, neque modicum præsentis NOCTIS GENIALIS superesse, erogandæ in rem perquàm necessariam. Quanquam ẽn. plurimas, aiebat, sustulit Gal. difficultates nupera narratione, discretam nihilominus quantitatem, tempusq; alendi, tam vniuersale, quàm particulare, controuerti adhuc, atq; impugnari. Principio durum in aggerem impingent: stat .n. pro antemurali magnus Hippoc. in aphor. *Et quibus semel, aut bis, & quibus plura, ne, an pauciora, & particulatim oporteat offerre, considerandum. Condonandum autem aliquid tempori, regioni, ætati, & cōsuetudini.* Sat hęc sunto pro damnata cibi repetitione singulâ die. Vix credo extare Medicos tam vecordes, qui eâdem victûs normâ à morbi principio ad exitum vsq; vtantur, nullâ statûs habita ratione. Si qui sunt, se emendent, ne propriæ existimationi, & alienæ, cui præsunt saluti, graui sint incommodo, maximo cum artis dedecore. De particulari alendi occasio- in aph. 17.

casione, in febribus præsertim, non diffiteor cum Celso, quòd cibus quàm integerrimus dari debeat, ob idque in interuallis, quod facit Gal. in cura Tertianæ nothæ. Verùm quotusquisq; nostrûm est, qui sustinere valeat, aut imperare audeat omnimodam cibi, & potûs abstinentiam per spatium naturalis diei? aliud suadet methodus, aliud exigunt vires, quarum custodiæ dexter Medici oculus destinatur. Quapropter qui Medicam descendunt in arenam, non è suggestu tantùm nos erudiunt, indulgent, vt quando calor ad pedes descenderit, alatur æger. Contingatne hoc in declinatione, an in secunda augumenti parte, quod aliquibus videtur, non disputo nunc: sat mihi est in præsens, nostro sic visum Dictatori, febre præsente ali posse, ac debere febrientem. Si medicinam fecisset apud Italos, non dubito, quin & in ipso augumento sorbitionem condonâsset: nam & posteriores Medici, vel in ipsa inuasione, sui exemplo, cibum nonnunquam dari suadent, atque præcipiunt, veriti virium exolutionem. Nos verò æstuantibus visceribus, propêsoq; corpore vniuerso in siccitatem, quid peccamus, si decoctum hordei crassiusculum, aut seminum frigidorum emulsionem ex aquis appropriatis, siti opponimus? Nunquam transcendimus vncias quinque, frequenter vnâ minùs contenti, qua modica sub quantitate, vt plurimum medicamenti, sic perparum alimenti non dubitamus. Præter verò enarrata commoda, illud insuper accedit, ne cogamur in ipso vigoris articulo cibum exhibere febrienti, cui nempè ex Medici præscripto contigerat per tres ad minimùm horas ante paroxysmum, modicum quid gustâsse, concoqui facile, & hinc, procedentibus principio, & augumento accessionis, iam absumpto viatico progredi ad declinationem vsque, seu infebricitationem, nequit ægrotans, qui tamen leuissima potione recreatus, pensum commodè absoluet, optatamq; continget metam.

[Margin notes: "1. ad Glauc." beside line 2; "de v. r. in ac." beside line 12]

An oua in acutis morbis exhibenda?

SVpereſt nunc, vt quæ bona fide perſoluere iam pollicitus fueram, opere nunc tandem præſtem, quo finem implicitæ diſputationi imponamus. Ne autẽ nouæ excitentur ambages, illud in primis ſtatuendum iudico, oua tripliciter conſiderari; vel ad ſpeciei propagationem, vel vt medicamentum, vel tertiò, vt ſunt alimentum. Primis poſthabitis, poſtremum hoc diſcutiendum eſt, An oua. vt ſunt alimentum, conueniant in morbis acutis. Ex pluribus autẽ fontibus ſummuntur ouorum differentiæ, prima quidem penès propriam ſubſtantiam, gallinarum enim, & phaſianarum præferuntur; Secunda autem penès tempus, nam recentia veteribus plurimum præſtant; Tertia penès coctūræ rationem. Tribus ijs differentijs à Gal. poſitis, quartam inſuper adderem deſumptam à viuifica irroratione ſeminis galli: oua enim ſubuentanea, ſi Ariſt. credimus, ſunt minora, iniucundioris ſaporis, & magis humida, quam quæ fœcunda gignuntur, quare inſalubriora ſunt exiſtimanda, quum altero quoq; principio humidum terminante deſtituantur. Oua igitur gallinarum, vtpotè quæ maximè parabilia, recentia, ſorbilia, maris ſemine aſperſa, acuto morbo laborantibus congruum eſſe alimentum propugnabo: vos interim pro virili contendite, an imbecillum ſenem loco dimoueatis. Quintus, qui omnium in ſe conuerterat ora, ſubridens incunctanter reſpondit: Iam campum abundè ſtrauiſti optime Eudeme, vt manus conſerere liceat. Verùm quoniam duplici nomine oua ſuſpecta habentur, & vt plenioreẽ exhibentia victum, & vt calidiorem, priòrem ego partem impugnabo, poſterioreẽ fælicius reliqui examinabunt. Eoq; libentius, quod iam aperto Marte Gal. aduerſus ſe pugnans nobis arma miniſtret, rationes fulciant, ſuadeant experimenta. Quis .n. tam hebes eſt, qui non aliquando obſeruarit collapſas vires ouo-

3. Al. fac. 22.

6. de Hiſt. a. c. 20.

2. Meth. 6. rũ vſu reſtauratas? His vtebatur Galenus in ſyncope à tenuiſ-
8. Cha. 4. ſimis ſuccis: hæc, inquam, exhibebat præ fame deficientibus,
5. de T. V. c. 6. nam in modica mole multam vim complexa cumulatim cor-
de vict. R. 4. roborant. Prætereà ſi ouorum craſſo, lentoque ſucco etiam
8. meth. 2. bonitas accedat, quid prohibebit, quominus multũ nutriant?
p. aph. 40 At plurimum includere alimentum, & victum facere plenum,
de ſucc. 6. b. 2. apertiſſimè teſtatum reliquit Galenus, ouorumq; ſuccum ſuil-
l. 4. c. 21. læ carni, cæteriſq; frumentaceis perſimilem in craſſitie agno-
uit. His ſubſcripſit Romanus Hippoc. Corn. Celſus, dum oua
reponeret inter ſemen gignentia, etenim cum ſeminis ſubſtã-
5. ſimpl. c. 29. tia, vt dicebat Gal. ex bona ſuperfluitate generationem ſortia-
tur, benè nutriant neceſſe eſt, quæcumq; ſemen procreare
poſſunt. Valeant ergo monſtroſę victus rationes velut per ma-
nus traditæ ad hæc vſq; tempora, quin potius reſipiſcentes ſa-
croſancta veterum decreta propulſata inertiæ ſuſpicione ala-
criter arripiamus. Quinimò, reſpondit Eudemus, diuturna ſe-
dulorum obſeruantia, ſecura conſuetudo admonere potius
debebant, vt poſthabitis curioſis, obſoletiſq; alendi modis, in-
quieta nouatorum ingenia, expertis, & tutis aquieſcerent. Ve-
rum falſa ſit obſeruatio, nulla conſuetudo: ſuadebunt ne An-
tiquorum integerrima monumenta? Elegantiſſimus Celſus,
lib. 3. Gal. cõ. cui plurimum iure tribues, cibum quam leuiſſimum febrici-
2. aph. 19. tantibus parari iubet; ſunt autem acuti morbi, aut febres, aut
Cel. 6. c. 6. non ſine febre, paucis exceptis. Cibus autem leuiſſimus eſt,
p. c. 18. ouum molle, imbecillimæ materiæ, & victum conſtituens te-
4. c. 4. c. 24. nuem. Stomacho quin etiam idoneum, & à quo minima ſub-
c. 26. ſequatur inflatio. Præterea victum humidum febricitantibus
p. aph. lib. de omnibus præſcribit Hippoc. at oua dant humens alimentum,
Ptiſan. ſi Galeno credimus. Eâ, vt opinor, ratione permotus in cura-
primo ad Glauc. tione exquiſitæ tertianæ ptiſanæ ſucco æquiparauit. Quod
de Cib. b. etiam alibi præſtiterat, dum æſtiuo ſquallori nõ mali ſucci hu-
R. 13. mens opponeret alimentum. Illud inſuper imbecilli cibi di-
6. Epid. 18. cuntur, qui valentibus, & manifeſtis qualitatibus carent: talia

ſunt

sunt oua. Postremò, cibus coctu facilis non est maximè nutriens, at oua coctu sunt facilia, eoq; nomine aceruatim reficientia pro syncope à Gal. laudātur. Suadebat quinetiam ratio, quando eorum, quæ celeriter nutriant, celeres fiant excretiones, quo sub cēsu habētur oua, cibi etenim humidi, glutinosiq; facilè permeant. Quod eleganter nobis insinuauit Plinius, nullus est alius cibus, qui in ægritudine alat, neq; oneret, simulq; vini vsum, & cibi habeat. Hinc videre est non inertia, aut ignauia, sed optimis Ducibus suadentibus, consueta, sed congrua, in acutis offerri alimenta. Verum vt omnes resecentur ambages, quandoq; morbi acuti nomen, & peracutos, & simpliciter acutos, & ex decidentia acutos sub se complectitur, in ijs singulis non vna eademq; conuenire potest victus ratio: & siqui ea vterentur, reprehendendi omninò essent, tamquam inartificiosi. Nam in acutis ex decidentia, non solū mollia oua, sed & carnes impune concedi possunt, quo æger ad statum vsq; perduret. In acutis verò, qui non vltra 14. aut 20. ad summum extendūtur, sorbilia oua laudantur, quod nullam vim naturæ oppressæ inferant molis additione, aut contumaciorem reddant morbum eam ab opere reuocando. Angustioribus verò limitibus coercemur in peracutis, vt qui statim ferè consistant, extremosq; habeant labores, summum nempè naturæ, & morbi conflictum breui finiendum, quorum ratione oua vtiliter interdicuntur, nisi tamen vires collabentes reclament. His peroratis, superest, vt opposita dissoluamus. Nā quod vires oua reficiant, etiamsi tanquam per se notum assumatur, ventilatione tamen indiget. Qui integra valetudine laboribus se conficiunt, nunquā deperditæ substantiæ mollium ouorum vsu satisfacient, experiantur Rustici, Athletæ, venatores, quibus & crassiora alimenta vix sufficient, etsi gentes quasdam extare tradunt Oonas dictas, quod ouis auium victitent. Neq; reualescentes mollium ouorum solo vsu, & exigua quantitate vires reficerent; nisi tamen primam emicationem

7. Meth. 8. Chat. 4.

Hippoc. aph. 3. de sym. c. c.

lib. 29. c. 3.

2. aph. 23

de alim. c.4. refectionem appelles, quando renutritio celeriter fiat per humida, sed ea tamen, quæ neq; diuturna, neq; permanens existat. Declaret ipse Gal. qui fame exolutos reuocat odoribus
3. Char. 4. alimentorum, refocillat alimentis, quæ aceruatim vires reficere possunt, in quorum censu oua sorbilia enumerat. Quod
6. c. de Alim. enim appositioni facile est, facilè etiam consumitur, & contra alteratu difficile, difficiliter consumitur. Video te statim obie-
5. de T. V. 6. cturum, oua alicubi à Gal. senibus interdici, tanquam crassi, lentiq; succi. At illud animaduertendum, non oua simpliciter, sed ἑφθά, scilicet aquâ durata esse intelligenda; sic transcripsit Aetius, euidensq; suadet coniectura, quando sub eadem recé-
l. 4. c. 3. seantur serie cum caseo, farre, cochleis, bulbis, carneq; suilla, crassissimis nempè alimentis, & athleticis, tardissimè, & paulatim nutrientibus, sic monuerat ipse Gal. cuius hasta propriū
c. 2. aph. 18. sanatur vulnus. Non dissimili ratione in syncope à tenuibus succis oua exhibet, verum non mollia, quando in huiusmodi affectibus cibi sint dandi, qui non admodū promptè diffluant, ex præsentis humoris actiuitate, & tenuitate, non tamen fortem, aut inexpugnabilem obtineant substantiam, ne rediuiuæ vires obruantur. Quod autem conuincere videbantur ratio-
5. de T. V. nes, iisdem refellitur artibus, quando id assumatur simpliciter,
8. meth. 2. quod pronunciatum est quodammodo bonitas succi simpliciter ouis competit, ea scilicet in significatione, vt opponatur alimento includenti plurimum inutile, atq; excrementitium, idque vnum esse in votis, & summopere expetendum Medico, vt vires tueatur, facili non minus, quā inculpabili alimento, ne superuacanea, impuraq; materia naturam oneret, alimen-
p. aph. com. 4. tiq; resistentia ab opere interpellet. Neq; vos fugiat victum tenuem dici, qui per pauca, aut parum nutrientia edulia procedit: ita vt si sub secundo censu oua nō contineantur, à priori tamen non excludantur, quando in pauca quantitate etiam ptisana hordeacea tenuis victus exquisitè dicitur à Galeno.
loc. cit. Plenum verò constituere victum oua, alicam, & pisces, si compa-

parentur, intelligo ad ptisanam hordeaceam, si vltra mediocritatem, deniq; si duriora coctione euaserint. Neq; Celsus dum oua inter semen gignentia reponit, sit autem semen exuperantia vtilis alimenti, exiguam eorum quantitatem intelligere potuit, qua cum vires vix sufficiant. Sic hebetasse telorum acutam aciem mihi videor Quinte; quod nisi contigerit, aut noua experiri sit animus, pugnam non detrecto. Paul. l.1. c.83. l.4. 5. simpl. 23.

Quæ sit oui temperies.

IAm acquieuerat Quintus, quum Præmigenes alteram problematis partem impugnaturus: puderet me, inquit, ornatissimi viri, rem medicam cum Medicis tractare, nisi naturalis Philosophia, & Medicina; tã arctis iungerentur inter se vinculis, & ni vestris disputationibus Æsculapij sacris initiatus, inuia nonnulla iam peruia essent reddita. Dubius erat altero nomine ouorum vsus in morbis acutis, quoniam, vt dicebatis, acuti morbi quum sint febres, aut non sine feb. sit autem febris superans calor totius corporis, si oua calida esse conuicero, inepta omninò erunt acuto morbo laborantibus. At illud aperto, vt dicunt, ore pronunciauit Arist. vt nefas sit tanto refragari coryphæo. Neq; si de oui albumine hoc prædicet, euitatur difficultas, quoniam albumen luteum duplo excedat. Præterea si oua possunt vires reficere, ergo augent calorem. Protensam enim habent solida corpora naturam hanc, quæ eorum est virtus, insuper quicquid substantiam alit calidam, calorem eius auget, & tuetur. Prætereo Gal. placitum, quibus mordax cal. non est adeo, vt fumida gignat excremẽta, quæ conducit esse boni succi nutrimentum, in quo nihil insit acre. Sed illud magis vrget, quod oua reparando semini aptissima creduntur, semen autem spiritus, & natiui caloris est vehiculum. Hæc habeo, quæ obijciam, minora forsan vestra expectatione, sed ea tamen, quibus persuadear, quousq; meliora adferantur. Strue- P. , sect. prob.21. 3. de G Al.c.1. 8. Char. 4. 5. de T.V. c.12. Cel.4. 4. simpl. 6.

re

re quinetiam è directo nouas liceat copias, inquit Eudemus, priusquam tuarum vim, & robur cominùs experiamur. Non dubito quin mulicrcularum vulgo, & nebulonum, hæc noua, & ridicula videnda sint, idq; poterat me ab incepto reuocare; quæ misera est huius sæculi conditio, nisi cordati viri, quibus cano, & musis, veritatis optatissimo calcari aliquando impulissent, & vt liberè fatear, non desino mirari, doctos alioquin, expertosq; viros, non tantum patienter aures accómodasse, verum tam oscitanter loca obseruasse, quibus vulgatæ opiniones huius absurditas conuellitur. Occurrunt passim in Gal.lib.; verùm nonnulla adnotare sat erit; & primò curaturus
de Suc.b. n.13. ipse squallorem ex laboribus contractum in homine temperato, refrigerandum, & humectandum præcipit, vitatis cibis mali succi, paucis verò interpositis, oua tremula admittit. Nó
p.ad Gla uc. c.9. dissimili ratione in cura exquisitæ tertianæ vtiles existimans cibos, quicumq; refrigerant, & humectant, oua sorbilia recenset. Verum in capitis dolore ex ebrietate boni succi cibis, non
2. Chat. 1. tamen calefacientibus vtendum sanciuit. Sunt autem tales, inquit, ptisanæ succus, sorbitio ex alica, panis ex aqua, & oua sorbilia. Quod etiam confirmauit compẽdiario illo libello de Remedijs par.fac. Qua de capitis dolore ex meri haustu, nullis ferè immutatis verbis. Expugnet tandem crassam vulgi per-
11.simpl. uicaciam Gal. authoritas, vbi ex professo examinans oui naturam, hæc habet. Temperamentũ porrò symmetro frigidius est. Sed hac ignoratione lõgè deterior est cœcitas in quotidianis
11.simpl. experimentis, dum phlegmonas carnosarum, & neruosarum partium, ambusta, ophtalmias, sanguinis profluuia ex dissoluta vnitate, ouorum applicatione arcemus, & curamus. Quibus Præmigenes interruptis; at non quia frigida existimabam oua vulneratis applicari, quicquid sit de reliquis, sed quoniam sua lentitia glutinant, atq; ita intumescere non sinunt, sic me do-
Prob. 5. 5. cuerat optimus Aristot. Cur ergo si visciditas expetit, obiecit Eudemus, ouorum loco non supponimus viscum? si repudies
acre,

acre, & calidum, habeo intentum. Verùm, quod frigiditas expetatur, neq; ipse pernegaret Arist. pars .n. collisa dicebat, humorem trahit, intumescitq; propter feruorem: continui diuisioni glutinationem oppono, feruori refrigerationem. Neque si subsequentia adducas verba, aliud persuaseris; oua sua lentitia, inquit, glutinant, atq; ita intumescere non sinunt; tumoris .n. efficiens immediatum est feruor, non solutio: quòd si esset, non ea poterat glutinantibus fieri vnio; quæ statim consisteret, interceptis interim sanguine, & impetuosissimis spiritibus ad noxij, & corrumpentis expulsionem festinātis concurrentibus; sed hæc problematicè perorata. Illud insuper, oua nō esse calida, immò frigida, conuincere potest, quod victus imbecilli frigidi sunt, valētes verò calidi, at imbecilla sunt oua, frigida igitur. Minor, quæ controuersa videtur, sic luculenter probatur. Quoniam quæ carent euidentibus qualitatibus imbecilla sunt: oua autem existimantur medicamentorum materia, quoniam validam vim nullam obtinent. Nunc autem insignē Arist. locum à te adductum, exquisita trutina examinemus, quando Philosophis, & Medicis quamplurimis imposuisse videam. Sed vt liberè fatear, miror huius nodi non obseruasse explicationem in ipso Arist. qui oui candidum non simpliciter calidū dixit, sed calorem habere animalem; naturam nempè eam, quæ in spiritu residens proportione respōdet elemento stellarum, à qua fœcunda redduntur semina, idq; non ignis, neque ab igne prodiens, quoniam ignis nullum animal generat. Verum illa expetebatur qualitas in proposita quæstione, quæ ab elementorum mixtione in ouo resultaret, cuius ratione albumen frigidum non veremur iudicare. His objiciebat Præmigenes, quod si albumen, si albumen elaboratius est, viq; caloris ad hoc deductū, vt genitalem recipiat virtutem, verisimile videtur, vt ex diuturniori actione calidius luteo iam longè, latèq; euaserit, eoq; magis, si vegetali non destituitur anima. Sed quid moror, inquit, iam ipsum audiatis Arist. lo-

11. simpl.

6. Epid. t. 11.

11. simpl.

3. de G. A. 1.

loquentem. Sanguinem materiam esse corporis, dictum iam sæpius est. Pars igitur eius, quæ calida est, propiùs ad formam in membris instituẽdis accedit, quæ autem terrenior est, corp. institutionem præbet, & remotior est, sic ipsas inter se contrariam obtinuisse naturam dicebat; luteum nanque gelu duratur, calore humescit, nec quum ignitur, aut assatur, durescit, quum naturæ terrenæ est, vt cera, albumen contra ignitum solidescit. Eapropter luteum, & candidum membranis inter se distinguuntur, quasi naturam habeant diuersam. Egregiè instaurata est acies, omnes conclamarunt. Immo res deducta ad Triarios, inquit Eudemus. Intrepidus tamen veritatis diuino ancyli tectus in arma ruam, Nullius addictus iurare in verba magistri. Non ignoro doctissimos viros, dum Auer. euasiones redarguunt, deteriùs Auer. lapsos, vimq; naturæ intulisse, cuius in patenti libro, cæteris posthabitis, licebat hæc omnia rimari: quod nunc facere aggredior: nam Medio posuit Deus omnia campo. Integrum ouum, & præcipuè eius albumen, vel simpliciter, & in se spectatur, & sic frigidum inuenies, est enim terreum, & aqueum, minimam participans aeris portionem, quam tamen eiaculatum, magna ex parte intulit. Quod si non vniuersim consideres, sed respectu corporis humani, sumus enim & nos quodammodo meta, & finis omniũ, duplicem obtinet vsum, & alimenti, & medicamenti, neutro autem modo calefacit, sed manifestam in corpore gignit frigiditatem, minorem quidem albumine efficit luteum, phlegmonibus tamen egregiè medetur; vsta lenit, dolores digerit, soluit, vel saltem mulcet, quoniam in mediocritate positum, vtrisq; extremis opponitur æquè. Elucescit quinetiam maior caliditas in facilitate coctionis, nam quod calidius, faciliùs etiam concoquitur Arist. albumen ægrè, vitellus faciliter: calidius ergo. Leui insuper ignis operâ è luteis exprimitur oleum, ligna verò aridissima albumine illita, & exiccata, præter opinionem flammæ resistunt. Tantum igitur abest, vt oua calida

[Margin notes: 1. de Hist. Al. c. 2. — 3. de G. Al. c. 2. — 27. Phys. — G. Al. 6. — 12. Meth. — p. ad Glauc. 5.]

lida

lida albuminis merito ſint cẽſenda, vt ijs ea ratione inſignis accedat frigiditas. Poterat quidem diuturnior caloris actio ſcrupulum inijcere: at illud erat animaduertendũ, æquè perpeſſos luteum, & albumen, verùm materiæ ratione luteum naturæ terrenæ, ob idq; ſiccius, calidius etiam euaſiſſe: admittere libuit dubitationem, etſi iniquam, quando calor innatus, primum animæ inſtrumẽtum, non pro modo ſui, ſed animæ gubernantis agit, & efficit; neq; nuda eſt qualitas, ſed ſubſtantia, tali, tantoq; qualitatis inſtrumento vtens: hinc apparent concocta vlteriori coctione aut temperari, aut refrigeſcere, verè autem tẽperãtur, deducta in perfectũ hominis alimentum, membrorũ actioni reſpondens. Exemplo nobis ſint ſpiritus animalis, cartilagines, oſſa, & nutritio cæterarũ partiũ ſpermaticarũ. Neq; verebor adnumerare lac, & ſemen, quãquam ob vegetã animã calidam exiſtimes, quam tamen in ſeminibus contra recentiorum placita non agnoſco: aliàs verò ex lata lege hoc diſcutiemus. Fugam non meditor, nam vegetâ etiã admiſſa, argumentum petit, quod erat cõtrouerſum: anima ſtat calore, ſed animali, non mixtionis, quod erat probãdum. Maius ſupereſt negocium cum Ariſt. cuius verba primò contrarium ſonant, intimius verò ſpectanti, graphicè inter ſe conſonant. Lubens omittam ſingulas cõtrarias partes, Philoſ. enim, vtpotè facundus, & ingenioſus, varia congerit: noſtrũ v. eſt, ea tantum, quæ ex proprijs, non communibus deducta principijs, trutinare. Sãguineam igitur materiam eſſe corporum, viuentium nempè, & ſanguineorum, veriſſimè dicitur, quoniam ſanguis vltimum alimentum ſit in ſanguine præditis, Ariſt. huius pars, quæ calida propius ad formam in membris inſtituendam accedit, opus .n. caloris, eſt fabrefacere, diſtinguere, terminare, ad certam formã dirigere: at cuius nam caloris? animalis, non mixtionis. Superſedeas, quæſo: Philoſophus .n. egregiè rem explicabit. Nulla in ſanguine reſultat caliditas ab elemẽtorũ mixtione, at ſola dominatur frigiditas, quod clarè explicauit Ariſt. inquiens: *Nonnulla ex ijs ne dici quidem ſimpliciter calida, aut non calida poſſunt, ſubiecto .n. quod tandem ſit non calida ſunt; ſed per aſſociationẽ calida ſunt, velut ſi ferro calido, aut aqua nomen impones:*

(margin: 5. de G. A / 2. P. A. 2. / 2. de p. 2. 2.)

hoc

hoc .n. modo sanguis calidus est. Cùm igitur proprio careat calore, supereſt vt ſolo influente caleſcat, qui animalis dicitur à Phil. iureq; in candido reponitur ne diffluat: viſciditas.n.ſpiritum irretit, vimq; animalem coercet, vim verò talẽ non habet calidũ genitale,& ſpiritus,vt ſubiecti temperiem mutent. Aptam quidem reparant oua materiã calori natiuo,non ſecùs ac panis amygdalæ, nuclei pini,& ſimilia,quæ nõ effectiuè, ſed materialiter,aut ſubiectiuè, augẽt in corpore calorem. Reclamas cum Gal.quicquid ſubſtantiã alit calidam,calorem eius quadantenus auget,& tuetur. At non ſimpliciter pronunciat,verũ ſecundùm quid: ſecùs.n. omnia, quæ conficiuntur alimẽta, calida dicenda eſſent, piper verò incõfectum frigidũ. Cicuta per ſe frigida ſturno fit primò alimentum, deinde calorẽ eius auget, & tuetur. Lactuca in homine probè cõfecta,innatum eius calorem auget; quis v. mentis cõpos cicutam, aut lactucam calidas,inconfecta v.aromata frigida eſſe pronũciabit? ouum igitur exuperantis caloris expers,ac moderatę frigiditatis particeps aptam calori natiuo ſuppeditat materiã, quo ſubſtantia eius augeatur,non intendatur qualitas,quò nulla eius futura ſit ſuſpicio in calidis, & acutis affectibus. Obijciebat Præmigenes,ouum facillimè ſubſtantiæ ſimilitudine bileſcere,præcipuè v. æſtuantibus viſceribus. At,ſi tam ſuperſtitiosè alimenta obſerues, dicebat Eudemus, neq; aquã propinabis, vt quæ feruente ſtomacho bileſcat. Sed quàm opportunè propinent iulabbia,ſyrupos,& condita,videant ipſi. Quid verò per hanc ſubſtãtiæ ſimilitudinem velint,ignoro: vel.n.totius ſubſtantiæ eſſentiales partes, materiam .ſ.& formam,vel accidentia intelligunt: ſi poſtremum, miſeranda eſſet inſcitia extrinſecis accidentibus rerum eſſentias venari. Sin aũt omnimodam temperamẽti ſimilitudinem intelligunt, nullam mutuò accipient mutationem; omnis .n. actio eſt de contrario in contrarium. Quod ſi conuenientiam ſolam,hæc vel habilitate patiendi,vel ſymboleitate actus continetur,vtrũq; pręter veritatem: nam refragatur bilis actiuitati viſciditas, illudit calori oui propriũ temperamentum,quum ſymmetro ſit frigidius. Sic ſedatâ controuerſiâ, Seni fælicem Noctem precantes diſceſſimus.

[Marginal notes: 3.de g.a. (beside "supereſt"); 2.ſimpl. (beside "uè, augẽt"); 3.f.n. vlt. (beside "ra ſit"); lib.Acut. (beside "dicebat Eudemus"); 2.ſimpl. 26. (beside "mutuò accipient")]

NOX

NOX GENIALIS SEXTA.

Medica recitatur Historia.



INduxerant iam obſcuram nocturna crepuſcula noctem, flabraque rigentis Boreæ noſtrum maturauerant cōgreſſum, nec vacuum tamen opperimur locum, Genio pridem dicatum. Siquidem præuenerat nos haud ex plebe, Chirurgus, qui ſchedulã, neſcioquam, Eudemo attentè legebat. Vt verò perſenſit Senex noſtrum aduentum, indicto ſilentio legenti, aſſurgens, blandiſſimè nos excepit, igneque inſtaurato conſidere iuſſit; mox inquit: Niſi graue vobis eſt, amici, funeſtam audire hiſtoriam Magnatis illius pridie extincti, dum interim conceptum frigus arcetis, fidelis adeſt enarrator, atque inſpector. Aſſentimur cuncti, factoq; ſilentio exorſus eſt ille denuo è ſchedula talia recitare: Anatome Cadaueris Illuſtriſ. Viri N. peracta 16. Februarij, poſtridie qua denaſcitur difformis ſtatus membrorum primo intuitu. Exaruerant facies, pectus, dorſum, & manus tota, enor-

enormiter tumeſcebant reliqua. Iugi inſuper aquæ ſtillicidio manabant crura, cutaneis confecta vlceribus, hiſque peſſimi coloris. Secto Thorace fons aquæ ſordidæ erupit, in quo pulmones natabant flaccidi, liuidi, veſicis, & vlceribus in ſuperficie ſcatentes: dexter quidem peculiari ſorte minùs vitiatus, quanquam corruptam ſaniem vulneratus euomeret, ſiniſter verò penitùs corruptus, atque marcidus ex liuido colore in atrum degenerabat. Exangue penè cor erat, aridumque, atris nonnullis ſanguinis grumis refertum. Non diſſimili ichore, illoq; flaueſcente, madebant naturalia viſcera. Hepar obſeruabatur ſubalbidum, duriuſculum, mole ſatis magnum, puſtulis cineritij coloris in ſuperficie deturpatum. Lyen huic æmulus, præterquam in magnitudine, nactus enim illam erat perexiguam. Ventriculus, & inteſtina gracilia erant, nec non liuentia, meſenterium exuccum obſeruabatur, & ex carne, prauo humore flaueſcente imbibitum, frequentibus tamen venarum obſtructionibus, velut nodis refertum. Conciderant magna illa vaſa, Vena, nempè, caua, & Arteria magna, ſanguine orbata, qui verò ſupererat, dilutiſſimus erat, atq; ater. Scrotum parui follis luſorij ad inſtar tumeſcebat præ imbibito, contentoq; humore, quod & femoribus, & cruribus contigerat, grauiùs laboraturis, ni quotidie eructaſſent ad dies 35. vncias 42. circiter Ichoris putridi, quæ ſupputatæ pendent libras Medicas 122. cum dimidia. Proh quantum mutatus ab illo! inclamabat Eudemus: Euſarcos nanq; ille erat non multis ab hinc annis, colore floridus, firmis viribus, ingenio promptus, quanquam Lyæo nimis addictus, quæ familiaritas pulmonibus infeſta, nupero, frequentiq; noſtrâ ætate experimento, ſuſtulit Egregium Virum, vix quinquagenarium. Benè eſt, dicebat Sergius, quòd hæc tuo in conclauij muſſaueris, Eudeme, ſecùs litterariam, duramq; committeres pugnam extero cum Athleta. Iam deferbuit ardor, reponebat Eudemus, non curioſitas. Huic ſatisfacere potis eſt Antyllus, qui conſultationi inter-

interfuit, dicebat Sergius. Rogatus ille, quanquam inuitus, sic auspicabatur. Nobilis ille quatuor ab hinc annis, vt audio, leui tentabatur spirandi difficultate, dum velociùs incederet. Assentabatur sibi tunc, caussatus subortam ventris pinguitudinem, donec præ irâ grauiter incadescens, incidit in spirandi difficultatem, ferèq; in orthopnæam. Euasit tamen aptis præsidijs, profuitq; euidenter phlebothomia, sedato, melius dixerim, pacato, pectoris incendio. Aegriùs nanq; spirauit ab illa die, velutq; recens onus pectori incumbere querebatur. Paulò post intumescebant malleoli, compendio respirationis, at malo cum suo, hinc enim seductus morbum neglexit, Genioque vberrimè litauit. Augebatur in dies tumor ille crurum, nullo tunc spiritûs leuamine: quapropter serò admonitus Medicos consulit, admittit præsidia, proficua experitur, donec intemperantia contractum profligauit beneficium. Recruduit morbus, cunctaq; exacerbabantur symptomata. Quapropter necessarij, & cõsanguinei de illius salute anxij, noti Orbis Medicis parùm fidentes, nostro ab Orbe diuersum Medicum accersunt. Is, vt audio, ne sibi deesset, morbum extenuabat, prosperam pollicebatur curationem: quibus artibus depressit domestici Medici existimationem, propriamque extulit. Tenui hac victoriâ, neq; contentus, nouo inhians triumpho, Medicos quoscunq; conuocari auebat, ne dicam iubebat: obtinuit vt accirentur duo Vrbani, non vltimæ notæ. Præscriptâ die consultaturi conueniunt. Proponit historiam Medicus domesticus, obseruatur æger erectâ ceruice, vix spirans, macie deformis, ventre tumidus, scroto, femoribus, cruribus, ijsq; vlceratis ex disruptis hydatidibus, hinc profluere aquarum colluuiem parti molestissimam, ob contractam acrimoniam. Sensus interni, externique haud malè se habebant, secusquàm faceret vis lacertos mouens: succumbebat nanq; facultas corporis mole. Cor pessimè affici indicabant micantes venæ, nam febrilis intemperiei à putrescente humore certa aderant indi-

cia, pulſus frequens, celer, inæqualis: his accedebat crebra, inordinataq; interceptio, minima reſiſtentia, paruitas, durities, & quod grauiùs, non infrequens lypothimia. Calor in partibus ſuperioribus mordax, qui tamen in inferioribus diluebatur ab imbibito humore. Color faciei liuidus, exerti oculi, tuſſiebat per interualla, nilq; educebat, ſufflans ſpirabat, intentis quinetiam abdominis muſculis. Inexhauſtâ tenebatur ſiti, egerebat liquida, malè olentia, benè ſe habebat ad oblata. Somnus tamen huic nullus, aut momentaneus, præ ſuffocationis metu; quæ res faciebat, vt noctu, atq; interdiu frigidam captaret auram, apertis cubiculi feneſtris. Hucuſq; progreditur veriſſimæ fabulæ Protaſis. Aequum, parq; exiſtimauit Cenſor, annuentibus cunctis, ne abſtineret ab Epitaſi.

Conſulentium diſſenſio.

OBſequens Antyllus communibus votis, rem inceptam ſic proſequebatur. Vt hæc obſeruârunt trepidi Medentes, ſeceſſêre conſultaturi coram neceſſarijs, iniquâ conſuetudine. Medicus familiaris Hiſtoriæ prænarratæ, & nuperæ obſeruationi attexuit morbi Ideam, quam dicebat Hydropem ex vitiato pulmone, cui procedente tempore conſenſerat, & Iecur præ venarum commercio: hinc vitiatâ hæmatoſi, genitos Ichores, vtpotè oneroſos, & pelli à facultate in cauitates, & naturali propenſione ruere tandem inferiores in partes. Degenerâſſe pulmones à connata temperie præ incurioſâ victûs ratione, quæ partis phlogoſim tandẽ acciuit, quâ ſedatâ acres humores ibi concluſos, viam ſibi parâſſe excitatis bullis in ſuperficie partis. Diſrupta verò tandem cuticula, præ influentis copia, aceruatam fuiſſe aquam in vtraq; thoracis cauitate, incubantemq; ſepto tranſuerſo, excitâſſe leuem primò, maiorem, temporis progreſſu, reſpirandi difficultatem. Hinc delabens illa, malleolos occupaſſe, ſenſim verò, & crura, & abdomen

men maximo cum virium diſpēdio ob perpetuum in reciprocatione ſpiritûs conatum. Vitiatos humores cordi tandem communicâſſe labem, febremq; excitâſſe putridam, nunquam intermittentem, degenerantem iam in hecticam, præ inopia veri alimenti. His fidem facere vniuerſi corporis maciem, inmitem calorem, ſquallidam cutim. Indicationes eliciebat, tandem Prognoſim ſignificabat, medicas materias decernebat. Paucis immutatis ſubſcripſit alter Medicus, verūm is, cui contigerat tertio loco propriam proferre ſententiam, cauſabatur morbi radicem, pulmonum corruptionem, non negabat frigidam illorum intemperiem, euanido iam partis calore, frigidaque materia communicata à cerebro, necnon ab vniuerſo corpore plurimis cruditatibus ſcatente ob vitæ errata. Irruere has imbecillem in partem conſueta œconomia, cōgeri prętereà vitiato alimento, hincq; vberem ſuppeditari ſeroſæ humiditatis prouentum, thoraci moleſtum, vniuerſoque corpori oneroſum. Traxiſſe & hanc mali in partes ipſum Iecur, hæmatoſis officinam, præ iugi frigidæ ſubſtantiæ incubatu, venarumq; conſortio, quæ res malum duplicauerat, reliquiſq; affectibus viam ſtrauerat. Orbata nanq; ſanguine membra, refriguerant, macie conficiebantur, ſubtracto pabulo, exulabāt ſpiritus, ſanguine arterioſo vitiato, parùm aberat, quin auctor cunctarum functionum, calidum ſcilicet innatum, auolaret, inſigniter labefactato radicali humore, nō tam inopia alimenti purioris, quàm copiâ vitioſi, & præſentia extranei caloris. Hunc ex putredine prauorum humorum intra vaſa putreſcentium ortum habuiſſe minimè dubitabat, ſuccumbente, non dominante innato calore; hinc ſpuriam excitatam febrem, naturâ quotidianam, duratione continuam, cuius magnitudo, atq; mos obſcurabantur præ morborum complexu. Focum ille aſſignabat in vaſis maioribus, ſuſpicabatur necnon ſimul & cum primo Conſultore, latitare hecticum calorem, depopulātem, non tam cordis humores, quàm & ſolidam illius ſubſtantiam,

 præ-

præ viciniâ marceſcentis pulmonis. Hinc concinnas eliciebat indicationes à rebus naturalibus, præterque naturam petitas, quibus tamen ſatisfacere impeditiſſimum exiſtimabat negocium, ætate iam declinante, infirmis viribus, ægroti conditione, libero, non ſeruo, præterquam cupediarum. Duplicari credebat difficultates ob cõtractas ex longo tempore intemperies, forſanq; corruptiones, prouentum inſuper excrementorum vberem, variorum morborum complexum, accedẽte ſymptomatum ſæuitiâ, quibus omnibus occurrere fortibus præſidijs, quòd par, æquumq; erat, vetabant vires, non tam præſentes, quàm futuræ, necnon infirmi mollities, atq; reluctantia: & quòd ſuperpondij loco duriſſimum erat, contingere hæc peſſima anni ætate, improbaq; conſtitutione. Quapropter non immeritò funeſtum ominabatur euentum, idq; breui futurum, tabeſcente corpore, breuiſſimè præfocato natiuo calore. Vniuerſam curationem viribus recreandis eſſe impendendã, congruis alimentis, necnon præſtantiſſimis alexipharmacis, Auro potabili, Margaritarum ſale, Magiſterio, Iulebbo, Lapide Bezzaar, Gemmarum tinctura. Non refragabatur ſpecificis; extractum laudabat è Vulpis pulmone; flores præterea Sulphuris eleuatos à Belzuino, Lac, Tincturam, vtpotè pulmonum balſamum, & Diſpneæ alexicacon. His ſi proficeret, acriùs tunc eſſe inſiſtendum, ſecùs ſi ſuccedat, vacabit Medicus à culpa, neq; ſubibit ſpeciem illius velut occiſi, quem ſors ipſius peremit: ſic finem dicendi fecit. Poſtremus debebatur locus extero Medico, cuius ab ore, quotquot aderant, pendebant, velut è Tripode Delphica. Aſſentabatur primùm Conſulentibus, excuſabat ſe, niſi iret communem in ſententiam, vetare hoc animi ſui candorem, ægriq; diſcrimen: eapropter boni conſulturos ſperabat, ſi parùm deflecteret à præmonſtrata ſemita. Spirandi illam difficultatem nonniſi per cõſenſum à melãcholia hypochondriaca, ob flatus, ſeptum tranſuerſum comprimentes, oriri contendebat. Cuius paradoxi in

con-

confirmationem adducebat primo loco, quòd deterrima inuasio fuit à graui animi pathemate, igitur ſpirandi difficultas non eſt per eſſentiam in pulmone. Secundò ab obſeruatione; *oſtendet autem ſanatio*, nam ex ſecta vena euanuit ſymptoma; igitur non per eſſentiam erat in thorace. Tertiò, nequit in latus ſiniſtrum cubare; igitur præ Lienis tunc penduli enormi pondere, à quo flatus ſepto communicantur. Quartò timet, & mœſtus eſt: igitur melancholiâ tenetur hypochondriacâ: nam hæc ſigna pathognomonica ſunt talis affectûs. Quintò ex colore vniuerſi corporis viuido, mox pallido, vel plumbeo. Quibus ſic ſtantibus, haud arduam futuram ſperabat curationem, præſertim, ſi ad exturbandam ſaburram, quamprimùm leniens propinaretur medicamentum; altera verò die ſecaretur vena in cubito, ad phlogoſim pylori tollendam, cuius impulſu eleuantur, fiuntq; flatus illi ſepto moleſtiſſimi. Quod ſi profluens ſanguis ater fuerit; actutùm ſupprimendus, eiuſque vice mox euocandus per venas ſedis. His feliciter peractis, ſyrupo ſuo Regio, ſæpius ſumma cum laude Pariſijs, alibique experto, integrè ſe reſtituturum Nobilem Virum ſperabat. Fateor nunquam mihi rem contigiſſe præter expectationem magis, quàm tunc factum fuit. Nam, vt habet Hipp. *Primùm enim aquâ inter cutem laborantes, & tabidos, quis non cognouerit?* Quid tum Collegæ, ſciſcitabatur Eudemus? Taciti muſſabāt, dicebat Antyllus, tanto perculſi paradoxo, neque mens illis erat Camarinam mouere horis pomeridianis, corporis refectioni debitis; quapropter nemine refragante dilata fuit in craſtinum concio. Hipp. 2. de prædic.

Diſcutitur, & excutitur paradoxum.

HOrâ pomeridianâ alterius diei conuenêre Medici, cominùs rem diſcuſſuri, factoq; ſilentio, tertius ille Medicus in ordine, ſodalibus morigerus, ſic auſpicabatur: Nul-

lum temporis dispendium fit in Diagnosi pathematum; quandoquidem Coi Dictatoris monitu, Medicus si ad cognoscendum sufficiens fuerit, erit etiam ad curandum. Nulli nostrûm in dubium reuocare fas est partium tumorem; erectâ ceruice spirationem, quæ sensibus cuiuscunq; sunt in propatulo. Verùm sedes affectuum, illorumq; causas, nonnisi artificiosa assequemur coniecturâ. Vacillat hæc frequenter, nisi accesserit signorum syndrome, seducitur intellectus præterea à ratiocinio; quum tamen sensibilium rerum iudex fit experimentum, non ratio, quam sibi verisimiliter quisq; confingit, Galeni obseruatu. Proinde neq; mirum cuiquam vestrûm videri debet, Nobilissimi Viri, si diuersas itum fit in sententias, ijs quidem censentibus affici pulmonem per essentiam, illis verò per cõsensum, compresso septo transuerso à flatibus. Reliquum est, vt rationes, quæ postremum hoc persuadere nitebantur, perpendamus in præsens. Petebatur, ni fallor, prima in ordine ab inordinato animi affectu, qui difficultatem grauem spirandi excitauit, transeat hoc; sed malè infertur: igitur per consensum. Quæro ego, cui consentit? an flatibus, Lieniue pendulo? non credo talia te causaturum. Neq; meliùs cedet, si dixeris, ergo difficultas illa spirandi non erat per essentiam in thorace, si graui affectu percitus laborauit. Supponamus primâ vice tunc hominem laborâsse: exulat tuus consensus, nisi quis dixerit consensisse iracundiæ, quod esset ridiculum. Cur non per essentiam difficultas spirandi est in pectore, vbi cor ob sanguinis feruorem primariò laborat? Passio illa fuit, non passibilis qualitas, incipiens, non confirmata, vel, quod veritati congruentius,non fecit ira, sed auxit spirandi difficultatem, accenso sanguine circa cor propter appetitum vindictæ. Neq; magis vrget, quod succedebat argumentum petitum à iuuante phlebothomia.Iuuit tunc reuocato sanguine,& prohibita phlogosi pulmonum, antiquum tamen vitium, neq; iuuit, neq; leuauit.An non Peripneumoniæ, & Pleuritidi con-

ducit

ducit ſanguinis miſſio? ecquis verò has dicet factas per conſenſum, non per eſſentiam? Quin pronitas illa dilabendi in Diſpnæam ab animi affectu, ſignificare poterat partis illius vitium, cui munus cor ventilandi fuit olim demandatum, Actus enim actiuorum fiunt in patiente, & diſpoſito. Ægriùs cubat in latus ſiniſtrum, pulmonis illius vitio, non ſepti compreſſione à flatibus, aut depreſſione facta à Lyene, nulli, & nuſquam ſi prodente. Eſto, tumeat enormiter ſplen, ſuoque pondere incommodet ſepto tranſuerſo, an non facilius cubabit æger in latus ſiniſtrum; dum iacet viſcus, non pendet? Imaginarij verò illi flatus compreſſi concedent per patentiſſimas coli vias, haud impingentur, velut in Luſorio folle. Sat lubricum eſt argumentum, pace tua (dixerim) Vir Egregie, quod quarto loco ponitur, deſumptum à metu, & mæſtitia Patientis: qui tot conflictatus malis, noctu, interdiuq; intelligit ſe poſitum mortis in agone, dubiam, aut nullam ſupereſſe ſpem, certum virium percipit quotidie diſpendium. Secùs ſi vera eſſet illatio, ſinguli ægrotantes hypochondriaca melancholia laborarent, præſertim vbi grauiſſimè afficiuntur, dummodo mentis compotes. Vitium proinde latet in maiori propoſitione, ne dicā totam vitioſam, quod percipiet facilè quis, ſi diſponat tuum enthymema in perfectum ſyllogiſmum, tali pacto. Vbi timor, & mæſtitia, ibi melancholia hypochondriaca: ſed vtraque tenetur paſſione noſter æger: igitur &c. Principiò affectus illi ſunt ſigna pathognomonica melancholiæ in genere, communia proinde cuique ſpeciei, nō propria hypocondriacæ, quod probare contendebas. Supprimitur præterea neceſſaria conditio apponi conſueta timori, & mæſtitiæ, nempe, vt ſit *præter cauſam*, quod tuum eliminat ædificium. Meſtus enim eſt, & timet *cum cauſa* noſter ægrotans. Do tibi tandem, ſed fiduciaria opera, teneri hominem melancholia hypochondriaca, vnde infers Diſpnæam? Forſan à flatibus? at quibus hypochondria murmurant, nulla contingit difficilis

ſpiratio. Nemo borboriſmum obſeruauit in decumbente, cuius agitur cauſa, immo Coli regio, quâ ſepto contigua progreditur, tangenti haud reluctatur, neque tumet, vtraq; verò adeſſe neceſſario debebant, compreſſo diaphragmate. Poſtremum, quod à faciei colore, petis argumentum, fallax eſt. Rubet facies laborantibus pulmonibus, quin liuet præimminente ſuffocatione. Commodè igitur quis in te retorqueret argumentum, quum luridus color melancholicis debeatur, floridus, aut rubeus pulmonicis. Stant igitur noſtra, concludebat ille, iacent proſtrata tua, niſi nouis machinis erexeris illa rurſus, quòd facere exterus Medicinæ recuſabat præ temporis diſpendio, erogandi in præſidiorum delectum.

Exploditur ſanguinis miſsio.

VEtus eſt, materias medicas ſuccenturiari indicationibus, has verò deſumi ab indicantibus, quæ ſi incerta, vacillat ædificium. Tria, ſi probè memini, proponuntur remedia, Purgatio, Phlebothomia, Syrupus ille Regius, cuius fides ſit ſuum apud Auctorem. Priora illa præſidia, vbi ex æquo indicantur, hoc habent, vt præcedere ſemper debeat ſanguinis miſſio purgationem, eodem proinde ordine ſingula, ſi libet, examinabimus. Quamquam, vt liberè fatear, non video quem locum ſibi arroget purgatio, dum alimenti recrementa ſpontè, atque vberrimè deijciuntur, ſeroſi verò humoris peccantis libræ tres cum dimidia quotidie excernuntur: præterquamquod nudius tertius Mannam ex iure aſſumpſerat. Importunam videri ſanguinis miſſionem in affectu frigido, ſuperuacaneam, dum explorata nobis erat exigui illius ſanguinis conditio certis conjecturis; diſpendioſam tandem, atque noxiam innato calori, vix ſuperſtiti, curtæq; ſpirituum ſuppellectili. Quibus vellicatus exterus Medicus, incanduit, velutq; pro aris, & focis dimicaturus, teſtabatur, non tentare ſe velle, aut

explo-

explorare phlebotomia ex cubiti vena, sed curare partium phlogosim, quod & alias feliciter contigit. His satisfaciebat Antagonista profuisse tunc inchoante intemperie ob sanguinis affluxum; cui reuulsio cum euacuatione debebatur, in præsentiarum verò spirandi difficultatem pendere à vitiato pulmone, fœdis halitibus, sordidique Ichoris præsentia, quibus incommodat sanguinis detractio. Non ausus est ire inficias, verùm eo nomine necessariam prædicabat sanguinis missionem, quod præuia hæc esse debeat, vbi quis eliminare studeat obstructiones, Galeno præceptore. Quem declinabat ictum aduersarius nullo negocio: fatebatur enim veram esse Galeni theoriam, vbi simul, & cum obstructione abundabat sanguis in corpore, aut à viscido, crassoque sanguine impediebantur viæ, secùs quàm fiat in casu nostro. Tertio adducebat loco Galeni consilium in febribus putridis, nec non beneficia, quæ proueniunt ex sanguinis missione, cui itum contra, quòd vnicum esset indicans, atq; solitarium; plurima concurrere modò prohibentia. Impugnabat ille, in patrocinium adductis morbi magnitudine, ætate, atque viribus. Respondebat alter, vires præsentes pares haud esse magno præsidio, verùm quantùm conijcere dabatur, longè deteriores futuras, præ affectuum contumacia, & symptomatum sæuitia. Quantum verò pertinebat ad ætatem, quãquam æger erat in primo senio, non prohibere hanc, sed permittere, nunquam verò indicare tale præsidium, si purè, pressoque indicationis vtamur nomine, non abutamur, quod fecit quandoque Galenus. Et ne gratis, dicebat, hæc mihi sumpsisse videar, indicatio est demonstratio eorum, quæ fieri debent: ætas res naturalis est, quæ vt sic indicat tantummodo sui tutelam; hanc verò præstant similia. Verùm quam excogitabis similitudinem? dissimilitudinem concipio ego, atque oppositionem. Quandoquidem ea de causa corpus quodcunque animatum declinat, quanto minùs alimenti reponatur, quam absumatur; sed vltimum alimen-

18. Meth.

11. Meth.

tum

tum in ſanguineis ſanguis eſt Ariſtoteli, cunctæque Medicorum familiæ: igitur ob ſanguinis inopiam declinaret ſanguinem. Indicatio proinde, quæ inde elicitur, nulla alia eſt, niſi vt conſeruetur, quantum in nobis eſt, ætas illa, neq; delabi permittatur corpus alimento fruſtratum: præſtabunt hoc, quæcunque ſanguinem probum, atque copioſum apta ſunt reparare, aut conſeruare intra animal. Copia inopiæ opponitur, multitudo euacuationi: nunquam igitur indicat ætas declinans ſanguinis miſſionem, ſed generationem, nullaque ætas illum per ſe indicat, aut prohibet, niſi virium ratione, tam præſentium, quàm futurarum. In caſu verò noſtro, fruſtrata hæmatoſi, præ frigida Iecoris intemperie, ruentibus viribus, vltimum excidium interminatur viuifici humoris, vel minima detractio. Nunquam igitur indicat ætas, ſed permittit ſanguinis miſſionem, declinans prohibet, atque auerſatur. Adducis poſtremo loco morbi magnitudinem, quod admittas velim cum mica ſalis. Ac primùm, Magnitudo morbi, neq; ſolitaria, neq; per ſe, indicat ſanguinis miſſionem. Exclamabat exterus Medicus, hoc eſſe Paradoxon. Aſſueſce, & tu paradoxis, reponebat alter, nam aures tuis præbui hucuſq; ocioſas. Dic, ſodès, morbi magnitudo, nõniſi remedij magnitudinem indicat, nempè vt paria ſint in gradu, quô pugna non infeliciter committatur. Annectebat alter. At magnum remedium eſt ſanguinis miſſio: condono tibi, dicebat noſtras, quod maximè ſequentia Galeni verba ſuppreſſeris, ſcilicet, ***nonnunquam verò, & purgatio:*** illud vrget, quòd nuper cum Galeno faſſus eſt, indicari ſanguinis miſſionem, tanquam magnum remedium: igitur per aliud, nempè, per magnitudinem, non per ſe, indicatur à morbi magnitudine. Verùm neque ſi admiſero communem abuſum, melius poſthac tibi cedet, aut propriam ſuſtinebit dignitatem morbi magnitudo: magno tenetur morbo pars, quæ ſphacelatur præ brumæ inclementia, cui in poſterùm, ſi negligatur, ſuccedit nechroſis. Suadeſne huic phlebo-

bothomiam? Syncope parùm ab hoc declinat, eſt enim præceps virium cunctarum lapſus: ecquis ſyncoptico ſanguinem detrahet, ni priùs reuixerit homo? Veneno aſſumpto, vel ictu illato, magnus in corpore excitatur morbus; huic tamen ſanguinis miſſionem nemo ſanus opponet. Neq; igitur magnitudo, quatenus talis, illud præſtat, quum norma poſterioriſtica non teneat ad quatenus ipſum, niſi ſit de omni: deſpicis ne hæc, ex quibus certa paratur ſcientia, minimèque vacillans. Deceptionis indicabo tibi cauſam, illamq; non vnicam. Priorem quidem, quòd Galenus magno morbo æquale oppoſiturus remedium, frequentiorum tantùm meminit, cæteris præteritis, quæ tamen recêſuerat olim Hippocrates, teſtatus morbos, quos non curat medicina, ferrum curare, quos ferrum non curat, ignem: hunc negligentes, inſanabiles dicit. Poſterior cauſa deceptionis eſt: à morbi illius magnitudine indicatur ſanguinis miſſio, in quo ſanguis peccat: obijciebat Exterus, at hoc eſſet nugari, indignumq; Medici Eximij maieſtate. Non eſt hoc nugari alter reſpondebat, ſed nugas abijcere, perniciemq; ægrotantium auerruncare. Neq; tam ardua hæc prouincia erat, vt Tyro quiuis ſuperare illam non valuiſſet. Euacuatio enim dicit rei euacuandæ præſentiam, quæ ſi tolli debeat, moleſta ex neceſſitate eſſe debet, quod in genere conuenit, ſingulis euacuationis ſpeciebus aptatur. Quapropter non indicatur ſanguinis miſſio, niſi ab illius morbi magnitudine, cum quo ſtat ſanguinis copia præſens, aut futura, in toto, vel in parte: quæ raptìm, carptìmque expono, vt fugæ locus omnis adimatur. Solitariam præterea dixeram non indicare morbi magnitudinem, Galeni auribus, vel arbitrio vulgarium Medicorum loquentem: copulat namq; ſemper magnitudini morbi virium robur, tumq; completam elicit indicationem, quod ſanguis mitti debeat. At in propoſito ægrotante, neque Virium adeſt robur, neq; ſanguis peccat, ſed frigidi humores: igitur data etiam morbi magnitudine, indicari nequit ſanguinis miſſio.

Profligantur nouæ copiæ. Exitus congressûs.

ACiem rursus instaurabat phlebothomiæ Suasor,& quod magnitudine morbi dudum assequi incassum tentauerat, feruore expugnare satagebat.Ex confessis, dicebat,æqualia debent esse in gradu remedia ipsi morbo, at feruidissimus hic est: igitur summè refrigerans remedium administrari debet: tale est sanguinis missio &c. Minorem propositionem vltrò vallabat, indicio vesicarum, quæ in cruribus, sicq; conficiebat ratiocinium. Antrax, seu Carbo fit à feruentissimo sanguine:sed in carbunculo fiunt vesicæ,ergo vbicũq; illæ oriuntur, indicant subesse sanguinem feruidissimum. Non placebat præposterus ille inferendi modus Antagonistæ; ex præmissis nanq; legitimè cõcludi poterat tantùm: igitur vesicæ carbunculi fiunt à feruentissimo sanguine. Vitium exprobrabat insuper eliciendi vniuersalem illationem ex particularibus præmissis. Neque si apponeret signum cuiq; propositioni, meliùs cederet, quandoquidem concluderet solùm pro omni carbũculo, quod parùm illi suffragaretur in re præsenti. Quin, repetebat ille, impunè mihi sic inferre licet in omni morbo. Vt se habet vesica in carbunculo, pari pacto, & vbique: sed vesica in carbunculo excitatur à sanguine feruido: ergo vbicumque est vesica,aderit feruor.Laberis à Topico Syllogismo in deceptorium, aiebat alter. Neue imponere me tibi hæc censeas, audi. Maior illa tua propositio de industria atramento perfusa, duplicem habet sensum: primum quidem,quòd vesica omnis fiat à feruore, sicut fit in carbunculo, & falsa est; meraq; principij petitio: nam illud concedi tibi postulas, quod est in controuersia. Alterum,quod vesica in se considerata,præscindendo à suis causis, vbique pariter se habeat, nempe, sit tumor aquosus collectus inter cutem, & partes subiectas, qui malè tibi suffragatur;licèt verum reiecisti, falsam inferens ex primo

con-

conclusionem. Irrupit exterius tunc. Si vesica non fiat à causa calida; igitur à frigida: at hoc est impossibile: ergo &c. Negauit totum noster, & causam negationis attulit, quoniam à neutra, verùm à copia Ichoris diducentis cutem, vel membranã, cui accidit generari à causa frigida, vel calida, licèt frequentissimũ sit generari hydatidas à causa frigida in sanguineis etiam visceribus, tantùm abest vt sit *impossibile*. Exulat proinde illud tuum *maximi feruoris indicium*, præsertim in nostro ægrotante, à cuius cruribus, plusquam quadraginta vnciæ aquosi humoris emanare, quotidie, & ne insalutatum abeat tuum *summè refrigeratiuum præsidium*, illud nôris, sanguinis missionem, non per se refrigerare, verùm per accidens. Malè insuper consuluisset Galenus Tertianarijs, abstinens à sanguinis missione, totumque negocium primis qualitatibus committens. Audi loquentem. *Exquisitam ergo Tertianam, vt in qua bilis commota dominetur, humectare, & refrigerare oportet, quoad fieri maximè potest.* Haud memorię lapsu præterijsse euacuationem testantur, quæ idem Auctor annectit. *At contrarias qualitates qualitati præter naturam excedenti semper opponere oportet, ac magna ex parte hoc melius est; quàm quomodolibet euacuare.* Euacuationem tamen non exclusisse, aiebat Exterus, insuper ibi locorum suasisse hyssopum, & origanũ ad vrinas ciendas. At hoc neque congruum rebus præsentibus respondebat alter, neque verum, nam remedia illa proponuntur à Galeno in curatione Tertianæ Nothæ, non exquisitæ, de qua institutus nobis est sermo in præsentiarum. Exiliebat ille, vt hæc audiuit: petebat adferri libros, paratum se deponere aureos decẽ, & millies decem, si tibi voluntas, aut facultas, reponebat alter, quod continget certo meo cum lucro. Interim dum libri tibi poscenti afferuntur, habeas à me, & hæc superpondij loco; neminem ad Galeni ætatem vsque, ausum fuisse in Hydrope sanguinem mittere. Et ne mea vacillet apud te fides, en ipsum loquentem, cum cautione tamen. *Nempè solus Anasarca, cùm*

Gal. 7. aph. com 55.

1. ad Glauc.

inci-

de V.R. com. 4.t. c11. *incipit, eget interdum ſanguinis detractione, cum ſcilicet ex retentione, vel hæmorrhoidum, vel muliebrium, vel ex quapiam, quæ ita plethorica ſit causâ, inceperit. Tympaniam verò, & Aſcitem, nemo per ſanguinis miſſionem ſanare eſt auſus* quod & alibi confirmat. de V.Sec. c.5. *Ergo præfatæ mulieri, licet iam tremore correpta eſſet, ille ſecare venam non diſtulit. quum è diuerſo nemo alter in tremore, æque, atque hydropiſi, alioue frigido affectu vllo* (quod tibi in principio prædicabam) *ſanguinem detrahere vnquam auſus fuerit.* Cauſa verò, cur abſtinuerint illi, noſq; abſtinere adegit, confeſtim loc.cit. annectit idem Auctor. *In talibus, enim, ex calidi ſucci euacuatione adhuc multò magis corpus neceſſariò refrigeratur, & innatus calor, qui per affectum antea quoque frigefactus fuerat, extinguitur.* Quibus auditis, ſurrexit Exterus, e Sella feſtinus non expectatis libris. Serie diſputationis recitatâ, tacebat Antyllus; cui Eudemus, par eſt huic Epitaſi annectere te nec non Cataſtrophen. Obtemperans ille exitum narrare proſequebatur. Introducuntur rurſus Medici proximum in cubiculum ægrotantis, qui cauſam altercationis ſciſcitans, audiuit diuerſa illos ſentire. Nam pars horum, impeditiſſimam exiſtimabat viam ad ſalutem, præ viribus Naturæ ſuccumbentis, & morborum ferocia, atq; multiplicitate. Pars alia hos extenuabat, nechon variabat, fidebatq; licet controuerſis præſidijs, valetudinem ſe poſſe reuocare; cui audiendum videbatur poſthabitis vecordibus. Conceſsêre ſinguli, poſtridiè verò commiſſa fuit curatio Aduenæ Medico, qui ſuſq; deque omnia dum vertit, nullo prouentu, niſi quem paroxiſmi interpolatio nonnunquam dabat, ſimulata occaſione, breui conceſſit, commiſſa alteri nouo Medico cura, propria tamẽ ſub directione. Aures perculit Supremi Dynaſtæ tunc Piſis degentis litteraria pugna, mandauitq; D. Stephano de Caſtro, vt diſtinctè rem ſciſcitaretur per epiſtolam ab amico, qui præſentis negocij pars magna fuerat. Is verò reſponſum dedit, fideliterque cuncta narrauit, addẽs inſuper Epiſtolæ in calce, quòd licet Exterus

ille

ille polliceretur in menſem, ſimul & cum Magnate ægrotante rus ſe conceſſurum venatum, non vltra tamen Februarium inſtantem menſem, prædicebat noſtras vitam illum producturum, expoſitis prognoſis cauſis, præſertim verò viſcerum ſtatu, quem ſimillimum coniecturæ oſtendit nuper enarrata hiſtoria. Hanc per Epiſtolam dare Celeberrimo Viro par eſt, qui noſtrates Medicos pridẽ laudauit: vt noſcant omnes poſthac, quantum diſtent æra lupinis. Placuit Litterario conſeſſui: dictum proinde, & factum.

Contuſa quando in Pus vertantur.

SVcceenſebat, Magno Hippocrati maiori temeritate ſciolus quidam Chirurgus, dum Nobilem Adoleſcentem, cui in Harpaſti ludo leuis contigerat contuſio, neſcioquibus plebeijs medicamentis tractaret. Iactabat enim echymoſin illam intra triduum ſe profligaturum, inuitis Hipp. manibus, cui recens hic curationis modus minimè fuerat perſpectus, verùm per longas temporum ambages contuſum ad ſaniem vſq; deducebat. Hinc rotundo ore, inflatiſq; buccis, in rei confirmationem hanc Seni vitiatam exprobrabat ſententiam, *Omne contuſum neceſſe eſt putreſieri, & in ſaniem conuerti:* annectebat confeſtim: verùm pars hæc contuſa eſt, neq; in ſaniem, meâ induſtriâ, conuertetur: igitur aut mendax Hipp. aut ignarus. Haud diſtuli hominis coercere petulantiam, qui neq; à limine ſublimem Auctorem ſalutauerat, ſed, vt ſolet talis hominum colluuies, ex mutuatis exchartabulis illam tranſcripſerat. Nôſtis, enim, quæ germana fuerit Hipp. mens *in lib. de Cap. Vuln.* vbi diſertis verbis monet, *neceſſe eſt enim carnes contuſas, ac conciſas, pus fieri, ac conſumi*. Conformiq; ſententia *in lib. de Vlceribus* in principio. *Si qua caro ex telo contuſa, & diſſecta eſt, eam curare oportet, quò quam celerrimè ſuppuret; nam, & minus inflammatur, & neceſſe eſt carnes contuſas, ac diſſectas putreſcere,*

re, ac pus fieri, & eliquari, atq; consumi. Audis hîc, non omnes contusiones censeri, sed graues, & cum vulnere. Modum generationis talis passionis, illiusque exitum graphicè descripsit olim Summus Medicinæ Dictator 4. *de Morbis*, habet verò. *Si contusio fiat in homine percusso, aut lapso, aut aliud quid tale perpesso, & tumor oboriatur, sanguis statim præ violentia calefactus, & venis hiantibus illapsus, non habens exitum præ copiâ, quò abire possit, conglobatur, & propterea tumor fit, & tamdiu adest, donec depurgatus fuerit eo modo, quo de locis depurgari dictum est, aut enim per ipsum tumorem, & siue per Chirurgiam, siue sine eâ sanguinis transitus fiat, aut per tempus suppurato, aut non.* Noto primùm, Contusioni comitem esse tumorem, huncque ex sanguine affluente, illoque calefacto, nempè, ob confluxum sanguinis arteriosi, cuius præsentiâ incalescit sanguis, frigidus alioquin præ sui naturâ, quod euincit Stagirita in *libb. de Part. Animal.* consentitq; alicubi Hipp. noster. Affluit enim tam calore allectus, & dolore, quàm disruptis venulis, quæ tanquam riuuli, conferunt in nouam vacuitatem contentum humorem. Vrgent illæ, retrogradi nequit hic, quapropter grumescit, eleuatq; cutem, donec educatur. Eductio fit, vel à Natura, vel ab Arte, vel à Causa. Ac primùm soluta cutis vnitate effluit sanguis nonnunquam, priusquàm concrescat, vel ipso læsionis in articulo, vel paulò post infortunium, Artificis industriâ, idque manifestâ, aut immanifestâ euacuatione, quam etiam sugillatis passim Natura molitur, nempè attenuato sanguine, perq; cutis poros, nobis non sentientibus, dissipato. At insigniores contusiones, tempore procedente, curat illa, in pus verso humore, forsan & partibus solidis. Quin & contusa solida, inquit Sergius, nõ secùs, ac præcisa, in pus verti monuit, te indicante, dudum Hippocrates: quapropter remoue, si sapis, hæsitantiam. Verùm & tu viciſſim, aiebat Antyllus, edisſere nobis, quæ mens fuerit nostro Antesignano, dum hæc proferret. *Pus ex carne, purulentum ex sanguine, & ex alia humiditate,*

lib. de corde.

Hip. lib. de alim.

ditate, pus vlceris alimentum, pus alimentum venæ, & arteriæ. Diremit quæstionem Eudemus, ratus hæc altiori egere indagine, sat in præsens euictum, nonnisi grauiores contusiones pus subsequi, leuiorem materiam in halitum dissipari, idque non ignorâsse Summum Medicinæ Parentem.

De Sanguinis putredine extra Vasa effusi.

NOndum quieuerat murmur, mussabantque Sergius, & Quintus, dum puris generationem ad Lydium Sophiæ examinarent lapidem; quapropter indixit Censor, ne absque arbitris contentionem protraherent. Dictum, factum. Vrgebat Sergius, sibique dari instabat gradus nonnullos simultaneam auersans mutationem. Primus, nempè, dum sanguis à causa quâuis effunditur extra vasa, intra certas corporis lacunas; alter dum moratur, isque vel paucus est, & attenuatus per cutis poros dissoluitur, vel multus, maiorique elaboratione indigus. Ferietur tunc ars, opusq; vniuersum euentui mandetur, peto, ego, quid succedet? Putrescet procedente tempore, dicebat Quintus. Rursùs instabat ille, verùm iam computruit, dicebat, sanguis ille effusus, orbatus commercio influentis caloris. Nôstis enim, quòd alienâ ope calidus fit sanguis; cruoris igitur cadauer est humor in echymosi contentus. Aliter videbatur Præmigeni, dum rimaretur Putredinis Ideã ad mentem Stagiritæ. Nisi enim exulet, aut corrumpatur genuina rei caliditas, nequit fieri putredo; sed ex concessis, nulla 1. argum. propria assignatur sanguini caliditas, verùm aduentitia; impunè igitur hæc corrumpi, atq; euolare poterit, nullâ subsequẽte putredine. Insuper neque verum est, defraudari transfusum 2. argum. sanguinem cordis fauore, calet enim, velut, & membra singula, præ iugi influxu, secùs vix obtinent illa teporem, &, vt Galeni verbis vtar, sat est, si non rigeant. Quid si pernego tunc fieri posse putredinem, eandem Principis Sophorum, dum in- 3. argum.

ſiſto viam? Vbi, enim, hæc contingere debet, neceſſarium eſt, vt calor extraneus euocet innatum rei putreſcibilis; verùm in caſu noſtro nullus eſt calor extraneus innato aduerſarius, nulla igitur fiet putredo. Confirmo quod aſſumpſi. Vnum, quatenùs vnum, non eſt cauſa contrariorum: ſed calor ſanguinem ambiens, vnus, idemq; eſt cum conſeruante: inſtaurabit igitur potiùs, quàm euertet ſanguinis œconomiam. Abnuentes dum obſeruat illos Præmigenes ſyllogiſtica norma, quæ innuerat, coercuit. Echymoſis ambitur à partibus, quæ ſolo calore influente actu caleſcunt, ſed calor hic priùs tuebatur ſanguinem, ex conceſſis: igitur corruptionis nequit eſſe auctor. De his dubitâſſe pro re nata ſat eſto. Acutè pro ſanguinis incolumitate huc uſq; pugnâſti, aiebat Quintus: vtinam votis reſpondeat euentus! Audîſti quid monuerit dudum Hippocrates, monet nec non quotidianum experimentum, quæ putredo ſubſequatur graues contuſiones, ita vt niſi oculatum nanciſceretur Medicum, breui in Nechroſin, ſyderationemq; degeneraret. Specioſa quidem primâ fronte ſunt argumenta, quibus vteris, mi Præmigenes, vt contrariũ perſuadeas. Quanquam verò, vti dicebat Pergamenus, rerum euidenter apparentium iudex eſt experimentum, non ratio, quam ſibi veriſimiliter quiſque confingit; non adeo exhauſtum eſt Medicinæ ærarium, quin obiecta diluere valeat, etiamſi nulla pro nobis ſtarent experimenta, vel Authorum monita. Et quod attinet

Ad 1. ad prædicatam illam caloris orbitatem in ſanguine, falſum aſſumitur. Nam ſanguis ſpectatur, vel tanquam pars integralis, conſtituens animal ſanguineum, vel tanquàm miſtum Phyſicum: vtroq; modo conſideratum, proprium obtinet calorem, quod neque negaret Ariſtoteles. Fruitur viuẽtis animalis ſanguis cordis calore influente, qui intrinſecus illi eſt, adeoq; neceſſarius, vt hoc abeunte, non pars, verùm ſanguinis ſit cadauer: quanquàm mixtionis calore ſuperſtite. Hinc fit, vt non ſtatim putreſcat ſanguis extra venas, compage illa ad tempus inte-

ntegra, quæ tandem diſſoluitur, reliquorum miſtorum ad inſtar. Inſtabat Præmigenes. Igitur plures erunt huius ſanguinis corruptiones. Quid prohibet, dicebat Sergius? Subijciebat ille, quo ſub cenſu reponis primam? Mors fuit, reſpondebat Sergius. Quid? viuit ne tibi ſanguis reponebat alter? valetq; nondum excluſus, animâ orbari? Fatebatur Sergius, & viuere ſanguinem, eſſeque animatum, quod olim diſputatum fuerat non infæliciter. Incluſum adhuc, animæ beneficio minimè frui, ob nouas conditiones, quas ſubierat. Reuoca in memoriam, dicebat, ſpectaculum Entelli, pugno dentes Dareti excutientis. Deglutiat ille duram mercem, quid tum? viuentne adhuc, licèt non excluſi, an verò loco turbati viuere deſinent? Si nexum obieceris, nexum & ego tibi repono, quē obtinet ſanguis cum corde. Pace tuâ, hæc tandem inſuper addam, quò pateant diſputationi fores, mixtum quodlibet plures ſubire corruptiones, qua de re prouoco te ad Chymica experimenta. Reſcidit controuerſiam Eudemus, enuncians primæ obiectioni iam ſatis fuiſſe factum, quapropter vlteriùs procedendum. Obſequens Sergius, negabat effuſum ſanguinem frui beneficio influentis caloris, nam etſi calidus adhuc percipitur, innato haud animatur calore, vixque qualitatem præſtantiſſimæ illius ſubſtantiæ participat. Cui Præmigenes: cauſaris ne tuborum cohærentiam, quem ſcrupulū nobis inijcere dudum viſus es? ſi hoc credis, rei vaniſſimæ te credis, quandoquidē ſanguis in Aneuriſmate perennet; & quod maius eſt, neq; controuerſum, ſanguis è cerebri membranis euomitur naturaliter in lacum, denuòq; abſorbetur intra vaſa, nullâ corruptionis irrepente nota. At pureſcit ſæpiùs ſanguis in Aneuriſmate, dicebat Sergius; trahitque in ruinam contigua membra, quod nôrunt Claſſici Auctores. Plicatio verò illa membranarum, vas eſt non degener, quin congener reliquis: hinc factum, vt nullo incommodo euomi poſſit ſanguis à vaſis tenuioribus, hincque rursùs arſorberi modicè refrigera-

In multa Mulctræ.

ad 2.

tus, animalis in emolumentum. Itum est in sententiam: quapropter sēticosę huic disputationi vt finis imponeretur, visum est, vt breuiter, quod postremo loco propositum fuerat, enodaret. Præstitia ille actutùm, negans sanguinem putrescentem intra corpus, desiderare extraneum calorem paranymphum putredinis. Nam dato, quòd calor ille ambiens sanguinem, extra vasa nullus alius esset, quàm influens, quod tamen, vt erroneum negatur; ex modo tamen fit præter naturam. Dum enim nullus est transpirationi locus, neque regredi valet ad principium, ob viarum impedimenta, fit extraneus præ denegata transpiratione, viamq; certissimam putredini parat. Acclamârunt omnes.

Ad 3.

De Puris generatione, illiusq; modo.

HInc restitutâ in pristinum disputatione, quæ dudum excitata fuerat inter Sergium, & Quintum, præter controuersam viuentis corruptionem iam explicatam, dum remorā abigeret Sergius, nauis suæ cursum fæliciter prosequebatur. Iam euici, ni fallor, & posse, & de facto putrescere sanguinem in Echymosi graui, nil vetantibus rationum momentis, quin antiquæ credulitati vallatæ, Antiquorum placitis, atque euidentia, infracti hæreamus. Est quod addam insuper, superpondij loco, Theses nonnullas vestris ingenijs exagitandas, veritatis in gratiam, ac primùm

1 Putrescere sanguinem non modò effusum, verùm & intra propria vasa degentem.
2 Ad huius putredinem consequi nescioquid simile Puri, Naturâ vincente.
3 In grauibus contusionibus, non solum sanguinem putrescere, verùm & carnes.
4 Has vel simplici vulnere dissectas, frequentissimè putredinis præbere notas.

5 Pus

5 Pus fieri ex re putreſcente.

6 Puris efficiens vnicum eſſe immediatum calorem.

Vetuit nos Eudemus duas priores in dubium reuocare Theſes, vtpotè ex meditullio Galenicæ doctrinæ erutas, habet enim inſignis ille Auctor. *Vigor acceſſionum eſt, vbi fuliginoſum excrementum expiratione, & contractione arteriarum natura expellit: quod verò eſt veluti cineritium, non perinde, qui craſſum eſt, poteſt excernere, ſed per inſignes quoſdam meatus educit: hoc in partibus inflammatis pus eſt, in ipſis vaſis ſedimentum vrinæ.* Tertiam in ordine nonnemo vellicabat, verùm vt cognouit Medicinæ Coryphæis ſe aduerſari, prudens abſtinuit. Euertere iactabant nonnulli ſe poſſe, vel nullis eductis, ne dicam admotis, machinis, paradoxam illam credulitatem, quæ curam euertit ſimplicium vulnerum, per primã, vt dicunt, intentionem, nempè per coalitum ſpontaneum partium ſimilarium, ope proprij glutinis, & natiui caloris energiâ. Nil Arti tunc ſupereſſe, præterquam, vt vulneris labia vniat, noxaſq; arceat. Non negare ſe dicebat Sergius huiuſmodi curationem ab Auctoribus prædicatam, infrequentem verò noſtrâ ætate, non vitio artis, aut Artificum, verùm naturæ vitiatæ, ob frequentes errores, qui corpora reddunt cacochima, ineptaque, vt beneficio illo, abſque diſcrimine, fruantur, nempè, inflammationis, ob affluxum vitiati ſanguinis, & quod inde ſequitur, putredinis, vel puris. Durior ſuperanda videbatur illa prouincia, quæ ex re putreſcente pus fieri aſſeuerabat: quum enim particula illa *ex*, & terminum, & materiam, & efficiens poſſit ſignificare, Ariſtotele monitore, excludebatur poſtremum à poſtrema Theſi, quæ innato calori munus reſeruat. Proximam materiam, ex qua fit pus, ex re fieri putreſcẽte dubium videbatur: præoccupat enim caloris actio alteram mutationem, per quam in fœtidam trãſit mutationem: quæ ſi admittantur, conſequitur, non minùs excludi terminum, qui nec fuit, nec erit. Inuadentes commodè declinabat Sergius, men-

3. de præſag. ex puls. c. 8.

Hip. l. 4. de morbis.

Hip. l. 4. de Cap. vuln.

Gal. 5. ſimpl. c. 6.

1. Phyſ.

tisq; suæ sensum explicaturus, sic exordiebatur: Ratum est, & nemini, vt puto, controuersum, diuersam substantiam Pus esse ab illa, ex qua genitum fuit; seu carnes sint cõtusæ, vel sanguis affluens, aut deniq; quiuis alius humor. Hoc si constat, necesse est materiam subijsse nouam mutationem, qua mediante, pristinum nomen amisit, atque definitionem, indicia essentiæ. Competunt verò hæc substantiali mutationi, si presè loqui velimus, accidentibus impropriè, & analogia quadam tantummodò: faciunt enim alteratum, non aliud. Transitus igitur factus fuit ab vna forma substantiali ad aliam, quæ cùm sit melioris sortis, quàm labefactata præcedens, Pus generari dicimus ex normâ Præceptoris, non factã esse corruptionem in Pus. Parùm hæc ad rem nostram dices tu; secùs ego: Esto: hoc saltem non disiungimur, præcessisse priuationem formæ Puris illius generationem, sicq; ex non Pure, factũ fuisse pus, quod astruit terminum negatum *ex* materiæ putrescenti iunctum. Maiori censurâ, me iudice, Thesis egeret, quum viam ad putredinem indicet, quæ tamen iam facta fuit, indice prioris formæ deperditione: Interijt olim sanguis, putrescit nunc, inque corruptionem omnimodam properat, ni anticipet naturæ vis ad meliorem deducere frugem sanguinis cadauer.

1. de generat. & corrupt.

De Puris efficiente causa.

NEmo non infensus erat postremæ Thesi, quæ vnico innato calori Puris generationem demandabat. Non negabant necessariam illius operam in coctione qualibet absoluenda, pus verò fatebãtur aliquo modo dici posse coitum, verùm longè dispar erat veræ coctionis natura ab ea, quæ in puris confectione præstatur. Plura extare in rei confirmationem Galeni asserta minimè dubia, quibus refragari temerarium ducebant. Vt Sergio dicendi facultas facta fuit, rem sic exorsus est: Laudatus nuper à vobis auctor, dux mihi fuit,

Gal. c. 2. aph. 47. c. 2. in prog. t. 42. 1. de dif. feb. c. 6.

eritq;

eritq; in posterùm in hac controuersia. Neminem fugit, qui Asclepiadarum sacris fuerit initiatus, innatum calorem præfici vbiq; naturalibus operationibus, præcipuè verò coctioni, quod & Peripato placuit. Non controuersor, bifariam hanc intelligi, & pressè, & in suo vniuersaliore significato, cùm Natura causis fortior fuerit, permutaueritq; eas pro suo robore: quo nomine competit coctionis noméclatura excrementis, rebusq; fluidis, quæ sunt præter naturã. Sic igitur biliosorum humorum concoctio existit, vt sanguinis, qui in phlegmone est, in pus migrantis. At quæ velut in corpore inanimato putrescunt, nihil ad permutationem conferente innato calore, à coctionis ratione degenerant. Scitis enim, quod mala simpliciter cum putrefactione fit olida, sicut quæ simpliciter optima, est ipsa nutritio partium animalis. Scimus hæc esse Galeni, reponebãt Antagonistæ, necnon & quæ mox sequuntur; iure, an iniuria, à te suppressa dubitamus, vt quæ tollant hæsitantiam: habet enim: *At quæ pus generant medium inter has obtinent locum, neq; à solo calore extra naturam, neque à solo secundùm naturam facta. Mistus, enim, quodammodo ex vtrisq; est calor inflammationis.* Addatis insuper, per me licet, dicebat Sergius, *Pus ex sanguine ortum habet, qui semimalam, vt quispiam dixit, habet transmutationem.* Verùm longè diuersam hæc merẽtur interpretationem, quàm nonnulli censeãt, quod patebit posthac. Mistam qui dicunt mutationem, credentes simul, & semel putredinem intendi, & coctionem in puris generatione, hallucinantur. Haud enim dispar est ratio, Galeni monitu, putredinis humorum, quæ in vasis fit, & eius, quæ in inflammationibus, & abscessionibus. Quis verò cordatus Medicus, fidusq; Naturæ minister, & æmulator, vt putredinem curet, putredinem accerset. Tam verò hæc à veritate exorbitant, vt termini illi oppositi inter se sint: ita vt Galenus disertis verbis alicubi pronunciauerit: *Coctio est, quæ putredinem cessare facit.* At puris generationem, coctionem esse sæpius ille

1.aph.15
c.2. in l. Hipp. v.r.c.44.
2.aph. c. 47.
2.aph. c. 47.
v.de diff. feb.c.6.
in Art. Med.

repetit: puris igitur generatio putredini aduersabitur. Non desuit, qui moueret, Virum quemdam grauem declinare vim ratiocinij, limitando Galeni placitum ad humores, qui nullam elaborationem suscipiunt, dum putrescunt: dum verò hanc admittunt, putrefactio illa melioris conditionis fit. Sed pace illius, dicebat Sergius, hoc est vim Auctori inferre: absolutè enim pronunciat, *Coctio aufert putredinem*, non cicurat. Quid deinde refert intentatos refricare humores, dum putredo præ foribus est, aut quæ dignitas scribentis erit, si dixerit, minori putredine tentabuntur humores cocti? Verùm, Deus bone, quando putrescere desinent humores hi, & per quam aliam mutationem? Inauditum est in bona, cultaq; sophia, idem subiectum numero simul, & semel moueri ad oppositos terminos, quanquam Vallesius Neniam hanc Iberam nobis persuadere conetur exemplo crudi humoris in morbi principio, qui neq; coquitur, neq; putrescit, habetq; rationem vtriusq; termini: quæ singula falsa sunt, & erronea, indignaq; tanto ingenio. Nam crudus ille humor potentiam habet ad coctionem, actu verò putrescit, febremq; excitat, secùs nō haberetur pro morbi principio, quòd à cruditate determinatur, non à temporis duratione. Neq; verisimile est tunc naturam penitùs ociari, si morbus futurus est salutaris, verùm aggredi materiam morbificam, quanquam victoriæ futuræ nulla adhuc emicent signa. Coercuit Eudemus differentem, suasitque, vt incunctanter, quod sui muneris erat, præstaret, nempè postremam ab illo propositam Thesim tutari. Obsequens ille asseuerabat, non tam rationi, quàm Auctorum placitis consonam illam esse, atq; euidentiæ: quæ verò in contrarium opponebantur, fucum tantùm facere, non adimere innato calori primatum in puris confectione. Quum quicquam coquere, consilium est, quamplurimum spiritum, seu innatum calorem seruari intus oportet; Pergameni consilio: sed puris confectio est coctio: ergo quantitas, non qualitas expetitur. Rursùs, calor innatus

Steph. de C. in lib. de Alim.

5. simpl. 2.

om-

omnium naturalium operationum est auctor: sed conuersio in pus, vnum est ex naturalibus operibus: igitur fiet à solo calore innato. Iterum à signo. *Alterationes secundùm naturam, quæ ab innato proueniunt calore, à simili extrinsecùs iuuātur,* quæ propositio Galeni est, & ab eodē vberrimè cōfirmatur exemplis admouentium ventriculo puellos, & catulos ægrè coquentis in subsidium: sed tale esse debet, quod ad mouēdum pus adhibebitur medicamentum in naturis temperatis, ex eodem Auctore *loco cit.* pus igitur fit ab innato calore. Eiusdem rei in confirmationem, eundem produco Auctorem sic disserentem. *In hoc differunt emollientia à pus mouentibus, quòd ista æqualem accendant calorem, ei qui est in homine secundùm naturam, quæ verò emolliunt multò maiorem, quocirca illa quidem quantitate potius, quàm qualitate caloris agere sunt nata; at quæ indurata emolliunt, qualitate potius: itaq; si in parte, quæ suppuratione indiget, assiduè impositas seruare manus, aut aliam quamuis partem, possibile foret, celerrimè sic suppuratio procederet.* Tunc sic: si à calore præter naturam fieret coctio, necesse esset qualitatem caloris intendere, non illius substantiam augere: at contrarium suadet Galenus experientiâ monitus: igitur non à calore præter naturam, sed à naturali adaucto fit coctio. Vlteriùs ex medicamenti conditione, quod corpori aptatur ad pus mouendum. *Nam si substantiam innati caloris augere, non intendere qualitatem ipsam conueniat, poros corporis obstructos esse necesse est*, verùm talia sunt emplastica, non ea, quæ admodum calefaciunt: igitur emplastica sunt pus mouentia. At si calor præter naturam pus moueret, illum augere calefacientibus optimum esset, non suffocare emplasticis: igitur quum hæc sola conueniant, sequitur superuacaneam esse operam caloris præter naturam. Præterea; ex admotione admodum excalefacientium euacuatur insignis portio innati caloris, eius verò qui reliquus, intenditur qualitas: at neutrum fieri expedit, monitore Galeno: igitur non à calore præter naturam,

1. aph. 15 loc. cit.

5. simpl. c. 6.

5. simpl. c. 9.

loc. cit.

ram, verùm ab innato expectatur pus. Insuper; illius caloris est pus conficere, qui vires omnes naturales adauget, quo pueri abundant; qui halituosus est, & ad vnguem qualitate symmetrus. Verùm hæ conditiones vnico competunt innato calori, igitur solus innatus calor pus conficit. Sat prata biberunt, exclamârunt omnes, superest, vt æquam impendas operam in conciliandis secummet Auctoribus, & Galeno præsertim, cuius sub signis hucusq; militâsti. Decebat me aliorum sustinere impetus, aiebat Sergius, non aggredi: feci tamen vestro hortatu, neq; rursùs obsequi recuso; licet vestrûm quiuis valeat egregiè caduceatoris implere officium. Superuacaneum duxi præmonere cordatos viros, coctionem apud Priscos putredinis nomine indigitari, quæ res minùs attentos Lectores nonnunquam deuiare fecit. Vnum tantùm præfabor in præ-
Com. 2. in lib. Hipp. Progn. t. 28. sentiarum, quod adnotabat Galenus, dum signa traderet exitûs sanguinis transfusi: hic enim mollis esse debet, ac subuiridis, si citra inflammationẽ debet supuprare. *Quare si membrum mollescit, & non rubeat, inflammationem abesse demonstrabit. Supurantis sanguinis indicium erit carentia vtriusq; coloris, ruboris, scilicet, & nigritiei: nam vbi rubor est, inflammari, vbi ex toto niger, neque suppurari, neque concoqui se à natura denunciat, sed concretum esse: hoc enim ipsi accidit, vbi diutiùs extra venas maneat, etiamsi in corpore contineatur, siquidem in eo casu nunquam in pus vertitur. Contra si natura in corpore superet, vertitur in pus, si ea vincatur, putrescet.* At superare, & non superare, putrescere, & non putrescere, contradictoriè opponuntur; nunquam igitur de eodem verificari valent. Quapropter ex nuper traditis eruenda est repugnantiæ sedatio, nam transfusus sanguis, vel inflammationem passus fuit, vel non. Si primum, impossibile est, quin aliquem putredinis subierit gradum, illiusq; olidæ, vt
2.42. dicebat Galenus *in Com. Aphoris.* hinc vestigia remanent nonnulla: haud enim inconueniens est, accidentia nonnulla superesse in genito, quæ fuerant in corrupto, &, vt dicunt Scho-
læ,

læ, non semper resolui mixtum, vsque in materiam primam. Secùs fit, si anticipauerit coqui sanguis transfusus: nam verè tunc dicitur minimè putruisse, fœtida, nempè, illa putredine, verùm ex talis misti corruptione transijsse in nouæ substantiæ generationem, vincente penitùs naturâ. Quæ si benè, attentèque quis animaduertat, percipiet, minimè canere me palynodiam, verùm cohærere singula inter se ad amussim. Reuertamur in viam. Sanguis collectus, parte non inflammatâ, ipsoq; non grumoso, absque putredine, pus fit; quòd si aduenerit inflammatio, pus fit, sed non vsquequaq; laudabile. Causam assignari petebat Quintus. Differ quæsò, rogabat Sergius, donec Auctorum dicta conciliem. Igitur de postrema hac puris generatione nō semel verba fecit Galenus, dum miscellam mutationum, variosq; putredinis gradus recenset *in lib. de diff. feb. in Aphor.* & alibi, quem sequuti sunt posteriores Medici Græci, & Arabes. Sat esset tandem vt Quinto percunctanti satisfacerem, Pergameni effatum recitare: *Causa naturalis concoquit, præter naturam putrefacit:* verùm quoniam plures hîc cespitârunt, duos simul, & semel ponentes in parte calores, quod abhorret Sophia, ideò attentiùs, & mens Auctoris, & veritas indaganda. Verissimum est, nullique controuersiæ expositum, causam naturalem, innatum puta calorem, concoquere: præter naturam, illiq; aduersarium, destruere, & putrefacere: coctionem igitur hic nunquam ingreditur per se, potest tamen per accidens turbare functionem. At, dicebat Quintus, non entis nullæ sunt passiones: sed, te fatente, vnus tantùm in parte est calor: ergo neque per se, neque per accidens calor, qui non est, operari poterit. Audi, infit alter, neq;, vt opinor, absq; lucro. Non vnicum est quod vitiat puris generationem: primum quidem materiæ contumacia, inepta quæ cedat in partiū alimentum quantumcunq; innatus calor illam elaboret. Nôstis enim, quòd agētis opera in disposito patiente recipiuntur: potest tamen fieri pus absq; putredinis vestigio, ni præcesserit

c. Progn. c. 42.

hæc,

hæc, vt dicebamus. Fuit qui obijceret, at si per te coctio est, quæ putredinem cessare facit, cur pus, res planè cocta, putredinem non abiecit; igitur aut falsa prima credulitas, aut erronea, quæ suadetur. Satisfaciebat commodè, causatus non inconueniens esse, accidentia nonnulla corrupti superesse in genito, qua de re dudum. Insuper plures illius esse gradus, pro dominio efficientis, & materiæ contumacia, quod adnotauit Galenus. Percunctabantur, an præter imbecillitatem innati calotis, aliquid Sergius causaretur: nam effectûs positiui, causa assignari debebat positiua, non priuatiua. Plura complecti imbecillitatem, dicebat Sergius: neque solam caloris exiguitatem significare, verùm & vitium. Succedere materiæ conditiones, quandocunque ille feriatur, hincq; labefactari opus. Qui calorem dicit innatum in Schola Hippocratis, substantiam dicit, suis qualitatibus ornatum. Mitis est qualitas illa caloris, temperata, vaporosa, si naturaliter se habeat: vt verò recedit à primæua temperie, qualitas illa degenerat in igneam, & hoc vel in toto, vel in parte. Nisi enim cordi communicetur, membrum tantummodò patitur huiusmodi infortunium. Quanquam verò substantia non agat, nisi mediantibus accidẽtibus, vtpotè expers cõtrarietatis; aget pro modo labefactati instrumenti. Hinc superstite innato calore, actionesq; promouente, deflectit ab optima mutatione, non tam materiæ, quàm propriæ qualitatis vitio: quæ res fecit, vt aberrarent duplicis caloris in suppuratione fautores. Summa hæc est, quòd sanguis extra vasa in via est ad putredinem olidam: hunc si aggredi anticipauerit natura, integro innato calore pus fit absolutum, nulliusque fœtoris particeps: si putredo sanguinem occupauerit, aut labefactata sit qualitas innati caloris, pus succedit vitiatũ, pro materiæ, & efficientis statu, variosq; nanciscitur gradus ad putredinem vsq; olidam, quum innatus calor penitùs succumbit. Officium esse Medici cordati in primo gradu, caloris innati quantitatem in parte augere, cõseruare in sua temperie qua-

de diff. feb.

lita-

litatem, in altera non tam quantitate prospicere, quàm excessui caloris, & ad naturalem temperiem deducere, quæ res plurimùm refert in Medicina facienda, non secùs ac contemplatio particularium Naturarum, quod obseruabat exactè Gal.

De Lumbricorum causis nonnulla controuertuntur.

REpudiabat nimis vagum, prolixumque dicendi argumẽtum noster Pamphilus, quod sibi sors obtulerat, vixque Eudemi auctoritas valuit repugnantem confirmare. Quapropter silentio facto, dicam ille infit, nonnulla de Lumbricorum causis, quę nostro, superioriq; æuo controuertuntur; tum si quis nactus occasionẽ propugnare nouitia paradoxa ambit, fas per me esto; sin minùs, designatam prosequar excursionem. Haud implicita in primis est efficientis Vermium causæ indagatio; nam quantùm video, Summo Naturæ à secretis constans illa mens fuit, quam disertis expressit verbis 5. *de Hist. Animal. cap.* 19. *Commune omnium Vermium est, & eorum, quæ ex vermibus proueniunt animalium, vt primordia generationis, aut à Sole, aut à spiritu præstetur.* Daniel Sennertus æquiuocæ huic causæ dum renunciat, & vniuocam expiscatur eorum, quæ oriuntur ex putri, non leuem coætaneis desciscẽdi à Præceptore præbuit ansam. Semina quædam superesse in cadauere sibi persuadet, è quibus erupturus sit vermis, stato tempore, congruoque promotore adiutus. Vt hoc credat, faciunt inconcussus ille ordo, vt è determinatis cadaueribus, seu vegetantiũ, seu animalium, determinatum etiam, certumq; vermis, aut insecti producatur genus, non promiscuum, aut varium. Quapropter obseruamus in tritico, nasci gurgugliones, in robore cossos, in fimo scarabęos, in homine lumbricos. Semen dicit inibi latitare, mox verò semini quid ἀνάλογον. Intrudit insuper formas ignobiliores, 3. de Gẽ. An. c. 3.
fultus Aristotelis patrocinio, non denegantis principium vitale

3. de Par An.c.11. le excrementis, & alibi monentis calorem animalem in vniuerso esse, *ita vt quodammodo plena sint animæ omnia*. Matrices quasdam spontaneorum animantium sibi finxerat Iul. Scaliger, Exerc.59 sect.2. semina hæc fouentes ad generationem, non quidem solitaria, sed ambigua, & formas plures in se continentia, aut ad plures 1. de Plãt formas disposita, vt in bombyce, brassicæ semine, & rapa. His clanculùm dum supparasitatur nescioquis, malam mercem, nouo inducto nomine, occultauit, mox verò quod illi mussauerant, apertè professus est: formas scilicet, posse diu in materia latitare, nihil illi tribuentes, ibiq; asseruari, tanquam in dolio, aut testa. Has verò partem esse, atque ramenta prioris formæ compositi, iam destructæ. Cui Præmigenes: proh quàm verum protulit quandoque sublimis Author, nullam rem tam absurdam, atque ridiculam excogitari posse in studio Naturæ, quin suum non inuenerit quandoq; assertorem. Et ne longius abeam; quid insulsius dici, excogitariue poterat, quàm frustillatim substantiales formas partiri, naturâ indiuiduas, atque incorporeas, loci proindè incapaces, qui corpori tantum debetur. Satiùs erat sustinere, non perijsse animal, quàm forma præsente, atque superstite, compositum illud dicere cadauer. Quãprimùm enim anima è corpore discessit, animal esset desijt Aristoteli; neque membrum vllum, nisi figuræ suæ ratione, idem 1. de Part An.c.1. relinquitur, modo eorum, quæ fabulæ transijsse in lapidem narrant. Atqui mortuus homo, quanquam figuram forsan habeat eandem, homo tamen non est. Esset autem, & animatum, & viuens, si quod ramentum animæ haberet superstes, quod istis placet. Insuper viribus Naturæ, non tam reuiuisceret homo, quàm animalia cuncta: quæ sententia erronea est, atque absurdissima. Finem censendi faciam, quandoquidem Amicus noster in suo Apologetico nuper edito, abundè rem perpendit. In Multa Mulctræ. Tam comis erat Pamphilus, vt pro Sennerto causam diceret. Moderâsse illum nonnulla in hyponeumate, seminis nomine abusum fuisse, forsanque, & formæ: quæ tamen nullo modo

admit-

admittebat Præmigenes, hominemq; ex industria errâsse asseuerabat. Præ manibus enim quum haberet Præceptoris oraculum, enucleatè singula enarrantem, confudit ille semina, & formas cum calore animali. Complere hunc sublunarem plagam, non abstinere ab excremẽtis, ita vt *quodãmodo plena sint animæ omnia.* Quamobrem constituat, inquit, celeriter, cum calor ille cõprehensus, vel exceptus est. Comprehenditur autem, & humoribus corporeis incalescentibus fit veluti bulla. Hîc Sennertus insurgeret, ni fallor, aiebat Pamphilus, neque iniuriâ. Nimis enim vagum assignatur efficiẽs certis vermium speciebus, ex certa causa tantùm procreandis. Confundit ille, reponebat Præmigenes, proximam materiam cum semine, nomenisq; abusu labitur sensìm in deteriora. Pendet omnia ex certo in Naturalibus principio, non quodlibet ex quolibet fieri, neq; in quodlibet corrumpi, sed determinatum ex determinato. Gurgulio fit ex tritico (pace vestra, & Iul. Scaligeri dicam) putrescente, non Scarabæus, qui ex fimo habet natalia. Iungitur particulari huic materiæ calor ille vagus, euaditq; in formam congruentem præuiæ dispositioni. Habent necnon excrementa procliuitatem ad consimilem formam inducẽdam, cùm similem habeant facultatem cibus, excrementaque cibi: quæ tutior, me iudice, fuisset via paradoxon tuendi, obsecundante Peripati Principe, qui à fauatione non abhorret, licèt non fauantia animalia inter spontina recenseat. Haud patiebatur Sergius è tritico gurgulionem erumpere, pronuba putredine, quæ nulla ibi obseruatur, solisq; mistis competit. An non & mistum est triticum, respondebat Præmigenes, vel integris viribus vermem sibi noxium connutrit? fieri ex putredine animalia spontina quamplurima, & rationi, & euidentiæ consonum est, quomodolibet illud *ex* sumatur. Nam terminus ille à quo, mutationis, putredo est, insuper ex putridâ hac massâ secernitur proxima vermis materia, promouetq; calor, indiuiduus putredinis comes, fermentatq; congeriem. Viden' quo

l. c. 3. de gẽ. an.

quo iure inferat se putredo, licèt noua generatio materiam agnoscat coctam, secretam, dulcemque, monitore Aristotele. 3. de gē. an. c. 11. c. 3. *Sed enim*, vt ille dicebat dudū, *stultas opiniones admodum scrutari, stultum fortasse est.*

Cominùs indagantur Vermium Promotores.

NOn sat iniuncto officio se perfunctū existimabat Pamphilus, nisi contraheret disputationem ad rem Medicam, & causas Lumbricorum interim cominùs inuestigaret. In dubium reuocari in primis posse videbatur, & natura, & gradus caloris illius, qui disponit, vel conciliat vermibus formam. Nam quantùm ex vestris concertationibus conijcio, non controuertitur actio putrilaginosi caloris in fermentata materia ebullientis: quô fit, vt segregentur putrescentes partes inutiles, congregentur verò in vnum reliquæ, antiquo caloris priuilegio. Procedat ne vlteriùs hic, apparetuè subiectum, coctionem suo more promouens, non ita complanatum experior. Perijt siquidem in re putrida innatus, domesticusq; calor, quæ misera est conditio omnium putrescentiū, indicante Præceptore. Arist. 4. meteor. Perperam igitur aduocatur innatus calor, qui iam perijt; nisi tamen suppetias exorant ab insidente solidis partibus. Verùm circumfluus hic, quàm beneficus futurus sit rei alienæ, non adhuc concoquo: sat erit, nisi incommodet. 5. aph. 26 Turbant me necnon & alia, præsertim quæ ex Galeni doctrina in medium adducunt: sed præstat ipsum audire loquentem. *Lumbrici verò, atq; Ascarides videntur alijs animalibus proportionaliter gigni, quæ non semine, sed ex putredine habent generationem.* Hucusq; non malè. Prosequitur ille: *Sola enim putredo hæc non est sufficiens ad generandum, sed calore plurimo indiget.* Cuius in sententiam manibus, pedibusque, vt aiunt, posteri iuerunt. Secùs præmonuerat me olim Stagirita. 4. de gē. an. c. 10. *Calores, & refrigerationes cum moderatione quadam, generationes, sine moderatio-*

ne

ne corruptiones efficere. Vacat igitur, aut incommodat *plurimus* ille *calor* Galeni, qui obuiam materiam assabit, nõ corrumpet, vel putrefaciet. Mendum suspicabatur irrepsisse in contextum Sergius, quapropter substituisse alios *calori plurimo*, *sufficientem*, alij *multum*. Parùm variant, dicebat Pamphilus: indicant scopulũ, sed non euitant, quin datâ operâ ratem huic allidunt, sat rati, si verborum inuolucro declinâsse discrimen videantur. Nam si vrgeas, quis, qualisuè sit calor ille *sufficiens* ad vermium generationem, haud remissum laudabunt, sed *magnum*, cui magna etiam est necessitudo cum *plurimo* Galeni. Percunctor insuper, vnde tantæ expectentur copiæ. Sin præ ianctis viribus putrilaginosi caloris, & innati, infida (quãtùm video) erit societas, prauiq; exitus, quod neq; vos, forsan, auersaturos opinor. Infestis dubiò procul signis, inquiebat Sergius, res procederet, sed vni calori innato corporis vniuersi committitur negocium; qua de re audi rursùs Pergamenum egregiè philosophantem. *Cibus itaq; plerumq; corrumpitur in ventriculo, & præcipuè in inferiore, puerulis: verùm caliditas in valde tenellis, nondum materiam superat, in adultioribus autem, & materia idonea est ad animalium talium generationem, & præterea caliditas adest.* An deest caliditas illa *valde tenellis?* Non puto, vel me seduxit Hipp. à quò mutuaueram olim hanc eruditionem, quod homo calidissimus est primis vitæ suæ diebus. Cur materia aptior est in adultioribus ad animalium talium generationem, siquidem in pueris corrumpitur plerunq; cibus in inferiore ventre? Dices, credo, cum Galeno, quia nondum *materiam superat.* At superata materia, iam domestica euasit, alitq; animal, non degenerat. Satiùs proinde erat dicere, in valde tenellis, quæ contingunt quãdoq; cibi frustrationes, præ illorum ingluuie, non procedere ad Vermium vsque generationem: quoniam innatus illorũ calor, quum vegetus sit, materiam superat, nisi impediatur, arcetque cunctam putredinis suspicionem. Adultioribus verò, quibus non adeo ampla in-

l. cit.

nati caloris supellex, si fiant alimenti corruptiones, facile tūc terminari in vermes, præ languidi Directoris viribus. Scepticè hæc in controuersiam voco, quô disputationi ampla hinc pateat area; quòd si renuitis, reliqua ex iniuncto mihi officio prosequar incunctanter. Itum est in sententiam communibus votis.

An alicuius rei in gratiam producantur Vermes?

MAlè audit Sapientum auribus, quod vulgò circumfertur, fieri omnia finis alicuius in gratiam; quæ misera forsan est Medicorum quorumdam conditio. Plus profectò ijs
1. de gē. an. c. 1. sapuit Aristoteles, qui opportuno in loco nos docebat. *Causæ igitur hæ sunt duæ numero, altera cuius gratia, altera ex necessitate: multa enim gignuntur, quia necesse est.* Siquidem ærugo, & rubigo in metallis, verrucæ, & aliquæ vitiosæ excrescentiæ in animalibus, nullius rei in gratiam fiunt, sed materiæ solius vitio; quod neque ignorauit Trismegistus in Asclepio. Finis dubiò procul, quoniam res extrinseca est, habet nihilominus rationem boni, atq; expetibilis; hæ tamen conditiones sæpius desiderantur in rebus Physicis. Quæ verò meæ sunt partes, disputationem ad Vermes, qui in humano gignuntur corpore, vel animalis cuiusuis perfecti, dum contraho modò, vereor ne videar vobis morosus, aut impensè superstitiosus. Vagātur enim de re proposita diuersæ Artificum opiniones: alijs quidem placet totum hoc vitio particularis materiæ tribuere, velutque ex consequutione quadam contingere vermiū generationem, nullaq; proinde Naturæ cura: alijs verò secùs arridet, causamque propriæ credulitatis adducunt, ornatum, scilicet, Vniuersi, & perfectionem, hominisq; insuper commodum, cuius in gra-
in Gene. tiam omnia condita sunt. At dicam ego cum sacro Chronologo, vidit Deus in Mundi exordio cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona: optima intelligo, omnique perfectione exculta.

Ab-

Aberant tunc Putredo, & Vermes, quos repudiat κόσμου nouitas, atq; indoles ab ornatu deriuata. Reliquum proinde eſt, vt videamus quid homini conducant noua hæc animalcula. Ne prætereas, dicebat Antyllus, quod Orbi conducat illorum generatio, aut qua vrgente neceſſitate è ſinu ſordidæ materiæ eruperint, dignitatis humanæ in gratiam. Nôſti, enim, Scaligeri argutationem, qui hominem medium agnoſcit inter extrema. Nil verò abſurdius retur, quàm medium ſine extremis. Quærebat Pamphilus, quænam eſſent illa extrema? & cur ille medius? Quia Princeps, referebat alter. Annectebat Pamphilus, at Princeps præſtat cunctis, neq; medium ſe conſtituit, niſi tunc, quum ius ſuum vnicuiq; tribuit perpetua, firmaq; voluntate. Medium ſi dixeris Principem in hoc ſenſu, quid hominis conducat dignitati non video. Præfecit Deus hominem cunctis operibus, non quidem, vt ius diceret, verùm vt ijs ad libitum vteretur. Quæ nunc tibi fingis extrema, vbi ſummum tantùm, & infimum, nullo intermedio comparandum. Experiamur commodum, quando inducta haud ſubſiſtunt. Purgamenta dicunt inſuper Orbis, & elementorum, verùm haud animaduertunt fateri ſe, quod tanto euitârunt nixu, ex putrida materia illos gigni. Addo, quod neq; verum eſt, illam abſumi; quandoquidem plurima ſupereſt, & aliunde nati aluntur. Hinc certa pernicies, quam vicinis locis inferunt: factumque nonnũquam eſt, vt peregrinas inuaderẽt regiones locuſtarum agmina, ſatis, atq; mortalibus cunctis infeſta, ne dicam feralia. I nunc, & commoda inita. Neq; profectò domeſtica homini infecta munificentiora experieris: multorum enim malorum, & prauorum ſymptomatum cauſæ lumbrici ſunt, & ſæpè tanta peſſimorum accidentium congeries cõcurrit, vt Medicos nonnumquam ancipites reddat, & vix credibile videatur, tot, & tanta mala à ſolis Lumbricis prouenire. Proſequar cum Sennerto illa recenſere. Sæpe à Lumbricis Vomitus, Cardialgia, „ Syncope, Singultus, tormina inteſtinorum, & dolores Colico „

„affectui similes, sopor grauis, Deliria, mœror, tristitia, concus-
„siones per somnum, Febres ardentes, Angina, Pleuritis, atque
„alia Symptomata grauia excitantur, & nonnunquam ipsa mors
infertur. Habentne hæc boni rationem, atque expetibilis? Ve-
Auic. f. 16. tr. 3. c. 5. rùm, aiebat Antyllus, Arabum Principi ex vsu sunt eo nomine, quòd *saliant super putrefactiones separatas in Mundo, & cibantur eis propter communitatem, & assumunt eas ab habitationibus hominum, & ab aere continente eos, & Vermes quidem ventris sunt huius generis.* Erunt igitur res naturales penitùs, omnique ingenio accersenda, atq; conseruanda, subijciebat Pamphilus.
de diff. morb. c. 8. Malè sit Galeno, qui me docuit, quandoque Lumbricos, & Ascaridas rem esse toto genere præter naturam, vt lapis in vesica. Non plus debeo posteris, qui præseruare, enecare, tandemq; è corpore vermes exturbare, magno nixu, & operosis arcanis suasêre. Declinabat accusationem Antyllus, fassus morbosos iudicari Vermes, quum actionibus incommodant, contingere verò tunc, quum plus debito superfluum exugunt humorem. Abnuebat Antagonista, & grauiore assertore hos dicebat ruere lapsu. Præterea, quòd aliud assignatis alimentum, præter illud, ex quo constabant: quapropter haud absumetur, cessatq; prædicatum commodum. Insuper deterior illa pars superstes deteriorem etiam lucrabitur putredinem, duplicabitq; homini malum. Quæ verò necessitas erat tales educare helluones? An non peruio, suetoq; corporis vniuersi emunctorio poterat illius indemnitati facultas consulere, quod & facit frequentissimè, nullo discrimine, maximaq; conferentia. Vlteriùs progredior: contineât intestina vnicum, duosuè lumbricos. Quæro ego, suntne tibi res naturales, an non naturales? Nullum enim admittunt medium nostra hæc contradictoria. Non puto, te dicturum, Vermes rem esse naturaliter: recurrit igitur posterius, morbus erunt in quantitate discreta, semperque vectoribus incommodabunt, quantùm illis datur; quin mala, quæ audîsti, inferent, plus, minùsue, pro illorum
acti-

actiuitate, & subiecti resistentia. Dices tu, non percipitur læsio: At nobis non sentientibus, plurima etiam irrepunt, progrediunturq; mala, quæ Galeni obseruatu, paulatim consueuêre fieri, statimq; erumpere. Scitum est circa initia, & fines morborum omnia esse mitiora; latitat præterea venenum canis rabidi, Appulæ Tarantulæ, atq; consimilium, minimè ociosum, quanquam actionibus euidenter minimè incommodet. Sic calculus, in vesica minimus, mucoq; obductus, non percipietur à Patiente, morbus igitur non est? Quid absurdius, aut Præceptorum monitis magis aduersum? Ad formam argumenti. Morbus est dispositio præter naturam lædens actiones: transeat. Sed Vermes non lædunt actiones: negatur, vestrumq; est, quod assumitis, probare; quanquam ego ex abundanti clancularias obiecerim dudum læsiones: quòd si res præter naturam sunt Vermes, morbusq; in numero: vacat proinde causa finalis: nunquam enim Natura appetit malum, vel concipit illud sub ratione boni.

De Lactis materia ad mentem Hippocratis ex P. Martiano.

LEgerat hunc Titulum Philotimus, onusq; disceptandi declinabat, in causâ minimè dubiâ, & Procerum Medicinæ vnanimi consensu iamdiù firmatâ. Mirari se, cur ad incudem res notissima reuocetur. Cui Sosias recentes Prosperi Martiani conatus dum indicaret, bellum insuper indici Galeno, eiusq; sectatoribus, quos naucifacere consueuit Auctor ille intimus à secretis Magno Hippocrate. Exarsit Philotimus, quanquam nullius addictus iurare in verba Magistri, seq; malle dicebat Priscorum sectari negligentiam, quàm noui hominis obscuram diligentiam. Verùm, quoniam ad Lydium veritatis lapidem, euidentiam, nempè, & Hippocratis placita, prouocabat Martianus, placuit cunctis, vt non insalutatus abi-

ret nouus Athleta. Is nanq;, posthabitis reliquis Summi Dictatoris monitis, maluit suspectum excolere placitum Auctoris *lib. de Natur. Pueri*, qui & Tractationem *de Natur. Muliebr.* edidit, vt ipse testatur. Simul tempore moueri infantem, & Lac in mammas concedere, supponit vt certissimum; contingere vero ob ventris compressionem ab vtero, tũcq; pinguissimum de cibis, ac potibus foras prosilire in omentum, & carnem, velut oleum ex corio madefacto, si exprimatur. Elaborari interim pingue illud credit à caliditate, quæ ab Vtero accessit, venis mediantibus, per quas remeat Lac cõfectum, pueri in alimentum, reliquum in mammas seponitur, stato tempore erogandum. Hæc fuit sententia Auctoris *lib. de Nat. Pueri*, qui Polybi redolere credulitatem visus est oculatissimo Galeno. Neq; tamen existimet velim vestrûm, dicebat, quisquam, hunc præterijsse sanguinem, aut denegasse progressum ab vtero ad mammas: quanquam Martianus parcissimè admittit, quem sex telis seu rationibus impugnat antiquam sanguinis possessionem in Lacte condendo. Has recitaturum se fideliter pollicebatur Pamphilus. Erat verò prima in ordine. Si
» tota Lactis materia esset sanguis, perfectam sanguificationem
» iam consequutus in hepate, impossibile esset, mulierem lactan-
» tem viuere; constat, enim, infantem vltra duas libras sangui-
» nis sugere: quod quidem, si ex totidem libris sanguinis consta-
» ret, sequeretur à mulieris corpore duas sanguinis libras ex-
» cerni quod incolumi nequit fieri animali. Quicquid sit de
» quantitate Lactis diurnâ, dicebat Philothimus, petit Martianus illud sibi concedi, quod controuersum est. Eximebat hominem Pamphilus à lapsu, monens illius nomine, nequaquam resistere nutricem largæ Phlebothomiæ crebrò administratæ, ne dicam singulis diebus, quin neq; pari sanguinis profluuio absq; vitæ metu, vel cachexiæ. Præterquam quod neq; Ventriculus tantam ciborum quantitatem separare, nec hepar conficere potest, quæ & corporis nutritioni, & sanguinis excre-

tioni

tioni satisfacere queat. En tibi, respondebat Philotimus, euidentissimam principij petitionem. Nam de reliquis, fallitur Martianus, maleq; procedit ab operibus integræ Naturæ ad opera Artis, seu Naturæ vitiatæ. Valet commodissimè mulier Lac præbere, & sanguinem, siquidem, Aristotele monitore, *omnium Fæminarum maximè mulier sanguine abundat*. Huius verò temperies masculo frigidior, plurimum huic operi commodat, consultore Galeno. *Frigidiorem igitur eam eousq; fieri satius fuit, quoad alimentum, quod concoxisset, ac confecisset, totum discutere non posset: quod, enim, est frigidius, nec concoquere quidem potest: quod vero plane calidum, vt concoquere, ita discutere valide potest quod igitur non ita multùm ab exquisite calido relinquitur, & coquere satis, vt quod non amplius est frigidum, & relinquere aliquid superfluum potest, ceu quod non vehementer adeo sit calidum*. Parum insuper sanguinis erogat mulier in partes sui corporis externas, plurimùm visceribus reseruat, monitore Stagirita. *Minùs sanguinis per summum corporis fæminarum est, plus enim parte interiore continetur*. Et alibi: *Minùs venosæ sunt fæminæ, quoniam excrementum, quod eò tendat, confluere in menstrua solet*. Exiguum præterea illud est, quod discutitur, quum vitam degat sedentariam, atque vmbratilem, rarò sub Dio, & in laboribus. Huic habilitati plurimũ gignendi sanguinem, si congruam insuper addideris materiam, dubiò procul cessabit omnis hæsitatio. Plus cibi appetunt, & conficiunt nostrates Lactantes dimidiò, quam faciant reliquo vitæ tempore: præterquamquod optimis vtuntur cibis, iurulentis, & vino copioso, multam, celeremque præbentibus alimoniam. Quid igitur remorabitur euentum, vbi materia prompta, efficax efficiens, finalis causa omnium vrgentissima, præsens? Hæc ad primam rationem Martiani, quæ non minùs suo Auctori incõmodat, scribenti in lib. *de Morb. Mul. Dulcissimus humor ex cibis, & potibus ad mammas vertitur, ac exugitur, & necesse est etiam reliquum corpus magis euacuari, & minùs sanguine plenum fieri.*

3. Hi.an. c.19.

14. de V. P. c.6.

Loc. cit. 1. de G. an.c.19.

Sat factum omnes iudicârunt. Quapropter secundam in ordi-
„ ne recitabat Pamphilus. *Si mulieri vtero gerenti non fluunt men-*
„ *ses, quia sanguinis exiguum quotidie absumitur in fœtum, quomo-*
„ *do possibile esset lactanti menstrua fluere, si singulis diebus tanta*
„ *sanguinis copia in lac absumeretur? plurimis verò menses secundū*
„ *naturam fluunt.* Inconsulto proprio coryphæo profert hæc
„ Martianus: alioquin didicisset, quarè prægnantibus parùm san-
guinis supersit. Monuisset insuper Aristoteles, quod *conceptus*
4. de G. Al. c. 6. *purgationem impedit*, tantumque abest, vt hoc præstet absum-
pto sanguine, quod *principio potiùs quum concipiunt, perturbari*
solent magna ex parte, illudque in causa est, *quoniam conceptus,*
præ sua exiguitate, absumere copiam excrementi inter initia non
potest. Verùm morem homini geramus, monentes interim, ne
laudati à se Auctoris vlteriùs vellicet placitum. Nam quod at-
tinet ad purgationem in Lactantibus, hanc & possibilem, & ne-
cessariam existimo. Necessitatem mihi persuasit amicus qui-
dam meus in sua *Physic. Lactis Analysi*, subsequitur proindè ad
id quod meliùs non repugnantia, præsertim, si acceserit parti-
cularis Lactantis natura, temporisque progressu feriæ mam-
marum, assuescente iam puero solidioribus alimentis. Quapro-
pter sic retorqueo argumentum. Igitur natura non tam suffi-
ciens est gignendo sanguini, lactationis in gratiam, verùm in-
super, & excretionis. Vitiosè proinde concludit Martianus,
quoniam falsa assumit, maleque suo Antesignano cohærentia.
Laudârunt cuncti. Prosequebatur interim Pamphilus. Tertio
„ loco, corpus tantæ sanguinis copiæ generationi assuetum, sta-
„ tim in perniciosam plethoram incideret, vbi lac dare cessaret;
„ Et tamen nihil incommodi alicui euenisse obseruatum est, im-
„ mo menses ante consuetum tempus ijs erumpunt, nec copia
„ consueta maiori: signum euidens, nihil, aut parum consuetæ
„ excretionis retentum esse, quum nec nimiam quidem sangui-
„ nis repletionem inducere potuerit. Breui Philotimus ad hac
„ farragine se expediuit, fassus illud fortè posse contingere, si
mu-

mulier consimili in posterùm vteretur victûs ratione, neq; frugaliùs ablactato infante, aleretur. Haud tamen quamlibet sanguinis copiam plethoræ illam mancipare, vsu iam callentibus vasis maioribus plurimùm continere cruoris, cui tamē præter modum augescenti, prouida consuluit natura, vel Galeni obseruatu. *Muliebre enim genus, & quod domi ageret, neque vehementibus laboribus exerceretur, aut sub claro Sole viueret, ac ob vtraque hæc multitudinem humorum coaceruaret, ipsam euacuationem plenitudinis, tanquam remedium naturale obtinere opus habebat.* Itum est in sententiam: hinc Pamphilus Quartum auspicatus est educere auxiliarium. Si ex sanguine Lac generaretur, sive ab vtero, siue à qualibet parte secedente ad mammas, puerperij purgationes cessarent omninò, dum secundâ à partu die, tanto impetu fertur ad mammas: sed nihilominus vtraque copiosè procedunt: igitur signum euidens est, aliam esse materiam Lactis, aliam puerperiorum, quorum si portio quædam ascendit ad mammas propter motum concitatum in vtero, tempore partûs, cuius calore excalefactæ mammæ maiorē sui copiam postea trahunt à ventre, hæc non est tanta, quæ puerperia impedire, aut auertere possit. Antequam Martiano satisfaciam, dicebat Philotimus, obseruo hominem, veritate coactum manus dare, & sanguinem, quē ex institutò arcebat, admittere tandem, non absq; pedagio limitatiuncularum. Cominùs nunc congrediamur. Nullâ necessitate cogor, vt primam illationem admittam, quin pernego. Non enim per eadem vasa, neq; ex eadem materia vtraq; fit euacuatio, neq; si fieret, talis, tantaq; esset, vt non sufficeret, & purgationi, & Lacti gignendo. Deonerat tunc se Vterus, & vicinas partes, ab impuris succis, quos grauiditatis tempore congesserat: quod & nouit Antiquitas, referente Galeno. *Sic enim & λοχεῖαι, idest profluuium in partu, purgationem Antiqui Medici, nō absolutè euacuationem appellauêre. Quum enim natura, quæ fœtum format, augetque, vteri gerendi tempore optimum sanguinem trahat, relin-*

De V. S. ad c. 5.

Lib. de Atrabile c. 3.

quitur

gnitur portio in venis deterrima, quæ post partum excernitur. At ſanguis puriſſimus, qui ſuperas conſueuit alere regiones, vltrò concedit in mammas, venarum axillarium vectura, quanquam non dubitem, & per epigaſtricas, ſi quid purioris ſupereſt, primis, ſaltem, diebus, illuc confluere, aboleri verò progreſſum, ſuccedente ſuperflui Lactis ingreſſu. Commodè igitur erogat, & depurat ſagaciſſima Natura, matriq; conſulit, „ & Proli. Laudârunt omnes. Quinto loco adducebat Pamphi- „ lus: *Si tota materia Lactis eſſet ſanguis ab Vtero tranſmiſſus ad* „ *mammas, natura ductus maiores conſtituiſſet, eoſque continuatos,* „ *non adeo exiles, & anaſtomoſin inuicem conuenientes: ſed talia* „ *non ſunt vaſa illa: igitur neque ſanguini in Lac ceſſuro viam præ-* „ *bent, quia ſuâ anguſtiâ obſtant, ne affatim in mammas ruat.* Natu- „ ræ lis indicitur, aiebat Pamphilus, cuius tamen Numen vbiq; admirandum, quomodo in partium ſtructura ſit ſuſpiciendum, monuerat olim fidus illius à ſecretis. Falſum præterea eſt totum illud, quod aſſumit Martianus: non enim tota materia Lactis eſt ſanguis, qui ab vtero tranſmittitur ad mammas, neque in prægnante, multòq; minùs in effæta. Falſa præterea eſt, ac ipſi autopſiæ aduerſans exilitas illa vaſorum, in grauidis præſertim: quandoquidem Recentiores Anatomici obſeruarunt inſignem horum amplitudinem, ita vt calami ſcriptorij foramen æquent, & ſæpe minimi digiti craſſitiem in noua puerpera. Poſtremo tandem loco adducebant. *Si Lac ex ſanguine generetur, non ex ſucco à cibis, & potibus expreſſo, impoſſibile eſſet odorem, & facultatem ingeſtorum adhuc retinere: ſed Lac omnia illa retinet; igitur.* Vallat hęc experimẽtis egregius nugator. Sat habui falſiſſimum audire illius aſſumptum: quum tamen veriſſima ſit oppoſita enunciatio, nempe, quod ſanguis ingeſtorum conſeruat facultates. Secus ſi contingeret, cremandi eſſent libri de *Simpl. Medic. facult. De Vict. rat.* & reliqui de materia Medica intùs adminiſtranda. Reſtituere teneretur inſuper malè parta Medicus incredulus, ſimul & cum expenſis, reus

præ-

Ariſt. de hiſt. An. c. 2.

A. Spigel. 1. Reſol.

præterea & diſcriminis, cui expoſuit ægrotantem. Coercuit indignabundum Eudemus, alteri foro reſeruans iudicium.

Diſcutitur rurſus Lactis materia.

DVm hæc aguntur, obtrudebat nobis euidentiam Præmigenes, vulgi vocibus, & aliena obſeruatione perſuaſus. Ferunt vulgò, dicebat, euidentiſſimè aſcendere Lac ex Vtero. Quæ ſi conſtant; non infirmum hinc deduci poſſe credebat argumentum pro Vteri facultate γαλακτοποιητικὴν. Quid tu Antylle? Non magis repugnabat hic, quàm ſi nares hæmorrhagia fluentes hæmatoſi dignâſſes. Percunctatus rurſus, vnde Lac illud procederet, vt audiuit à mammis, vix ſe continuit, rurſuſq; euidentiæ clypeo munitus irrupit; quandoquidem ſi Lac illud ex mammis procedit, debebant hæ confeſtim detumeſcere, proportione habitâ ad decedentem ſuccum: verùm turgent tunc magis, reditumq; Lactis ſe percipere teſtantur mulieres peritæ. Ridebat Antyllus, odi, inquit, profanum vulgus, & arceo, plus apud me valet amici laudati c. 12. ſtudium ſua in *Phyſica Lactis Analyſi*, qui & reditum illum patefecit, & Vterum excludit, ab huiuſmodi opificio. Quanquam etiam nõ negat refluere ſanguinem ad mammas in muliere prægnante, non adeo facilè illud admittit in effæta; nunquam verò patietur ſurſum repere Lac ex Vtero. Quandoquidem huius impotentiam in Lacte conficiẽdo ſatis ſuperq; propalet. Verùm neq; Auctor *lib. de Nat. Pueri*, ſiue Polybus ille fuerit, vt credit Galenus, ſiue quiuis alius, Lactificam hanc vim vtero demandat, verùm ex accidenti conferre tradit. *Lac autem ob huiuſmòdi neceſſitatem fit. Quum vteri tumidi præ puero ſunt, ventrem mulieris comprimunt* &c. Conciliare præterea Vterum ipſum neſcio quam caliditatem, qua de re forſan inferius. Illud verò noto, quod ille aperte fatetur. *Expreſſum venit in mammas, & in vteros quoque, parùm venit per eaſdem*

venas,

venas, & vbi peruenerit in vteros de Lacte, puer ipso paululũ fruitur. Dicam aliquid de superstite mammarum tumore, haud .n. ambigo Lac superfluum mammis per vterum expurgari, nonnunquã & per vasa vretera. Verùm neq; omnis albicãs humor inde excretus Lactis nomen meretur. Profluit.n.multis in puerperio, extraq; illud tempus, similis impuritas, præsertim in fine mensiũ, vbi corpus Ichoribus scatet pituitosis. Quę si constant; plurimum arctant fines tuæ instantiæ, Præmigenes: haud enim implicat contradictionem, eodem tempore excerni saniem ab vtero, & laudabilem gigni succum, asseruariq; in mammis. Verùm dato etiam, quod principio assumpsisti, multa cum cautione procederem in pręsenti negocio. Nam dum puerpera, vel Lac negligit, illudq; vario artificio tandem abigit, vel tuetur, & allicit in propriæ, alienæue prolis beneficium. Vtrisque Lac defluit primis diebus ex vtero, priori quidem vniuersum, posteriori, quod superest lactenti paruulo: secùs, si grandiorem, alienumq; vberibus admouerit. Depleri tunc mammas nulli potest esse controuersum; priori quidem suffragatur euidentia, alteri coniectura. Nisi enim de nouo afflueret materia, exhausisset iam infans vniuersum penuarium; nunc velut fluuius, non statarijs, sed nouis interlabentibus aquis, vtramque lambit ripam, & pristinum vix seruat specimen. Hæc pro suspicione, quam tibi incusserat Præmigenes, tumor superstes mammarum. Quòd si tibi, vt opinor, factum satis; liceat modò (pace vestrâ, Collegæ ornatissimi) aliqua obseruare in Polybi lucubratione ad nostram rem facientia. Annuit consessus vniuersus. Tunc ille, pacati quæsò, atq; vnanimes locum perpendamus *Libri de Glandulis*, vbi hæc habet Author. *Quin si glandulæ in pectoribus mammæ appellantur, & attolluntur, ac Lac faciunt* (nota) *aliquibus verò Lac non faciunt.* Si germana est Hipp. tractatio, quod credo, iam manus da, & vtero renuncia, sin Polybi, quem sequeris; amplectere doctrinam, vel inuitus, & tuo Doctori subscribe. Sat mihi illud est, subijciebat Præmige-

nes.

nes; *aliquibus Lac non facere*, vt destruam vniuersale tuũ decretũ. Fugam & hãc tibi præripit idem Author, reponebat Antyllus, in lib. de Morb. Mul. quà de Mola. *Est autem hoc magnum signum, quod Lac in mammis non generatur*. Neq; desiderabatur illa compressio ab Vtero in ventrem, vel eiusdem Authoris obseruatu, *& venter plenus est, velut prægnantis*. Obijciebat Pamphilus ex Martiano, haud sat esse compressionem, vt fiat Lac, nisi accesserit calor ab vtero, promouens expressam materiam. Languet verò pars præ iniquo hospite. *Causa verò cur sanguis iste ad mammas demitti incipiat, est motus ipsius fœtûs in vtero existentis, & ideo Lac in mammis non generatur, antequam fœtus moueri incipiat*. Iam percipio, dicebat Antyllus, quid conferat fœtus. Suspicabar nanque præ illius vegeto calore auxiliares copias mammis accidere: siquidem monuerat nos Martianus alibi. *Cùm enim tota virtus mammis ab vtero proueniat, vtero ab incluso fœtu, sequitur mammas, aut benè, aut malè suo munere fungi, iuxta fœtus in vtero conditionem*. Nostri proinde misertus tandem Martianus, motui infantis illud tantùm se referre acceptum, nõ calori præpotenti liberaliter insinuat. Reponebat Præmigenes: Verùm neq; motus fæliciter succedit absq; spiritibus, & calore. Vrgebat Antagonista: at neque illa præcedente tempore desiderabantur, siquidem constat testimonio Senis, quòd homo primis diebus calidissimus sit, Lac tamen exulabat tunc omninò. Speciosus tamen quibusdam videbatur locus à Martiano interpretatus. *A cibis, & potibus mammæ inflantur* &c. cuius authoritatem nemo in dubium reuocat, neq; Authorem: est enim omnium consensu legitimus Hippocratis. Cuius in explicatione idem Prosper constanti sententia singula aptat, quæ professus alibi fuerat, rursùsque adducit sensatum, præ alijs, testimonium ipsarum Nutricum, quæ statim ac cibum, & potum maximè assumpserunt, materiam Lactis ad mammas descendere manifestè sentiunt: quæ testantur vlteriùs, vt mihi eas percunctanti est manifestum, huiusmodi humo-

Loc. cit.

Martian. de Morb. Mul. nu. 325.

In Aph. 93. 2. sect.

2. epid.

humorem ab humeris descendere per clauiculas ad mammas, ipsas, idq; euidentiùs persentire aiunt, dum actu fugit puer. Quid recoquis odiosam crambrem, dicebat Antyllus? valeăt tuæ Nutrices suo cum descensu, valeat Martianus necnon suo cum commento, magis quàm commentario. Mens Authoris illius sat dubia est, præsertim si integra, non mutila producatur: habet verò. *A cibis, & potibus humeri, & mammæ inflantur, & impotentiæ, & inflationes in capite incrementa faciunt, donec ossa fuerint solida facta.* Quis Deûm, hominumuè, Martiano reuelauit Matri illa contingere, non fætui? Pro quo duplex militat coniectura, & quod de ijs, quæ accidunt fætui, minimè interrupta serie verba tunc faciat; & quod, ni fallor, cogit, euincitq; pathemata illa contingere, donec ossa fuerint solida facta non quidem Parenti, quæ iam adulta, sed fætui. Verùm, esto, Matri illa aptentur; quod placuit Vallesio in Cōment. placere necnon illa debebant, quæ idem Author Matribus applicat. Hæ nanque primis mensibus, vbertim confluente sanguine ex Naturæ instinctu, neq; in Embryonem, præ copia, adhuc absumpto, plethora in superioribus partibus laborat, donec fætu grandiore iam facto, ossibusq; compactis, molesto alioquin onere leuentur. At mordicùs dum retinet conceptam credulitatem Martianus, tanquam pro aris, & focis dimicaturus, non animaduertit, quàm deuiet à mente apertissima Auctoris, monentis, *& impotentiæ, & inflationes in capite incrementa facere*, caput mammarum interpretatus, ni sanguinem fateretur materiam Lactis, qui tamen manifeste ad caput ascendit, nulla superstite pro Lacte suspicione. Insuper perpendere priùs necnon debebat, quid contingat, quando conturbatus, & secretus sanguis foràs non procedit, sed in vteros: vteri autem non hiauerint, tunc sanè à sanguine, diutiùs immorante vteri calescentes, reliquo corpori calorem transmittunt. Hucusq; Martiano non incommodat. Pergat legendo. Quandoq; etiam sanguinem in venas corporis distribuunt, vt & venæ repletæ doleant,

leant, & tumores laxos producant. Quandoq; autem periculũ eſt, ne claudicatio ex hoc inducatur, & reliqua damna, quæ recenſentur pro beneficio prętenſo ab vtero, dũ calorem corpori communicat. Hunc tamen ad libitum diſponat quis pro Aduerſario, & vigeat ad opus ex proprio ſenſu: non enim diutiùs hîc immoror. Quanquam & ſi admiſero ſanguinem non conturbari in prægnãte, ſed procedere ſenſim, & modicè citra dolorem quotidie in vterũ ipſum, abundat nihilominus, malaq; in Epid. minata inducit, monetq; inſuper alieno ſe commeatui minimè miſcere, promptus ad imperium, quũ ſpiratio amplior redditur, magis ſanguinem trahit, & vberior is in Vterum deſcendit. Hunc reparari ex aſſumptis alimentis, Lactis in prouentum, & ratum, & omnibus in confeſſo, Lac ex ſanguine, non expreſſum ex alimentis emergere monet idem Author, ſi congruos nactus fuerit Auditores. *Sunt quædam mulieres, quibus ſufficientes menſes purgantur, quædam quibus pauciores: hoc ipſum ſi ſemper fiat in natura, & in genere maternum ipſis exiſtit. Quæ verò menſes paucos demittunt, hæ etiam pueris poſtremo tempore, vbi iam maturi fuerint, alimentum rarius exhibentes, ipſos calcitrare faciant, vt & ante decimum prodire feſtinent. Modicus enim ſanguis à iuuenculis, ac nouellis matribus procedit: vt plurimùm verò contingit tales mulieres etiam ſine lacte eſſe, quæ paucos menſes demittunt. Sat prata biberunt.* Hipp. de Nat. Pueri in fine.

De Duplici Lacte.

NOndum manum de Tabula, dicebat Sergius, durior ſupereſt adhuc ſuperanda prouincia de Lacte in muliere non prægnante, neq; effæta. Nôſtis enim quid monuerit quandoq; ſummus Medicinæ Dictator, *Si mulier, inquit, quæ neq; grauida eſt, neq; concepit, lac habet, huic menſtrua defecerunt.* Non deſunt hiſtoriæ, & obſeruationes, quas collegit Skenkius, nuperè amicus noſter ſua *in Phyſ. Lac. Analyſ.* alias attexuit, & poteſt 5. Aph. cap. 73.

nupe-

nuperam inducere matronã, mihi benè notam, quæ pancraticè viuit, hoc vno excepto, quòd vberrimã producit à multis annis Lactis copiam, quanquam mediocres non desiderantur purgationes menstruæ. Hæc verò conceptam ab Antiquis opinionem confirmant, & Hipp. sententiæ, omnium firmissimæ adstipulantur. Reclamat, & obstrepit vulgus, Lac habet, ergo peperit: cuius vocibus obrutus Mauritius Cordæus, vir impensè Doctus, declinauit impetum, quod & fecit A. Laurentius Anatomicus celeberrimus, de linitus, forsan, ab Hipp. qui falsam à vera conceptionem distinguebat ex Lactis præsentia. Poterat & locum de *Nat. Pueri* nuper examinatum attendere, in quo motus vterq;, & infantis in vtero, & Lactis in mãmas pari passu progrediuntur. Factumq; tandem est, vt duplex admitteret Lac, spurium in non grauidis, legitimum, in prægnantibus, & effætis. Magnum petitum hoc est, dicebat Antyllus, reclamante sensu, particularibus obseruationibus, forsanq; & ratiocinio. Par æquumq; proinde est ad incudem paradoxon reuocare placitum. Age, dic nobis mi Serge, quo Numine nouam hanc insistant viam? Hippocratico, dicebat, ex *lib. de Gland.* & de *Nat. Puer.* vbi locorum, *Mulieribus*, inquit, *rara est mammarum natura, & alimentum, quod ad se attrahunt in Lac immutant.* Hic primus est generationis modus. Alterum describit eodem loco. *Ab vtero accedit ad mammas Lac, quod post partum infanti cessurum est in alimentum.* Hoc autem exprimit, ac sursum mittit omentum ab ipso fœtu iam grandiore coarctatum. Quapropter inferebat Antyllus, nonnisi in prægnantibus legitimum illud inuenitur Lac, nulli futurum vsui, magno sanè Naturæ piaculo. Nequaquam, respondebat ille: reseruatur enim edito iam infanti. An Flacco coetaneam testam mutuâstis, ridens, inquit Antyllus, vberrimum euasurum in penu. Quod si nôsti, biduo absumi vniuersum hunc commeatum, vndè quæso parēt edentulo nouam alimoniam? Properat adhuc ad mammas ex vtero, referebat Sergius, non quidem

lib. de morb. mul. c. 4. & 6.

l. 9. anat. quæst. 2.

quidem vrgente fœtu, verùm ob consuetudinem motûs, tra-ctione à mammis, præ suctu infantis, vasorum amplitudine, motu, & exercitatione mammarum, tandemq; vacui fugâ. Benè est, dicebat Eudemus, quòd tot se munierint auxiliarijs in re ancipiti: Sat enim lubrico se vallârunt patrocinio, ni fallor, & si qua tibi fides, quæ apud me maxima est, illud prorsùs eueniat, vel ex nupera tua confessione. Nam trahitur, & properat, vltrò te fatente, Lac legitimum in mammas, neq; tamen audio nouas rursùs induci Lactis species. Explica proinde, si libet, quicquid habes huius placiti in confirmationem. Obsequebatur Sergius. Duplex, inquiunt, est Lactis generatio, vt superiùs audîstis, duplexq; natura. Prius ex sanguine generatur, cui exitus consuetus per vterum denegatur, & in mammas refunditur, nihilq; aliud est, quàm superfluum mammarum alimentum à propria earum vi, & facultate lactescens, quod absque gestatione, partu, vel concubitu generatur. Alterum dicunt puerperiale, quod ex vtero communicatur, fœtu iam maturo, non molâ in vtero existente. Hoc verum dicunt Lac, alterum non verum, neque exquisitè coctum, tenue, dilutissimum, ad alendum omninò ineptum. Quod tamen fieri in mola non erit inconueniens ex tua Théoria, dicebat Eudemus. Illegitimum insuper foret Lac prægnantis, vt audio; quia nulli futurum erat vsui, nisi post menses septem. Animaduertisti ne, quàm malè distinguant, veritate coacti, Lac vtrũque; quinimò confundant? Cui enim competit definitio, eidem competere debere, & definitum, clamant scholæ, obstrepunt subsellia. At Lacti cuicumque competere allatam definitionem, nemini sano potest esse controuersum: quod superest, infer tu, Lac vtrumque, & legitimum, & verum esse Lac. *Superfluum dicunt mammarum alimentum*, rectè, & ad Hippoc. mentem, qui Lac, & sanguinem, alimenti dixit redundantiam *in lib. de Alim.* promotorem non dubitat, facultatem nempè mammarum galactopitichin; non enim Lac ab Vtero procedit, sed

ſanguis, qui vbi ad mammas peruenit, Lac fieri audîſti ſuperiùs. Quid ſi genericam dixerint deſcriptionē ad Lac vtrumq;, reponebat Sergius? Viam ſibi præcluſerunt, aiebat Antyllus, neque rerum ſtatus patitur tale effugium. An non animaduertis, quàm malè rem diſponāt, quàm incautè enuncient, attendantq; ſanguinis vectigal ab Vtero in puerpera, & nutrice; quum tamen præſtò ſint venæ axillares myriadibus ſurculorū in mammarum ſubſtantia implantatæ, perque illam diffuſæ. Quid præſtaret imaginarius ille calor ab vtero, præter opus conſimile membro, à quo emanat, Præceptorum obſeruatu? dum neque virili ſexui denegatur, illudq; alimentoſum: hoc verò eliminat illorum peruicaciam. Quid præterea calorem euocant è longinquis receſſibus, cùm præſtò ſit, finitimus, focus, & lares innati caloris? Lac illud ineptum eſſe altioni, damnant hiſtoriæ, qua de re amicus ille noſter in *Phyſ. Lactis Anal. & Sckenk. obſer. de mammis*; verùm pro tenui, & ichoroſo illud venditare, refragatur experimentis. Dicere, ex particulari fieri redundantia, non ex officiali coctione, quid aliud eſt, quàm petere quod controuerſum eſt, ſuſq; deq; vertere firmiſſima Authorum placita, aſſerentium non aliâ actione vtraq; abſolui, verùm confectâ alimoniâ, reliquum erogari commune in beneficium.

De Butyro nonnulla ex Plinio.

PRomptuarium illud vniuerſæ Naturæ, Plinius ſecundus, in ſuæ Naturalis Hiſtoriæ *lib.* 28. hæc obſeruat, dum Lac elaboratur. *Reliqua decoquunt in ollis, ibi quod ſupernatat, butyrum eſt oleoſum naturâ. Quò magis vires reſipit, hoc præſtantius indicatur. Pluribus compoſitionibus miſcetur inueteratum. Natura eius aſtringens, mollire, replere, purgare.* Mendum irrepſiſſe poſtremis in verbis, non iniuriâ, meliores credunt: quî enim aſtringere valet molliſſima ſubſtantia, & quæ ſtatim *mollire* dicitur?

citur?

citur? Mercerus, cui subscribit Dalecampius, pro *astringere*, legũt *digerere*, qđ tribuit admixto sali posterior Author. Amicus noster, è re nata, pro *astringere* legebat *abstergere*, præcipuè in *mollioribus corporibus, in quibus butyri vsus commendatur*. Rationem euentûs confestim annectebat. *Hanc vim commodè ipsum exercere, tum ob serum inclusum, diuturnitate concrescens, tum etiam, si vetustate, aut salis consortio, maiorem extergendi facultatem sibi lucrifecerit*. Quorum in confirmationem proprias adducebat obseruationes consonas Classicorum monumẽtis. *Illud insuper animaduerto, quæ summè viscida, ac pertinaciter hærentia, paruipendere conatus omnes humidi aquei, quantumuis extergentis, vnctuosis verò statim obsequi, ob substantiæ familiaritatem: quod experiri licebit in liquidis Resinis, præcipuè verò in Therebintho. Si quid tale igitur nanciscitur Butyrum, præcipuè verò in pectore, & in pulmone, plus cæteris, atque valentiùs exterget: quapropter in expellenda sanie laudabat ipsum Auicennas edoctus à Galeno, qui Butyrum extulit, semperque magnifecit*. Doctissimus Antonius Santorellus in Eruditissima, omnibusque numeris absoluta tractatione *de Sanitatis Natura*, ambigit de *abstersione* asserens, *quòd cùm præstare facilè butyrum non valeat, retentâ lectione, dicerem, butyrum assumptum laxando purgare, extra admotum occludere sua crassitie poros, ideoq; videtur quodammodo astringere, & hac via digerere: quippe cohibito calido effluuio maturat apostemata, auctore Principe*. Veritati & ego, non amicitiæ, litabo in præsens: quanquam sententiarum dissensio non est voluntatis alienatio. Abstergere butyrum facilè euincet, qui conditiones Plinianas obseruat. Nam & coquebatur in ollis tunc, quæ res virus illi conciliabat, nidorem nempè, nostris refritto, Germanis non insuauem, quem arte accersunt, accenso intra ollam igne, statimq; suffocato, pro extemporaneo iusculo, additâ aquâ feruente. Accedit nidori *vetustas*, quæ res calidius reddunt, atque acrius Butyrum, ac proinde non ineptum abstersioni, præcipuè *in mollioribus corporibus*. Insinuat

In Phys. Lac. Anal. c. 42.

Loc. cit. pag. 362.

Lib. 12. c. 14.

ſinuat ſemet ſerum certiſſima obſeruatione, tandemq; vetuſtate areſcens, Dulcem relinquit ſalem, qui abſterſionis vires duplicat, excreturas, ſi acceſſerit inſuper extrinſecum ſal. Nam quòd digerere Butyrum propter hunc aditum, exiſtimat Dalecampius, eius pace, haud credo, Sal ſimul digerit Galeno, & contrahit contactam ab ipſo ſubſtãtiam; aphronitrum digerit; haud ſimiliter aſtringit, quod & præſtat Sal vſtus. Sal verò quicunq; extergit dubiò procul, quod vel experientur, qui veſtes marinâ aquâ eluunt. Infirmum vbiq; auxilium (fateor) ni accederet Butyro facultas ab ætate, & Sale congenito: Siquidem obrueretur à ſuperflua mole, cui emolliẽdi inſita vis eſt, non contrahendi partes, aut abſumendi humorem. Veſcum concipio ego Butyrum, ac proinde modice ſalitum, huic ſubducendi vim permitto, caua quinetiam vlcera replendi, Hippocratis monitu. *Vbi verò carnem producere voles, pinguia, & calida magis conducunt, ab his enim, caro pullulat.* Vim molliẽdi, qui Butyro adimit, concedet, erudiendus à Cerdonibus, & Lanarijs. Adſtringendi ius, me iudice, nullum habet, nec recens, vel ſimplex, neq; vetuſtum, aut miſtum. Prætereo volens ſenſibile hoc guſtûs criterio ſubijci: non enim facultates medicamentorũ ſunt, ſed guſtui reſeruatæ qualitates, Gal. Itaq; in ijs, aut prorſus quærenda non eſt contrarietas, aut non ſicut in facultatibus quærenda. Scopus autem in iſtis duplex eſt, nempè eorum actiones, & temperaturæ. Adſtringens medicamentum terreſtre eſt, & frigidum: illius opera ſunt cõtrahere, conſtringere, denſare, repellere, & incraſſare, & ante hæc omnia, refrigerare, exiccareq;: quis proinde Butyro illa aptabit? Iure igitur, meritoq; declinauit hos ſcopulos ſolertiſſimus A. Santorellius, maluitq; improprietatis damnare Plinium, quàm à vulgata recedere lectione. Et vt pateant diſputationi fores, non negârim vim quandam Butyro emplaſticam: at plurimum diſtant opera emplaſtici pharmaci ab operibus adſtringentis, vel in ipſa corporis ſuperficie. Contrahitur ab adſtringente

9. Simpl.

lib. de Affect.

8. Meth. 5. ſimpl. c. 26.

pars

pars in ſemetipſam, hinc denſatur, conniuentibus interim poris. Infarciunt hos emplaſtica, & ſæpè illam emolliunt, quod contingit Butyro: quapropter extorre à ditione adſtrigētium, preſsè loquendo, illud facimus. Sin autem adſtringere tanti valeat, quāti effluuium prohibere, malè illi cohæret, vtpote quod ſimul, & digerendi vim habeat, præcipuè in mollioribus corporibus. Diaphoreſin intelligo, non pepſin, quam coctionis nomine, non digeſtionis indigitant politiores. Subſtituitur proinde non immeritò *Aſtrictioni Abſterſio*, quam præſtat Butyrum, non tam in ſubſtantijs externis viſcidis, vt notabat Amicus, verùm & in internis, & quæ viſcera humana obſident; fautorem habeo Galenum 10. *ſimpl. cap.* proprio *de Butyro. Sed & in ventrem deuoratum* (butyrum) *& ex eo diſtributum, magnificè confert expuitionibus ex pulmone, idq; in pleuriticis, & peripneumonicis affectibus, cum hoc, quod eos etiam concoquat. Atq; ſi ſolum lingatur, magis quidem concoquit, verùm minùs educit, ſin cum melle, & amygdalis amaris, plus educit, ſed minùs concoquit.* Hauſerat hæc, ni fallor, ab Hipp. monēte, quod *pingues ſorbitiones ad ſputum ſurſum excreandum conducunt.* Sat hæc ſunto pro Butyri abſterſione. 3. de Morbis.

Sanguine puriore ali Fætum.

EXciderat cuidam noſtrûm, velutq; ratum in conſultatione quâdam habita, pro muliere prægnāte, abortum pati ſuetâ, enunciauerat, puriore ſanguine ali fætum. Non tam nouum, quàm durum quibuſdam illud contigit, quî fieri poſſit, vt poſthabita parentis ſalute, tota eſſet Natura in fętûs prouentu. Inſuper experimento compertum eſſe, grauidas plurimas meliorem lucrari corporis habitum, pingueſcere præterea, argumentum probæ coctionis ſanguineæ, Ariſtotelis monitu. Neq; præterea ſuppetere cuiuſuis Claſſicorū teſtimonia. quapropter arbitrarium poſſe videri placitum, ſolerti conie-

ctura excogitatum. Quod sui muneris erat, repugnabat Antyllus, inque Scænam producebat primo loco, Galenum, qui *primo de sympt. caus. cap. 7.* quâ de grauidarum *Cittâ*, siue Picatione, hæc habet. *At primis duobus mensibus parum sanguinis in fœtum attrahitur, vtpote adhuc minimum, cum scilicet quod in vtero est hoc tempore, nec Embryon vocatur, sed cyema, hoc est, vteri gestatio. Hoc autem auctius redditum, tum ipsum ampliore nutrimento vtitur, tum non solum quicquid optimum in venis est, id attrahit, ceu priùs dixi, sed etiam quia plus indigeat eius quod vitiosum est aliquid vnà trahit.* Et constanti sententia alibi profitebatur. *Quippe menstruorum suppressio offendit, non tamen perinde, vt si à partu supprimantur, officit, quod non abundantiam modò, sed insignem etiam humorum pariat prauitatem. Nam meliorem sanguinem ad se fœtus, nutrimenti causâ, alliciens, relinquensque deteriorem, causa est, vt prægnantes prauis humoribus impleantur, quas à partu euacuat Natura.* Hauserat dubio procul doctrinam hanc ab Hippocratico latice, vt ipse testatur *in lib. de Natura Pueri. Trahit enim à sanguine ad se fœtus, id quod est dulcissimum*; verùm potuit & alibi, vtpote Coæ Institutionis perquàm studiosus, rem plenius alloqui. Obseruabat senex, *quum mulier in ventre habuerit, tota fit cum virore pallida, quoniam purus ipsius sanguis semper quotidie ex corpore destillat, & in fœtū descendit, & augumentū ipsi accedit. Et quum paucior sanguis sit in corpore, necesse est ipsam esse pallidam, & semper alienos cibos appetere, & sanguinem in ventrē intrare, & debilior fit; quoniam sanguis minuitur.* Quam obseruationem, pace vestrâ, proferam nuper à vobis allatæ, vtpotè quotidianis experimentis cōgruentem. Non diffiteor, contingere nonnunquam oppositum: sed rara hæc est auis, forsanq; funesta: aut .n. fęmellam in ventre alit mater, aut imbecillē marē, vitæq; breuis: quæ verò rarissimè contingunt, vt nôstis, sub scientiam nō cadunt. Nondum composita videbatur lis, vrgebantque rursus Antagonistæ inofficiosam Naturam occultis artibus matri insidiantem.

[Margin notes: 5. in 3. Epid. ægr. 7. — Gal. 5. Aphoris. com. 3. — primo de Morb. Mul.]

Quam

Quam tamen calumniã repellebat Antyllus incunctanter, fassus, atque professus, congruere hanc œconomiam Vniuersi ordini, & Summi Conditoris infractis legibus. Singula, dicebat, æmulantur æternitatem, proq; sui modo in hanc collimant: quibus corruptibilis materies nonnisi propagatione illud assequi licuit: sic consultum specierum æternitati. Eneruantur stirpes, & oleracea, vt semen proferant, breuiq; marcescunt. Turgent animalia, viresq; concidunt, tam parua re proiecta, sed robustissima: prolis amor, & perẽnitatis appetitus suadent, vt proprio renuncient commodo, maioris expectatione. Impellit nonnunquam, haud diffiteor, male suada voluptas, at qui illam membris inseruit, sublimiora meditabatur. Siquidem Diuinæ Benedictionis imperio cuncta, quæ imam incolunt hanc Mundi plagam, industriè satagunt, vt propriam speciem noua sobole propagent. Huic proinde sedula obstetricatur Natura, inditoq; vegetissimo calore, cui formationis opus olim commisit, attrahit ille è venis dulcissimum succum.

Eadem ferè repetebat alibi, vt obseruâstis superiùs. Quum enim Natura, quæ fœtum format, augetque, vteri gerendi tempore optimum sanguinem trahat, relinquitur portio in Venis deterrima, quæ post partum excernitur. li. de Atrab. c.8.

CONTROVERSIA

De Castratione in gratiam Vocis.

PARÆNESIS.

Nihil auditu suaue sit, nisi quod alit animam melioremq; te reddit.
Lactantius Firm. Diu. Inst. lib. 6. cap. 21.

CAPVT PRIMVM.

De EphebEuiratione.

SVperuacaneum videbatur quibusdam ex nostris, rem propositam ad incudem reuocare: quandoquidem, & Encheiria sat feliciter à Chirurgis nostrâ ætate præstetur, & consuetudo inoleuerit, pueros castrandi impunè vel ad meras delicias. Secùs sentiebat noster Censor: siquidem non carere discrimine exsectionem, funestamq; pluribus fuisse, asseuerabat. Malos mores facilè irrepere, ægrè fugari; decere proinde, non quid fiat, sed quid fieri deberet, animaduertere, non secùs, ac quid euenire possit, non quid eueniant. Itum est in sententiam, onusque subijt non inuitus Philetas, contradicendi mutilationis fautoribus. Auspicabatur ab homicidij suspicione. Eadem est ratio, dicebat, totius, & partis: sed totum hominem necare nefas: igitur & mutilare. Insuper, si de quo minùs inesse videtur, & inest; ergo & de quo magis: sed minùs est dentem excutere pugno, quam partes genitales exsecare, & dens pro dente, nihilominus debetur ex Mose: igitur par pæna mutilanti partem præstantiorem debetur. At pæna nonnisi culpæ precedenti irrogatur: igitur culpabilis actio, est marium castratio, atq; illicita. Tertiò. Quæcunq; Diuinæ dispositioni aduersantur, sunt illicita: sed hominis castratio aduersatur Diuinæ dispositioni, benedictioni nempè: ergo est illicita. Maior euidens est: minor probatur. Indulsit Deus primis parentibus fæcunditatem, præcepitq; vt prolificationi operam darent: Sed ordinario Naturæ cursu hæc impossibilis est resectis testibus: igitur qui testes exsecat, dum sterilem facit, Deo iubenti prolificationem aduersatur. Præterea Blasphemus est exsector, sui, vel alterius; nam qui mutilat hominem, Deum Creatorem, tãquam superfluum proprio in opificio redarguit. Nôrunt agricolæ ea tantùm amputari, quæ sunt superflua. Ca-

Arg. negant.

P. Arg. Neg.

2. Arg.

In Deuter.

3. Arg.

4. Arg.

uent Physici Naturam incusare defectûs, vel redundantiæ; çarpes ne tu homũcio Naturæ Auctorem, atq; Protoplastem, cuius nempe manus plasmauerunt totam in circuitu mirabilem hominis compagem. Leuiore in crimine P. Tertullianus improperabat illa grauissima: *Displicet illis nimirum Plastica Dei: in ipsis redarguunt, reprehendunt artificem omnium.* Et ne quis vestrûm lõgis hæc nostra peti è recessibus dicat, præterq; naturæ fines vagari, contraham me posthàc: eâ tamen lege, quam proscribit Christiana Pietas circumspecto Consultori. Iungamus, quæsò, cum Moralibus dexteras, comitesq; caute progrediamur in posterùm. Hominem qui exsecat, hominem lædit, bona aufert, malis tandem exponit. Et ne gratis hæc accipere videar, sponsorem do P. Aeginetam. *Quum nostra Ars scopũ habeat, vt corpora à statu præter naturam, ad naturalem reducat, castratio contrarium eius profitetur.* Hęc pro particulari lęsione. Reclamant Politici, malaq; interminantur futuræ prolis osoribus, quod videbimus in progressu. *Ac certè Natura, Galeni depositione, instar sapientis cuiusdam vrbis conditoris, qui non id modò agit, vt vrbem suam in præsens tantùm tempus populo frequẽtet, sed prouidet, quo pacto in omne tempus, aut saltem diutissimè Ciuitas conseruetur. Nulla tamen Ciuitas floruisse adeò memoratur, vt non dies ipsa conditoris memoriam deleuerit: naturæ verò opificium multis annorum millibus iam consistit, atq; in posterùm stabit, nam mirabilem quandam artem inuenit, quomodo in demortui animalis locum nouum aliud sufficiat. Quæ igitur sit hæc ars, tum in alijs omnibus, tum autem in homine, vt nullũ animalis genus pereat, sed incolume semper maneat, atq; immortale, sermo hic docere promittit, hinc initiũ sumens Omnibus animalibus Natura concipiendi instrumẽta tribuit, ipsisq; instrumentis eximiam quandam vim voluptatis effectricem.* Excreuit odium apud Romanos adeò, vt Camillo, & Posthumio censoribus æra, pęnæ nomine, eos, qui ad senectutem cælibes peruenerant, in ærarium deferre iusserint non absq; consimili increpatione. *Natura vo-*

Tert. lib. 12. c. 5.

S. Arg.

li. 6. c. 68

14. de Vs. Part. c. 2.

Val. Maxim. l. 2. c. 4.

ra vobis, quemadmodum nascendi, ita gignendi legem scribit; parentesq; vos alēdo nepotum nutriendorum debito (si quis est pudor) alligauerunt: acceditetiam ijs, quòd in fortuna longum præstandi huiusce muneris vacationem estis assecuti, cùm interim consumpti sunt anni vestri, & mariti, & patris nomine vacui. Ite igitur, & nodosam exoluite stipem, vtilem prosteritati numerosæ. Cuius argumenti plura extāt exempla apud Eruditissimum Alexandrum ab Alexandro. Summa hæc est, quam populo suasit olim Metellus Numidius grauis, ac disertus vir. *Ciuitatem saluam esse sine matrimoniorum frequentia non posse.* Hæc pro læsione, & speciei, & indiuidui, ad aures vtriusq; Sophiæ, sat dicta sunto; scrutemur modò, quæ bona auferat castratio, facem præferentibus coryphæis. Peripati Princeps primo loco monebat. *Mutantur verò animantium aliqua formâ & moribus nō modò per ætates, & tempora, verùm etiam castratione: castrantur autem, quibus sunt testes.* Alibi verò in fœminas degenerare obseruabat execta omnia. Cominùs hæc prosequitur Pergamenus, roburq; vniuersi corporis vnà cum testibus excidi, omnemq; masculi habitum, & vires interire. *Videntur ne tibi, quemadmodum telis planæ, ita seminarijs vasis testes appensi fuisse? an non potiùs, quantùm ad vsum attinet, ad ipsum cor propè accedere? frigescunt enim qui eos amiserint, altera insiti caloris origine priuati: omneq; ipsis corporis robur collabitur, perinde ac si senes fuerint: neq; latæ venæ, neq; sanguis floridus est: arteriæ etiam parùm, & imbecilliter, sicut senibus, pulsant. Vnde patet, testes animalibus, & roboris originem esse, & caliditate multa totum corpus perfundere. Atq; iccirco, qui ipsis priuantur, depiles non modò mento, sed toto etiam corpore euadunt: paruasq; (vt dictum est) non secùs, ac mulieres, venas habent: ac quasi aliud quippiam magis, quàm animalia sint, nulla Venereorum libidine afficiuntur: vt in hoc vel corde ipso amplius habeant testes, quod præterquam quod caliditatem, & robur animalibus exhibent, generis etiam perpetuitatis in causa sunt.* Prosequitur laudatus nuper Auctor in pro-

Lib. 4. Gen. c. 8.
Argellius l. p. c. 6.
Arist. l. 9. de Gen. Anim. cap. 1.
Arist. 5. de Gen. Animal. c. 7.
Gal. 1. de sem. cap. 15.

proximo capite. *Quid igitur mirandum, si quemadmodum sentiendi, ac mouendi facultas è cerebro in neruos, pulsandi à corde in arterias diffunditur, ita quoq; à testibus in totum corpus vim quandam dispergi dicamus? quæ quidem in maribus robusti, ac masculi habitus; in fœminis ipsius feminex naturæ in causa est: ac propterea efficitur, vt fœmina excisis testibus, mari castrato similis euadat: aliæ enim omnes partes eandem in vtrisq; vim habent, hac verò, quæ eximia in vtroq; erat, qua scilicet & hic mas, & illa fœmina efficiebatur, ablatâ; reliquum in vtrisq; idem remansit, perinde ac si à principio neq; mas, neque fœmina vterque eorum extitisset, sed tertium quoddam, quod ab vtrisq; quidem differret, neutrum tamen illorum esset.* An *bona* exsecto auferri vobis videntur, studiosi Collegæ, cui & generandi facultas, & virilitas cuncta adimitur? Exulantium bonorum vicem sustinent aduenientia mala, quibus tandem se exponit malè sanus exsectus. Præter enim vniuersi corporis fœditatem, excremẽtorum iugem prouentum, ex vitiato vniuersi corporis, & partium primæuo temperamento, succedit breuis, atq; ærumnosa vita, mille querelis agitata, mille distracta tedijs, præsertim, vbi serâ penitentiâ, ignominiam sibi illatam detestantur. Ignominiam ingemino, quandoquidem hostibus turpem hanc notam inurere consueuerunt victores, quod videre est apud Historicos, pareinque pænam inuiti subiêre nonnunquam adulteri. Iniuriam apertè dicunt Legũ latores, cuius actio datur apud Presidem, vt videre est in *l. Cornelia.* His tamen grauiora accersuntur mala, quæ largè ministrat vitiata temperies: nôstis enim, quòd vberrimè euicit aliquando Galenus in tractatione, cui Epigraphe *Quòd animi mores corporis temperaturam sequantur,* quantum vitiata crasis priscis moribus incommodet. Obseruauerat olim Arist. vt dudum audîstis; formam, & mores castratis immutari. Cominùs Razi collimat fassus, quòd *Eunuchus, malorum est morũ, est enim stultus, & cupidus, & præsumptuosus.* Egregie, vt solet Chrisostomus, turpia mala exsectionem consequentia, quantùm

Exsectus malis exponitur.

Heraclid. Herod. Zoner. Cædinum Crispin. Niceph. Cranz.

In Matthæũ 19.

tùm Viro diserto, ac pio, fas erat, explicans habet. *Neq; concupiscentia mansuetior ita fit, sed molestior. Aliunde enim habet fontes sperma, quod in nobis est, & præcipuè à proposito in cõtinente, ac mente negligente.* Fontes, inquam, illos, quorum consueti riuuli castratione obcæcati, aut desuetudine obliterati, alibi erumpere testabatur Philosophus, & oculatâ inspectione obseruatos fuisse Pisis in Theatro Anatomico, testa batur Doctissimus Præceptor Franciscus Bonamicus in *lib. de Alim.* Horum si nihil est, effræni titillantur libidine castrati, eaq; nunquam deferuescente. Quandoquidem perpetuis agitantur stimulis, quibus modum haud imponit genituræ excretio, vel subsequens virium iactura petulantes compescit. Laudibus prosequitur Imp. Domitianum Martialis, quòd adulteria sustulerit, & vetuerit Spadones fieri.

Lib. 6, Epigr.

Lusus erat sacræ connubia fallere tedæ,
Lusus, & immeritos exsecuisse mares.
Vtraque tu prohibes Cæsar, populisq; futuris
Succurris, nasci quos sine fraude iubes.
Nec Spado iam, nec mæchus erit te præside quisquam.
At prius, ô mores, & Spado mæchus erat.

Malè tunc audiebant Romanæ Matronæ,

Cur tantùm Eunuchos habeat tua Gellia, quæris
Id. Mart. *Pannice.*

quapropter libidinem incusat Poeta, abacto prolis desiderio. Vehementissimam Eunuchorum Venerem agnoscunt, necnon damnantq; Theologi morales, rẽturq; *Illos esse in maximo salutis periculo, qu'n eis matrimonium inire ab Ecclesia est interdictum.* Lædit proinde Remp. & hominem, qui exsecat, bona aufert, malis corporis, & animæ exponit: illicita proinde, atque iniusta est castratio marium. Nondum manum de tabula. Reuocant nanque nos edicta Cæsarum, qui Domitiano successerunt Orbis in Imperio. Pientissimus Constantinus, cui tantùm debet Ecclesia, rescripsit A. Aurelio Duci Mesopotamiæ:

Bonac. Vniger. Bas. Pon. &c.

Cod. l. 4. Tit. 42. de Eunuchis.

Si

Si quis post hanc sanctionem in Vrbe Roma Eunuchos fecerit, capite puniatur, mancipio tali, necnon etiam loco, vbi hæc commissa fuerint, Domino sciente, & dissimulante, confiscando.

Seueriùs alibi in transgressores animaduertitur: ff. ad l. Cor. l.4.

Nemo enim liberum, seruumuè inuitum, sinentemuè, castrare debet, nec quis se sponte castrandum præbere debet. At si quis aduersùs edictum meum fecerit, medico quidem, qui exciderit, capitale erit, item ipsi, qui se sponte excidendum præbuit.

Et leg.V. *Hi quoque, qui Thlibias faciunt ex constitutione D. Adriani ad Nonium Hastã, in eadem causa sunt, qua ij qui castrant.*

Subsequitur lex VI. in ordine.

Is qui seruum castrandum tradiderit, pro parte bonorum dimidia mulctetur ex S.C. quod Naratio Prisco, & Armino Vero Conss. factum est.

Recrea nos, quæso, dicebat Sergius, gratissima Eruditione, & enuclea, quid sit Legislatori, *Thlibias facere*, haud.n.arridet vetus illa credulitas, quod *Thlibiæ instrumenta sint ad castrandum.* Obsequens Philetas, sic auspicabatur. Vox illa Græco deriuatur è fonte, quanquam vitiata circumfertur imperitia amanuensium. Θλάσιας Thlasias, vel Θλαδίας Thladias, vt alijs placuit, deriuabant à verbo Θλάω, quod contundo, elido, collido, conquasso, significat. Si cui arriserit *Thlibias* retinere, assertorem habebit Æsychium. Hæc de nomine. Rem si quæretis, Θλιβίας, Eunuchus est, cui elisi, & contusi fuêre testiculi. Nam castrandi modus duplex erat (vt nôstis) apud Veteres, quem retinuêre hucusque Veterinarij: per collisionem vnus, per exsectionem alter. Prior ità absoluebatur, monitore Ægineta. *Infantes adhuc pueri in peluim aquæ calidæ collocantur, deindè vbi laxata fuerint in ipsa pelui corpuscula, testiculi digitis colliduntur, donec euanescãt, & dissoluti, non ampliùs compacti ad tactum occurrant.* Capitale erat, vt dudum audîstis, vtro quis modo castrandum se exponeret, aut volentem castraret. Non indictus tandem abibit ex nostris, & Albucasis,

in lo l.c.

l.6.c. 68.

l.2. c.68.

qui

qui quamquam insignis Chyrurgus, vesani Mahomettis Sectarius, testatur, lilereq; deponit: *Scias, quòd castratio in lege nostrâ excommunicata est, & prohibita*. Hæc pro Coronide.

CAPVT SECVNDVM.
Antagonistarum rationes expenduntur.

NOndum deferbuerat Philetas, nouaque adducere paratum, compescuit Consessus Litterarius, iniquum ratus, inauditâ parte Ius dicere, præsertim quum celebres Auctores oppositam tueantur sententiam. Parcè se continet Salonius, si
» Pasqualigo credimus, illud enim vnicum adducit. Quia cùm
» vtile sit bonum commune Ecclesiarum habere Eunuchos cãtantes, potest bonum particulare Eunuchi, postponi bono cõmuni Ecclesiarum. Et quoniam parùm fidebat Relator infirmissimæ suasioni, nouas ponit ille assertiones, pugnantes plerumque è diametro cum conclusionibus affirmantium, illasq; pro virili rationibus vallat. Est verò prima in ordine. *Quod castrare non est intrinsecè malum*. Nam si esset tale, nunquam esset licita castratio, neque etiam vrgente necessitate, quod exemplo confirmat mendacij: nunquam, enim, licet mentiri: Sed castratio est licita ex iusta causa: ergò non est intrinsecè mala.

1. assertio Pasqual.

2 Assertio Pasqualigi est. Quod castratio sit licita, quotiescunque agitur de maiori bono corporis, siue in ordine ad cõseruationem membri principalioris, siue in ordine ad expellendã aliquam infirmitatem, vt supponitur in cap. *Ex parte de corp. vit. non ordinan.* itaut in tali casu minus bonum corporis
» cedat maiori bono. Firmat iure naturali; Nam maius bonum
» debet præferri minori, itaut liceat corrumpere minus ad saluandum maius, quod periclitatur. Quod & valere, inquit, in
» corpore humano, in quo minus principale membrum, debet
» cedere principaliori, & ideò abscinditur digitus, ne tota manus

2. asser.

nus corrumpatur. Vnde cùm homini ſit commiſſa à Deo cura proprij corporis, licèt non ſit Dominus, poteſt tamen diſponere de membris ſuis in ordine ad maius bonum, quia in hoc exercet munus ſibi à Deo commiſſum, & vtiliter gerit negotium Dei.

3 Ex dictis infert. Caſtrationem eſſe licitam pro conſeruanda voce, dummodo fiat conſentiente puero, & ſine periculo vitæ, vt contingit his temporibus, ob caſtrantium peritiã, eò quod fiat ob conſeruandum maius bonum corporis. Aſſer. 3.

Vox eſt quoddam bonum corporis, quod ex natura ſuã magnificiẽdum eſt, vtpotè propter homines ordinatũ ad manifeſtandum proprios conceptus. Et eſt bonum præferendum alijs membris minùs neceſſarijs. Addit inſuper.

Vnde quilibet eligeret potiùs eſſe ſine aliquo pede, aut manu, quàm ſine voce. Immo comparando vocem ad inſtrumenta generationis, quilibet eligeret carere potiùs his inſtrumentis, quàm voce, quia ſic caret minori commodo.

4 Elicit tandem ex dictis ſub nu. 8. Illud membrum, ſeu illud bonum corporis, eſt magis faciendum, ex quo plus commodi percipitur. Subdit Author: Aſſer. 4.

Hinc fit, quòd excellentia vocis ad cãtum ſit magnificiẽda.

Tum, quia eſt perfectio boni corporalis, quod pluribus membris præfertur.

Tum, quia ratione ipſius perſonæ redditur honorabilis etiã apud Principes.

Tum, quia eſt ſufficiens, vt inde acquiratur nobilis ſuſtentatio vitæ, & plus commodi ab ipſa percipitur, quàm ex eo quòd quis ſit habilis ad generationem. Vnde maius bonum cenſendum eſt, quòd ſit excellentia vocis, quàm non eſſe caſtratum.

5 Poterit igitur rationabiliter, & ſecundum ius naturale excellentia vocis præferri virilibus, & proinde adhiberi caſtratio, ne pereat excellentia vocis. Aſſer. 5.

Confirmat authoritate *cap. ex parte de corp. vit. nõ adm.* Vbi

„ ad præcauendum periculum lepræ permittitur castratio, & „ censetur iusta; quoniam ordinatur ad conseruandum maius „ bonum, ex quo percipitur maius commodum: erit igitur licita.

Tam longam, incomptamq; seriem exscribere fideliter placuit cunctis, ne vitio verteretur, si quid compendiosiori loquutione coerceretur. Responsiones interim eiusdem Auctoris ad argumenta negantium, distulêre pensiculandas ad calcem disputationis.

2.2.q.65. Interim consulebamus S. Theologiæ iubar fulgentissimum D. Thomam Aquinatem, quà de mutilatione membrorum; sperantes fore vt controuersiam dirimeret. Multis cautelis, vt dicebat, in re graui procedit Nobilis Auctor; primumque statuit, membra esse propter totum corpus, illique vtilia per se, per accidens verò noxia. *Puta cùm membrum putridum est totius corporis corruptiuum. Si verò membrum sanum fuerit, & in naturali dispositione consistens, nō potest præscindi absq; totius corporis detrimento.* Excipit mutilationes ob delicta illatas, *hoc autem non est licitum alicui priuatæ personæ, etiam volente illo, cuius est membrum.* Insuper licitum est, si membrum putridum necem interminetur vniuerso corpori, & hoc volente ægro, aut Præfecto illius valetudini. Concludit tandem. *Aliter autem aliquem membro mutilari est omninò illicitum.* Hæc D. Thomas: quæ parùm commoda censebamus futura mutilationis fautoribus, præcipuè verò, quæ sancit postremo in limine S. Doctor. Par, æquumq; visum fuit demandari Pamphilo respondendi negocium. Is verò præludens animaduertebat, honestari rem turpissimam prætextu communis commodi Ecclesiæ, quum tamen non vsquequaq; exploratum sit, quid, quantumuè Musica sacris debeatur. Certè S. Hieronymus explicans illud D. Pauli ad Ephesios; *cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino,* dicit: *Audiant hæc adolescentuli, audiant hi, quibus in Ecclesia est psallendi officium, Deo, non voce, sed corde cantandum. Nec in Tragœdiarum modum guttur, & fauces medicamine leniendæ*

sunt

sunt, vt in Ecclesia theatrales moduli audiantur, & cantica. Et Diuus Augustinus. *Quum mihi accidit, vt me amplius cantus, quàm res, quæ cantatur, moueat, pænaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire cantantem. Adducor cantandi consuetudinem approbare in Ecclesia, vt per oblectamenta aurium, infirmorum animus in affectum pietatis assurgat.* Iam igitur sat extenuatur Musicæ ditio in sacris cantilenis, quum ab Ecclesia excludantur Theatrales moduli, & qui permittũtur, nonnisi infirmorum in gratiam admittantur. Rata hæc sunto: verùm, quæ necessitas euirandi mares? An non & pueriles voces gratissimæ auribus nostris sunt, Spadonum verò, procedente præsertim ætate, ingratæ, ouium balantium ad instar? quid vetat substituere prioribus, dum excedũt ex Ephæbis, nouos impuberes, & chorum instaurare, nam *vno auulso non deficit alter.* Cominus modò cõgredior, vniuersumq; Salonij Enthymema nego. Neq; enim verum est, quòd sit bonum Ecclesiæ *commune*; sed particularis conditionis hominum, ijsdemq; sæpius illecebræ, quàm deuotionis stimulus. Inquinare se tanto flagitio recusabit pientissima Mater, neque miser ille tenetur malè sanis credere, seq; vitæ discrimini exponere; sed reluctari, fugere crudeles terras: quæ fuga à Saluatore præcipitur fidelibus, vt eximant se à persequentibus. Quòd si licet impunè, vbi vrget vel ipsa fidei confessio, reniti, atque differre, cur non magis licebit, vbi nulla necessitas vrget, subestq; certa temeritas. Princeps pars, sunt Testiculi, vniuersis cum partibus principibus consortium minimè dubium habẽtes, quòd assequi procliuè est, si audiens quis fuerit C. Celso historiam partis elegantissimè enuncianti. *Igitur testiculi simile quoddam medullis habent. Nam sanguinem non emittunt, & omni sensu carent. Dolent autem in ictibus, & inflammationibus tunicæ, quibus hi continentur. Dependent verò ab inguinibus per singulos neruos, quos, κρεμαστῆρας, Græci vocant, cum quorum vtroq; bina descendunt, & venæ, & arteriæ. Hæ autem tunicâ conteguntur tenui, neruosâ, sine sanguine, albæ,*

10. Cõf.

Virg. 6. Aenid.

ad Salon. Responsio.

Lib. 7. de re Medic. c. 18.

quæ ἐρυθροειδὴς à Græcis nominatur: super eam valentior tunica est, quæ interiori vehementer imâ parte inhæret, δάρτον Græci vocant. Multæ deinde membranulæ venas, & arterias, eosq; neruos compræhēdunt, atq; inter duas quoq; tunicas superioribus partibus leues, paruulæq; sunt. Hactenus propria vtriq; testiculo, & velamenta, & auxilia sunt. Hæc ad Salonium.

ad Pasqual.

Responsio.

Paradoxologus nobis est Pasqualigus, non quia profiteatur se contra Megar. & Dianam sentire, aliorum enim causam, meam non faciam, verùm quoniam veritatem impugnat iniquis technis. Et verò non minùs explodenda est Thesis illa, *Castratio non est intrinsece mala,* quàm quæ adducuntur in confirmationem, quum opposita conclusio sit verissima; nempè *Castratio est intrinsecè mala.* Experiamur, quid valeant rationū momenta, sed ad Logicam trutinam, quam illum neglexisse præsenti in disputatione obseruo:

Homicidium est intrinsecè malum;
Sed Castratio est homicidium:
Igitur Castratio est intrinsecè mala.

Caueat, ne maiorem vellicet, quintum enim occupat locum in Decalogo. Minorem propositionem iam satis vallauit Philetas, moxq; datâ occasione, appositè inductis, alia subcenturiabimus. Quod reliquum, Antagonistæ conatus modo promouebimus.

Arg. Pasqual.

Si castratio esset intrinsecè mala
Igitur nunquam esset licita, neq; etiam vrgente necessitate.

Meritò probat illationem, sed malè à simili. Mendaciuñ est intrinsecè malum, sed nunquam licet mentiri in quocunq; casu &c. Quid hæc ad præsentem disputationem? nonne hoc est genus transcendere? Animum aduerte. Exsectio sub genere homicidij est, hinc ergo peti debebant, quæ ad speciem pertinent. Ampliùs controuersa res est, an mentiri liceat nonnunquam? quid igitur rem ignotam per ignotius probare satagis? Præter id, quod argumentum à similitudine deductum, non

demon-

demonstrationem, sed infirmam præstet suasionem, neq; transilit Rhetorum fontes. Aerem igitur verberat Aduersarius. Quod verò annectit, castrationem esse licitam, vrgente aliquâ necessitate, admittam, præsertim, vt idem Auctor insinuat, vbi fiat ex iusta causa, & rationabili, quod & in homicidio genericè considerato, contingit. Verùm quantùm prouentus hic sibi accedat, ipse viderit, nosq; forsan breui experiemur.

Non absque micâ salis secundæ assertioni assentimur, præsertim vbi confundit maius illud bonum, nosq; in fallaciam ducere tentat, quam incunctanter tertia in assertione mali infert, iureque proinde tota negatur, vtpote quæ minimè consequatur ex præhabitis. Claudicant prætcrea probationes, primoq; loco, etsi vox sit bonum quoddam corporis, non tamen simpliciter necessarium ad vitam, neq; propter homines, vt ille ponit, sed communis etiam brutis, *loquutio* verò est, quæ exprimit proprios conceptus. — Ad 2. Pasq. — Ad 3.

Grauiùs errat, dum vocem præfert alijs membris. Tum quia falsa assumit, tum etiam, quia incongrua: vox enim effectus est, non causa, neq; membrum. Grauissimè tandem, quando elicit. *Quòd quilibet eligeret carere potiùs testibus, quàm voce, quia sic caret minori incommodo.* Sentimq; nos inducere sperat pudendâ in captionem ab æquiuocatione, & à simpliciter ad secundùm quid. Loquutio, seu vox, non est, quæ cadit sub præsentem quæstionem, sed vox lenior, & puerilis æmula. Vocales sunt, loquuntur necnon, qui non sunt castrati, malè cederet, si loquaces tantũmodo essent exsecti, quanquam loquacissimi, mulierum in morem, quas æmulantur. Corruunt proinde singula argumenta, quæ à voce desumebantur, dato etiam, quòd vox præferri deberet quibuslibet corporis membris. Siccine illudit in re seria, & sophismatibus tutari studet homicidium? Lubẽtes interim subscribimus illius effato, *quòd excellẽtia vocis ad cantum sit magnificienda,* ac proinde Spadonibus vox puerilis sit præferenda, quod superius euicimus. *Perfectio boni cor-* — Pasq. nu. 8.

pora lis secundùm quid, iniquè membris præfertur, quæ simpliciter bona sunt, conspirantq; in totius integritatem, & speciei salutem. Nullus hinc *honos* accedit personæ, non enim, vt olim, præficiuntur Gynæcæis: qui verò apud Turcas claustra custodiunt, veretro tantùm priuantur, manetq; illæsa virilitas. At nostris in Regionibus, scenis reseruantur Eunuchi, neque pluris fiunt à Magnatibus, quàm reliquus mimorum grex. *Vitæ sustentatio* dubia est: *nobilis* certè non est, verùm seruilis. Nullum *commodum* ab ipsa voce percipitur, præterquam turpe lucellum, tantùm abest, vt *plus commodi* inde corradat Eunuchus, qui mutilus, odiosus sibi est, & conciuibus, inutilis præterea Reipublicæ Vniuersæ, à Sacris explosus, pænæque capitali ob flagitium ab Imperatoribus destinatus. Perquàm falsum est, quòd *maius bonum sit excellentia vocis, quàm eos esse castratos*. Falsissimum tandem, *quod rationabiliter, & secundùm ius naturale* debeat adhiberi castratio, ne *pereat excellentia vocis*. Meminisse nanque debebat incircumspectus Auctor, quibus ex præmissis hæc inferret; nempe, *quòd castratio est licita vrgente aliqua necessitate corporali*. Insuper *quando fiunt ex iusta, atq; rationabili causa*. At in casu nostro nulla necessitas, nulla iusta, aut rationabilis causa, sed mera lasciuia, me corrigam, priscus rediuiuus:

Lusus & immeritos exsecuisse mares.

Pasq. nu. 9. Sub numero 9. eodem volutatur in cæno. Nam quicquid sit de huiusmodi præseruatione à Lepra per exsectionem, si *iusta* hæc censetur pro corporis vniuersi salute, frustra obtrudit *maius bonum*. Suntque illi synonima, *bonum, commodum, & lucrum*. Valeat proinde suis cum Spadonibus.



CA

CAPVT TERTIVM.

Perpenduntur solutiones ad argumenta nonnulla.

NEque sat habuit affirmatiuæ partis fautor quoquomodo propriam vallare credulitatem, nam & rationes olim negantium diluere studet. Arg Negatium.

Petebatur verò prima ex l. 13. *liber homo* ff. ad Aquil. *Nemo est dominus membrorum suorum*, & nonnisi in casu necessitatis ad conseruationem vniuersi corporis, ex D. Thoma. Secùs si faxit, *Sponte sua letho caput offerre, nihil est sceleratius, ex Lactantio Firmiano*. At hîc nulla necessitas; igitur.

Respondet Pasqualigus, quod licèt non sit Dominus, est tamen curator proprij corporis, & ideò potest ordinare priuationem alicuius membri ad conseruationẽ maioris boni, quale est castratio ad tuendam vocem. Respons. Pasq.

Conniuet homo, vimque rationis præcedentis dissimulat. Esto, sit custos, huic non licet officio abuti, *nisi in casu necessitatis*, quæ nulla est in re præsenti, vt superiùs probauimus, & exclusimus assertum illud, *maius bonum*, turpi æquiuocatione labefactatum. Stat igitur in suo robore primum argumentum. Et quoniam vrgeri se legibus nouerat, declinat Ius Ciuile, ex eo quod cessauit, inquit, finis illius legis, Patronumq; verum singularem eligit B. Gomezium *de potestate in se ipsum* c. 4. latam tunc fuisse Legem, ne tot homines debilitarentur. Erat enim in frequenti consuetudine præficere Eunuchos mulieribus. Hæc ille. Quibus obijciam ego incunctanter. Vnus testis, nullus testis, præsertim vbi dubius, mutilus, incircumspectus, vt mox videbimus. Satiùs proinde erit, egregium adire Iurisprudentiæ Lumen, Baldum nempè, qui rem acu olim tetigit. *Membrum*, dicit primo loco, *omne id, quod habet in corpore no-* Destructio responsionis. ad leg. cod. Tit. de Acc. & insc. l. 1. l. 3.

stro propriam, & determinatam operationem. Hinc benè colligit, *quòd membra, quæ habent proprias, & distinctas operationes, dicuntur esse membra valde vtilia, aliàs nobilia, & dicuntur etiam esse membra, per quæ saluatur species. Et ideò mutilans ista membra*(nota) *ponitur tanquam inimicus naturæ, eodem modo, quo si occideret, vt l. 4. ad l. Corn. de Sicarijs.* Poterat Aduersarius, legendo Gomezium, vlteriùs procedere, & proximi *cap. quinti* Lemma, saltem intueri, *Nefas esse se ipsum occidere, aut vulnerare aduersus gentes.* Poterat necnon inductus Gomezius, quæ Viri erat eruditio, atq; sagacitas, penſiculatiùs Imperatorum edicta scrutari. Nam quantùm mihi hoſpiti in præsenti controuersia videre licet, damnasse illos castrationem conijcio, tanquam intrinsecè malam, & naturæ infensam. Argumento sit, quòd miles se vulnerans, aut occidens, aut ignominiâ, vel capite punitur, quanquàm gaudet innumeris priuilegijs. Præsertim, *qui hominem, libidinis, vel promercij causâ castrauerit ex Senatu consulto pœna legis Corneliæ punitur. Sic testatur Martianus lib. 14. Institutionum.* Et ne publici boni hic rursus obtrudat nobis prætextum, facit Modestinus, qui sic habet. *Circumcidere filios suos Iudæis tantùm rescripto Diui Pij permittitur: in non eiusdem religionis, qui hoc fecerit, constanti pœnâ irrogatur. Seruo sine iudice ad bestias dato. Non solum qui vendiderit, verùm, & qui comparauerit, pœnâ tenebitur*, scilicet huius legis ex Accursio, vt habet Glossa. Hic, vt vides, nulla fœcunditati irrogatur noxa; nullum Reipublicæ damnum, pœna tamen irrogatur capitalis pro adempta cutis portiuncula; signum euidens, quantum abhorruerint mutilationes quasuis Legislatores. Et quoniam incidit sermo de Seruis, poterat disertus homo, quid decernant leges, intueri, si castretur seruus, seu volens, siue inuitus, *qui tamen*, vt ille probè asserit, *pro nihilo reputatur; quanquam contra naturam domino alieno subiectus est*, exors inutilisq; prorsus Reipublicæ. Hic tamen capite plectitur, nisi inuitus hoc fecerit, Dominus verò pro parte dimidia bonorum mul-

Deg. de re milit. omni ff. qui se l. 2

lib. 6.

Dig. ad L. Corn.

Gom. l. 1. c. 3.

tatur.

tatur. Deniq; illud, quod contendimus, lex euincit. *Planè si ipsi qui hanc iniuriam passi sunt proclamauerint, audire eos Præses prouinciæ debet, & qui virilitatem amiserint.* Actio igitur illi datur ob priuatam iniuriam, non publicum commodum. Hæsitauit proinde Gomezius, non vnicæ se addixit causæ, quapropter sub num. 11. habet. *Fuit & alia ratio, quæ mouere debuit Hadrianum &c.* Stat igitur inconcussa Baldi interpretatio, *quòd mutilans est inimicus naturæ*, nutant Gomezij coniecturæ, ac proindè minimè antiquatæ sunt Basilicæ edictiones, quæ iuri naturæ innituntur.

Neque meliùs cedit nostro Antagonistæ, dum perperàm declinat Sacra Decreta; fassus reprehēdi illos, qui se castrant, *absque rationabili causa*. Quam tamen sibi fingebant miseri illi Euangeliorum lectioni parùm attenti, qui semet, ac obuios quoscunq; castrabant, futuræ Beatitudinis sub prætextu, vt refert Epipha. Hære. 58. *Eunuchi.* Fuga Pasq. a Decretis PP reprehēditur.

Quòd si damnantur virilia amputantes ad euitandum carnale vitium, ergò tantò magis damnabilis est castratio, quæ nullum arcet vitium, sed allicit; & cuius scopus est res minimè necessaria, sed superuacanea, meraq; vanitas, vt superiùs euicimus. Arcebantur Eunuchi in Veteri Lege. *Non intrabit Eunuchus, attritis, vel amputatis testiculis, & absciſſo veretro, in Ecclesiam Domini.* Quod, & cautum est in Noua Lege Apostolicis Sanctionibus. *Siquis, quum sit Clericus, se ipsum mutilauerit, deponatur: est .n. homicida. Laicus, qui se ipsum mutilauit tribus annis segregetur: est .n. suæ ipsius vitæ insidiator.* Notat verò Theodorus Balsamon. Vnde etiam plurimi homines paulò consideratiores, suos filios propter morbos castrati, ad Sanctissimam Ecclesiam accedūt, & morbum, & testiculorum absciſsionem aperiunt. Quem laudabilem morem vtinam didicissent, aut seruâssent seri nepotes: Respuit namq; Primitiua Ecclesia, neq; sanguinarios hosce ad Clericatûs dignitatem admittit. Audi interminantem. *Qui se ipsum mutilauit, ne sit* Deut. 23. Can. 21. 22. 23. Balſ. in com.

 Cle-

Clericus; eſt .n. ſui homicida, & Dei Opificij hoſtis. Quæ poſtremâ verba ſic interpretabatur Theod.Zonara in com. Quum Deus ipſos in virorum naturam formâſſet, in alteram prodigioſam
" naturam, prorsùs ab ipſa alienam, ſeſe transformant, itaut nec
" viri ſint (nec enim, quæ ſunt marium, præſtare poſſunt, quo-
" niam procreare non poſſunt hominem) neq; ſunt mulieres, nõ
" enim habent pariendi naturam. Penſitet, quæſo, Decreta Pontificum, illudq; Gregorij in primis. *Ad Clericatûs ordinem prohibentur accedere ſecundùm ſtatutũ Nicæni Concilij, & ſi etiam in Clero fuerint, ceſſare debent, qui ſe ipſos ſani abſciderint, vel ab alijs affectauerint, vt abſcindantur.* Vrget grauiùs, quòd alibi decernitur. *Si quis abſcidit ſemetipſum, ideſt, ſi quis ſibi amputauit virilia, non fiat Clericus, quia ſic eſt homicida, & Dei conditionis inimicus.* Iactent igitur *maius bonum*, vbi Charitas violatur, tum conditoris, tum creaturæ, & illius quæ maximè nobis iuncta eſt, vt habet Comicus.

l. 1. decr. de corp. vit. c. 3.

Decr. p. 1 diſt. 55. c. 4.

Proximus ſum egomet mihi.

Terent. in And.

Proſequitur Decretum. *Si quis, quum Clericus fuerit, abſciderit ſemetipſum, omninò damnetur, quia ſui eſt homicida.* Non malè igitur Philetas homicidium dudum obtrudebat. Conſtat igitur non *reprehendi tantùm* ſe exſecantem, ſed irregularitate, & excommunicatione inſuper multari (quod probat Gomezius) ac proinde nulla *rationabili de cauſa* illud ſuſcipi, quod nonniſi prætextu vaniſſimo eligitur.

Ad 2. reſponſionem reprehenſionem.

In reſponſione ad 2. *maius* illud *bonum*, ad quod ordinatur caſtratio, & quod nobis modò refricat, tempeſtiuè diſtinguo: *maius bonum* verum, nego, *apparens*, ijs nempè, qui auaritiâ, & ſenſus illecebrâ mulcentur, concedo.

Ad 3. reprehenſ.

Quanquàm verò negat Aduerſarius in reſponſione ad 3. Spadones indomitæ eſſe libidinis, ſat conſtat oppoſitum, experientiâ, auctoritatibus, & rationibus à priori dudũ adductis.

Epilogus.

Colophonem tandem ſuſceptæ diſputationi de *Epheborum euiratione* impoſituri, obſeruo iam ſatis cõſtare de homicidio,

deq;

deq; pœna capitali, vel ſpirituali irroganda ; non tam volenti, quàm iubẽti, aut cõſumanti mutilationem apud Legis vtriuſq; latores. Interpretes verò Iuris Pontificij, & Cæſarei ex induſtria prætereo, ne ſim nimius in re minimè dubia: non inſalutata tamen cõcedet Moralium Theologorum numeroſa Phalanx, pro negatiua acritèr dimicãs; vt videre eſt apud Sayrum, Leſſium, & alios, qui congerunt fautores innumeros allatæ ſentẽtiæ, quum tamen vnus, aut alter vix ſuperſit oppoſitæ, per luſum euirãtis homines. Quorſum ſe vertit Auctor portẽtoſæ Theſis? Implorabit ne Sophorum ſuffragia? Verùm Princeps Ariſt. ſanciuit aliquãdo, quòd ea cenſenda ſunt vera, quæ placent, aut omnibus, aut pluribus, aut melioribus. Declinabit proindè Antagoniſta Patronum, diuertetq; ad plebis deterioris iudicium, quod & præſtitit apertè in reſponſione ad primũ, inquiens, Atq; hoc eſt ſecundùm frequentem cõſuetudinem, „ quę interpretatur hoc licitum eſſe. Quibus occurritur, & negatur primo loco conſuetudo. Immò ſunt apud nos benè morati Chirurgi, quibus piaculũ eſt ſanos pueros caſtrare: temerarij plectuntur, ſi denuntientur. Taliũ ſtultorum alibi, forſan, infinitus eſt numerus, qui tamen Diuinis, & humanis ſanctionibus in iure naturali fundatis, officere minimè valent, malèq; cederet, ſi profanum vulgus euaderet in Legum Interpretem. Nuperam nonnemo proferebat euaſiunculam, licere parentibus ob inopiam proprios filios facere Eunuchos; vt alimenta ex perenni vocis ſuauitate in dies corradant.

Arist. in Topicis.

Itum eſt contra firmiſſimo Lactantij Firmiani conſilio, cuius ætate necnon ſimiles circumferebantur querelæ. Habet verò homo diſertus. *At n. paricidæ facultatum anguſtias conquerun-tur, nec ſe pluribus liberis educandis ſufficere poſſe prætendunt. Quaſi verò, aut facultates in poteſtate ſint poſſidentium, aut non quotidiè Deus ex diuitibus pauperes, & ex pauperibus diuites faciat. Quare ſi quis liberos ob paupertatem non poterit educare, ſatiùs eſt, vt ab vxoris congreſſione contineat, quàm ſceleratis mani-*

l. 6. c. 21.

bus

bus Dei opera corrumpat. Inuiolatæ interim apud nos erunt Antiquæ Sanctiones, donec Sãctissimæ Matri nostræ Catholicæ, & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ aliter visum fuerit, cuius cẽsuræ hæc nostra, meq; volens subijcio.

PARÆNESIS.

Si quis excesserit, nihilq́, aliud ex voluptate petierit, nisi ipsam voluptatem, hic mortem meditatur.

Lactant. Firmian. Diu. Inst. lib. 6. c. 21.

Soluat ne Quartanam hæmorrhagia è naribus?

NEglexit Lemma sibi oblatum Quintus, nouumque extrha debere contendebat: siquidem summus Medicinæ Dictator non semel sanciuerit, & difficulter iudicare Quartanas sanguinem è naribus profluentem, & malum prorsus esse, atq; incommodum tali febre laborantibus. Abnuebat Sosias, falliq; homonymiâ quamplurimos dicebat, licet oculatiores facilè declinent lapsum. Poterat, vel ipsarum vocum, inquiebat, iunctura admonere H. Cardanum, si quando Hipp.

2. Epid. sect. 3. consuluisset, patrio idiomate interminantem;

αἱ τεταρταῖαι αἱμοῤῥαγίαι δύσκριτοι.

6. Epid. sect. 2. de Iudic. *Sanguinis fluxiones quarta die contingentes difficulter iudicãt.*

Quæ ad verbum non semel repetit idem Auctor. Non sibi defuit Quintus, inducebatq; H. Mercurialem, & I. Cornarum, Cardano suffragantes vniformi lectione.

7. Aph. 82. *Quibus in febribus Quartanis Sanguis ex naribus fluxerit, malum est.*

Et quod caput est, sic iacet Græcus contextus apud vtrumq; Interpretem.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τεταρταίοισιν ἐξ

— Αἷμα ἐκ τῶν ῥινῶν ῥυῆ πονηρόν.

Li-

Litem diremit Eudemus, monebatq; altercantes, non vnicum esse Oraculum; sed multiplex: damnari in Epidemiorũ libris hæmorrhagias, quæ quarta die fiunt; in Aphorismis verò improbari sanguinem è naribus fluẽtem in febre quartana. Equidem sanguis è naribus vtrobiq; suspectus Hippocrati est, verùm in priore, habitâ tantùm temporis ratione, vt morbi, in posteriore. Nulla igitur discrepantia in Auctore, verùm sola diuersitas, quæ tamen amplam speculandi præstatura vobis est ansam, si libet, & vacat. Secedet ad tempus despecta vobis quarta dies, viresq; interim illa recolliget propriæ dignitatis in tutelam. Exulent modò necnon stillæ, rectitudo, copia, vel inopia, contrahenda, me iudice, hùc est vniuersa quæstio, constet ne, & perpetuæ veritatis sit Hippocratis obseruatio, an secus? Præterea, cur saluberrima alioquin euacuatio in febribus grauioribus, quartanæ, quæ mitissima, & securissima, incommodet? Insuper, qui labores immineant ad illud Hippocraticum πονηρόν, vel mala, si *malum* vertas? Pertineatne sentẽtia ad solam Prognosim, an etiam ad Therapeiam? Tandem quid prestare tunc debeat Medicus, an solas partes ociosi spectatoris, vel solertis Actoris, quamue insistere debeat viam, prælucentibus tamen Asclepiadarum facibus? Cui subridens Quintus: profectò euasit in Camelum Culex, tuâ industriâ, Eudeme, agasones proinde substitue, aut expertos conscensores. Pari comitate reponebat Senex, satiùs est illius ad exemplum procumbere te, donec sat oneris, mox progredi ad libitum. Dum hæc aguntur, mussitabat non nemo ex nostris, ac domesticam obijciebat obseruationem. Postquam .n. diuturnæ tertianæ in quartanã degenerârunt, vnica salus fuit larga è naribus hæmorrhagia, quæ morbum penitùs sustulit. Non vereri se primigeniæ quartanæ incommodare sanguinem è naribus erumpentem, obseruatu Hippocratis, & nupero Nobilissimi cuiusdam Aulici, improsperoq; euentu, secùs verò euenire in quartana, quæ alijs febribus succedit, sic reri se, conci-

liari

liari posse vtrasque obseruationes. Satiùs tamen existimabat Censor, si rara illa auis excluderetur, retentis frequentissimis, quod monent Artis Emeriti fieri debere in doctrina aphoristica. Duplicabat difficultates Quintus, in medium productâ pa-
4. Aph. 25. tentissimâ Hippocratis sententiâ. *Sanguis quidem supra qualiscunq; fuerit malus*, quam tamen perperàm contrahere studuit Galenus in Commento ad solam excretionem, quæ fit per os, illâ, quæ fit per nares, omissâ. Vim hæc inferunt, non tam vniuersali enunciationi, quàm, & eidem Galeno asserenti alicubi, omnem sanguinis euacuationem esse præter naturam, excepta menstrua. Sed missa hæc in præsens faciamus: quæritur cur improbetur hæmorrhagia in placidissima quartana; quum tamen vel acutissimarum febrium domet illa ferociam? Et vt liberè fatear, postrema hæc non sat mihi constant: habeo quæ regeram obijcienti Medicas Historias; sed non erat hìc locus. Esto illud præstet in Acutis passionibus, secùs continget in Diuturnis, quæ illis è diametro aduersantur. Contraham lubens rem controuersam ad Artis opera, Naturæ nostræ æmula, vel auxiliaria. Extinguit dubiò procul larga frigidę potio causonis feruorem, iugulat synochum sanguinis missio, vsq; ad animi deliquium, nemo tamen vestrûm, credo, hæc admittet in quarta-
Cap. de quartan. na. Quin ipsemet Galenus suum instituens Glauconem, magna cautione sanguinem extrahi Quartanarijs permittebat, qua de re in progressu. Malè igitur infertur ab Acutis febribus ad Chronicas. Et ne diutiùs vager, cominùs dum hæc speculor, plurima occurrunt, quæ manu nos ducunt problematum in enodationem, licèt inuerso, pace tuâ, prosequuturus quandoq; sim ordine. Quæ suspicimus, & approbamus in Medicina facienda, aut signa nuda sunt Naturæ ritè operantis, aut causam quinetiam nobis aperiunt. Hæc verò, aut materialis est, aut efficiens, vel iunctæ ambæ, quod non infrequens, licet non ex æquò. Verùm si contrario modo illa succedant, quod fit in re præsenti, iure improbamus. Angitur enim facultas modò
in

in quartanarijs, præ ferueſcentis humoris ferocia, qui deſpectâ priſcâ miſcellâ, ſurſum perperàm repit. Nouum haud eſt in ſchola Hipp. & ſegregari nonnunquam corporis noſtri humores, & effrænes in Naturam inſultare: quapropter nullum non malum tunc imminet, quum humanæ corporaturæ compages diſſoluitur. Hęmorrhagia pręterea noſtris quartanarijs incommoda eſt, quoniam peccans humor non educitur; nôſtis verò, quanti referat ad integritatem, obſeruatu Hipp. vel primo Artis in veſtibulo. *Sic & vaſorum inanitio ſi talis fiat, qualis fieri debet, confert, & leuiter ferunt, ſin minùs, contra.* Hinc illa diſphoria, duriorq; recidiua, exulante puriore ſanguine, fæculento verò ſuperſtite, qui tamen quartanarum quarumcunq; fomes ferè ſemper eſt, atq; ſedes. Prouide proinde Galenus cauebat, ne priorem violaret, & ſectam venam ſtatim occludi iubebat, ſi pro atro floridus erupiſſet. Frænum nanq; eſt laſciuiētium humorum, domicilium ſpirituum, innati caloris vector, atque nutricius, vitæ theſaurus. In tanta rerum perturbatione, imminenteq; ruina, quis opem ferre laboranti cunctabitur? Inhibendum dubio procul erit noxium effluuium, ſeditio compeſcenda, emendandi humores, quò reuocentur tandem priſtinam ad miſcellam. Sequamur Anteſignanum noſtrum in *lib. de Affectionibus*, indicante Proſpero Martiano præſidiorum materias pharmaceuticas, è penuario Hippocratis mutuatas.

Hipp. 1. Aph. 2.

Gal. 1. ad Glauc.

De nupero Sinenſi Cortice alexipyrethro.

VEniſti tandem longinquis è terræ receſſibus optata ſeges Medicis, atq; ægrotantibus. Abutebatur horum patientia peruicaciſſima quartana, triumphabat de Medica Arte, cuius blanditijs efferata illa magis vires duplicabat, ad perniciem vſq; mortalium. Quid profuit blandam tutiſſimamque dicere, aut officiosè congredi, magis quàm ſtrenuè aggredi refractariam, tanto cum exiſtimationis diſpendio? Hæc ſubridens

ridēs dicebat Antiphanes, dum fortuitum Lemma vicino sibi Pamphilo, ex lata lege, plenissimè explicandum committeret. Qui tamen dubius diù, multùmq; vagatus, nondum sibi compertam esse noui remedij facultatem ingenuè fatebatur: iactari plurima experimēta, faciles sanationes nullo cum discrimine extolli apud vulgum, gregemq; Medicorum. Dudum è Sina in Hispaniā Corticem odore aromaticum aduectum, indeq; Romam; dubium tandem, atq; clandestinum illinc ad nos aduolâsse, famæ ad instar, quæ, vt obseruabat Poeta,

Virg. Æneid.

Mobilitate viget, viresq; acquirit eundo
Parua metu primò, mox sese attollit in astra.

Gustaui, aiebat, corticem, qui acerrimus est, atq; amarus, illumq; tenuium partium esse conieci, quandoquidem vix post horam superaui ingratum saporem, tam altè se insinuauerat mala merces linguæ in meditullium. Curiose in pollinem redigunt lignum, quòd Vino Græco per noctem macerant, totumq; farcimen absorbendum in Aurora propinant pridiè illius diei, qui febrem antecedit: alij verò instante febre: quanquam nondum certus sum, an quispiam præsente febre illud tentauerit. Venit, caroq; vænit, aiebat Antyllus, vitio auari mercatoris, cui sacris legibus interdictum est exercere monopolium. Huic parasitantur nebulones quidam spe futuri commodi, & syngrapho curationes mētiuntur plerumq; : tam fatale est mundo velle decipi. Non negauerim tamen, contigisse nonnunquam, vt conualesceret quartanarius: breui tamen recidiuam passus est, aut mortem, quod anno superiori in Antistite obseruauimus. Præpotens namque corticis illius calor humores accendit, bilemq; sollicitat: quô fit, vt Tertianæ nothæ plerunq; succedant quartanarum in locum. Cui nostrûm non suspecta erit Empyria, & dubius morbi exitus, exitu quocunq; viduatus? Plura obganniunt impudenter fautores, quos pudet in tam splendida methodi vbertate notare amethodi, simulantq; propterea ad normam medicam se cuncta componere, & verè Qui

Qui Curios simulant, & bacchanalia viuunt. Iuuen. Satyr.
Valeant proinde: ego verò *sine cortice nato*. Vix risum compescuit Eudemus, factoq; silentio, sic exordiebatur: Nemini controuersum esse debet, Artes quascunq; sua expectare incrementa, interq; Artes cunctas, Medicinam præcipuè, quæ Βραχεῖ, iure, meritoq; ab Hipp. primo in vestibulo nuncupatur, in Epist. cuius ad finem, neq; ipsum iam senem peruenisse, neq; Medicinæ Inuentorem Æsculapium, sanctè fatetur. Parùm profuisset longæuitas, nisi materia medica vndique fuisset perspecta: hanc verò ab vniuersa Natura mutuatur Medicus, hominis in gratiam: Nouit posteritas nouo cum Orbe noua pharmaca, quibus rectum administrandi modum cauta præscribens, medicum ditauit Ærarium. Nondum complemẽtum consequuta est Ars, plurima supersunt, & cognoscenda, & experienda seris à Nepotibus: Fruamur interim præsentibus, quantunque in nobis est, haud patiamur vllam perire diem absque lineâ. Non ignoro, leuitatis argui apud sapientes hominem, qui facilè credit, verùm exprobrari ab ijsdem necnon cordis duritiem, prauumque interminari exitum, optimè noui. Experimenta per mortes agere impium est, periclitari, sæpè laudabile, præsertim vbi plurimo emolumento paruum dispendium compensatur. Non deuio à semita, sed hãc nactus occasionem vos moneo, Galeno nostro obsequi: is enim testatum nobis quandoq; reliquit, *quòd sensibilium rerum cognitio sedulâ inspectione confirmatur*. Gal. cata Huic igitur mecum vacate, exposito in cortice Sinensi; Nil moror, quòd percalidus ille sit, ineptusque propterea febribus curandis: dummodo causis febrem facientibus aduersetur, illasq; profliget. Præmonstratores habeo Medicinæ Principes, quorum Antesignanus Magnus Hipp. allio ex melle Quartanæ medetur. Secundus ab Hipp. Galenus Pergamenus, salsis vtitur, & sinapi, & certis diebus Diatrionpiperon, Diaspolitico, quin & piperis quotidianum vsum laudat, si cum aqua bibatur: *hæc quidem*, inquit, *ab initio, & vsque ad statum* primo ad Glauc. c. 11.


tum sunt peragenda. In statu verò, coctionis signis apparentibus, peractisque euacuationibus, exhibet in potu *medicamen confectum ex Viperis, & alia, quæ ad huiusmodi febres commendantur*, puto Antidotum Arpuli ad Quartanarios indicari, & Theriacam Palutiani, aliamq; consimilem, descriptas in *libb. de* Antidotis, *ex quibus est, & illud*, inquit, *nobis familiare præ cæteris laudatissimum, quod succum Cyreniacum recipit*, cuius descriptionem habetis apud Aetium. Laudat Celsus *calefacientia ante accessionem, vel aceti cyathos duos, vel vnum synapis, cum tribus Græci Vini salsi, vel mista paribus portionibus, & in aqua diluta, Piper, Castoreum, Laser, Mirrham.* Animum modò aduertite. *Per hæc .n. similiaq; corpus agitandum est, vt moueatur ex eo statu, quo detinetur.* Quapropter summopere cauendum, vt talia medicamenta opportunè exhibeantur, alioquin periclitabitur æger. Sponsorem habeo laudatum Galenum, talia enarrantem. *Quicunq; verò ab initio aliquid ex ijs medicamentis exhibuerunt, aut omninò ante statum, quartanam, quæ erat simplex, sæpiùs fecerunt duplicem, aut omninò maiorem, ac difficiliorem. Ex dupl ci autem triplicem, aut omninò ambas difficiliores, maioresque reddiderunt. Noui autem Medicum, qui ausus est homini, qui triplici quartanâ laborabat, medicamen ex Viperis exhibere, quando nondum morbus in statu esset, deinde, vt par est, auctis omnibus, febris continua subsecuta hominem occidit.*

Tetr. 2. l. 8. c. 84.

lib. 3. c. 3.

loc. cit.

Iam ventum erat præscriptam temporis ad metam, quapropter, ne graues nostro Censori essemus, bonâ cum veniâ festini concessimus.



NOX

NOX GENIALIS
SEPTIMA.
Quæ putredinis nota.

Nox erat, & Cœlo fulgebat Luna ſereno
Inter minora ſydera,



Vum feſtiuè turmatim concurrimus, Genio indulturi. Comiter nos excipit Senex Eudemus, inuitat, en Accedite ad ignem hunc, inquit, & caleſcetis plus ſatis: & non planè moleſtum erat munus. Tum ille: Ecquid noui adfert veſtra Africa, Iuuenes ornatiſſimi? haud enim dedecet curioſitas ſenem latitantem, ac repuerafcentem. Cui Sergius: Si fabulas expetis, ac vulgi nugas, fabulam profero. Medicus quidam Conciuis noſter diurnam, nocturnamq; præſtabat operam inſigni Ephebo, ea lege, atq; omine, vt in poſterum à morbis cachethicis abſtineret, ne vagantis contagij ſemina inferret. Dum hæc aguntur, ſignificant familiares conſeruum quendam grauiter decumbentem inuiſendum. Negat primùm, mandata heri proferunt; hæſitat, con-

firmant, extorquent tandem, atque introducunt. Conſtitit ille tamen veſtibulum ante ipſum, primoq; in limine portæ, nam is occurrebat fætor, ſæuaq; exhalabat Mephitis, vt parùm abfuerit, quin infecta re concederet; veritus inſignem, ſibiq; interdictam putredinem. Neque coniectura eum fefellit, quartus enim agebatur iam dies, ex quo maligna febre cum periculis detinebatur ægrotus. Opportuna ſuadet, regreditur. Indignum, quibus dicterijs compenſârint artificioſam hãc ſolertiam domeſtici nebulones, ſeu anteambulones, ita vt in iocum abierit, Medicum olfeciſſe peticulas. Dum hæc mihi narraret, ecquid tu? At ille ſubridens. Odi profanum vulgus, & arceo: quando ſub malis virtus odio eſt, & qui grati eſſe volunt, eiurant probitatem. Quinimò pietatem, inquit Præmigenes. Nam illic ad reprehendenda aliena dicta, & facta ardet omnibus animus, vix ſatis apertum os, aut lingua prompta videtur. Sed fælices, vt dicebat Fabius, eſſent artes, ſi de illis ſoli artifices iudicarent; quid ſi inertibus ſycophantis, atque ignauiſſimis balathronibus proſtituantur? Quas enim alebat honos, nunc opprimit ignominia, furenſque impietas gloriæ ſtemmata obliterauit. Talem rependit rubiginoſa ætas virtuti mercedem. Apage, inquit Eudemus, tam ignauum pecus, & quando iam omnes conueniſtis, hinc libate primum noctis argumentũ: An fętor excedẽtis putredinis ſit neceſſaria nota. Neq; enim, vt opinor, locus hic ſuis caret Dijs, formaq; noua, & inexpectata miniſtrabit occaſio. Tum Præmigenes Sergium incitat, vt amicum à calumnia vindicet. Iam tu te vnicâ vindicâſti dictione reſpondit, quid enim aliud eſt calumnia, quàm malitioſa, & mendax infamatio, ſi priſcis credimus. Neq; ea lex eſt amicitiæ, vt Philoſophiæ aram tranſcendat. Cuncti vrgebamus renitentem. At ille tandem, quando communibus ſuffragijs iam mihi deſtinata Prouincia, vnius veritatis amore non recuſabo, ea lege 12. Tabularum, vt calumniator idem patiatur, quod reus, ſi conuictus fuerit. Approbamus omnes.

Lipſ.

Salus.

In-

Interim vos æquos præbete iudices, inquit, dum nodum in ſcirpo quæro. Vt enim argumenti obſcuritas maximum aliquando negocium faceſſiuit; ita perſpicuitas nunc mihi difficultatem incutit. Verùm enimuerò, res benè ceſſit, quando in conclaui hæc diſcutiantur, non diuulgantur, alioquin riſu proſequerentur, cæcos dicerent in re tam euidenti hæſitantes. Olfactus, vt hinc exordiar, inter fidos animæ exploratores non ignobilem locum aſciuit: guſtus præcurſor, alimenti arbiter, ſpirituum reparator, cordis, & cerebri ſolamen, hoc vno exhalantem reuocamus animam, cæteriſque alimenti ſemitis interdictis, vnicus vitam egregiè protrahit. Hip.l. de off. med. Cuius organi ſinceritas Medico verò apprimè neceſſaria, non tantum in Phiſiologica, verum & in Prognoſtica, atq; Therapeutica. Nam indicia ex deiectione, vrina, ſputo, vlceribus, ſpiritu ægrotantis collecta, olfactu æſtimantur. Gal. in com. Quæ verò Medicæ Artis eſt modeſtia, ſuis contenta limitibus, mutuatur à naturali Sophia odoris eſſentiam, modum, inſtrumentum, & vſum. Sunt autem duæ primæ, atque propriæ eius differentiæ, εὐωδία, καὶ δυσωδία Græcis, Latinis fragrantia, & graueolentia, ſeu fætor, quas Medicus non ſimpliciter, verùm vſque ad aliquid examinat. Non ignorat Philoſophus halitum quendam à calore elatum, ſi iocundè afficit integrum ſenſorium, emanare à corpore, in quo ſiccùm præualet humido, vtrumq; verò ab innato calore coerceri. Contra ſi graueolens occurrat, humidum ſicco dominari. Neq; dubitat ex inſueto mixti fætore infælicem natiui caloris pugnam quinetiam prædicere. Hinc fidus Naturæ Interpres quærens, cur animantium nullum ſuauiter olet, reſpondet; vtrum quod mali odoris cauſa eſt cruditas quædam excrementi. Arist. Pro.ſ.13. 4, Galen.3. aph.27. Ac tandem concludit, hoc igitur cuiuis cauſa fædi halitus eſt, & mortuis cùm putreſcit. Huic verò plurimum conducit, vel ipſius Ariſt. teſtimonio, interdicta ſpiratio. Nam loca, & quæ in locis tenentur, grauiter olent, ſi ſpirandi careãt libertate. Arist. ſec.2. 6. ſec.5. 13. prob.7. & 10. Hinc ieiunis graueolentia, alis peſſimus odor, gib-

sect. 13. 8 bis fædior halitus. Quòd si rebus malè olentibus accedat calor, grauiùs olent, quando natura odoris sit vapor quidam, & delatio, quæ calore consistunt. Cordatus igitur Medicus, cuius est illustria Philosophiæ præcepta ad humani corporis trutinam pensitare, quandocumque per morbos graues occurrerint odores, insignem perpetuò ominabitur putredinem. Nemini verò controuersum, ex respiratione non minus, quam ex vniuerso corporis difflatu per angustissima cutis foramina emanare. Atq; vtinam Medicorū socordiam solers vulgi obseruantia sæpè haud increparet; non tantum in mixtis singulis, vel extrinsecis alimentis, quamuis familiaribus, quæ vbi primùm grauem conceperint halitum, vt putrida abominatur, & respuit, verùm etiam circa ęgrotos Medicis aliquibus peritiores se prȩstare asseuerat Galenus his verbis. *Vulgus enim ferè, si nihil aliud, at expirationem ægrotorum videas obseruare, quæ si fœteat peiorem casum expectant. At illi quidem vsu tale signum in pestilentibus febribus inuenerunt, tu non tantummodo vsu, sed & ratione æstima.* Hæc ille. Et quamquam rerum euidenter apparentium, vt dicebat alibi laudatus nuperrimè Auctor, iudex sit experimentum non ratio, quam sibi verisimiliter quisque confingit, non ea tamen repudianda, quæ deducitur ex intima rei natura; præcipuè verò si Emeritis aliquando placuerit. Durum forsan videretur, fætorem, non tantùm insignis putredinis veram esse notam, sed cuiuscunque putredinis simpliciter genuinam passionem: nisi vnanimis authorum concineret chorus: itaut non detur putredo absq; fætore, neq; graueolentia absq; putredine. Conuincit Galenus, qui vnus instar omnium, 5. simpl. *non quicquid corrumpitur putrescere dicimus, sed quibus id cum fætore accidit.* Forsanq; deprompserat à Theophrasto Magni Philosophi auditore dicente. *Putrida omnia fætent.* Quæ animaduertens acerrimus Argenterius, etsi hostis Galeni iuratus, tamen manibus, vt aiunt, pedibusq; hanc in sententiam iuit, vt putredinem corruptionem cum fætore constitueret. An

Gal. de Syp. D. 5.

3. de Præs. ex pul. c. 4.

l. c.

c. 15.

l. de odoris.

t. de fasc.

sit

sit proprietas à putredinis forma emanans, vel accidens inseparabile necessariò putredinis consequens essentiam, nil moror. Non enim importunè hæc discutienda, illud ratum hoc indicio confisos summos Medicinæ Proceres putredinem nõ solum agnoscere, atq; prædicere, verũ etiam ex intensiori graueolentia vlteriorem putredinis gradum conijcere, quando res ita se habeat ad esse, quemadmodum ad cognosci. Sic Galenus ex impensè fætido sputo, magnam Pleuritidem, aut Peripneumoniam minabatur. Neq; dissimili ratione Hippocrates inter præcipua signa optimi puris, quod naturæ præpollentis ope à putredinis tyrannide penè euaserat, recenset vt quàm moderatè sit fætidum. Et quantum video, tanti semper fecit Hippocrates, & Galenus hoc signum, vt cæteris etiam læthalissimis præsentibus, vni primas dent; succurrit locus Hipp. in Progn. *Vomitio liuida ocyssimam abolitionem indicat, si graue olet.* Quod Galenus sic explicat in cõmento; *talis enim vomitio putredinem indicat cum extinctione.* Obseruo quinetiã apud eundem, magnitudinem tum alia aperire symptomata, tum vomitionum nigrarum graueolentiam. Huius sæuitiæ causam si expetis, adducet Pergamenus in comm. cont. illius: *Subputridi, ac fætidi odores in omnibus vomitionibus mali*; his verbis: *Constat enim, vt cuiuis affectioni permisceatur putredo, ea se ipsa deterior euadat.* Quandocumq; igitur fætor occurrat, præsagienda semper putredo, & quô grauior, sæuior etiam iudicanda. Talem progressum non ignorabat Medicus ille, vigente præsertim austrina constitutione, malignis febribus, ac ferè epidemicis communiter vagantibus; quum æger, vt referebant, magno detineretur morbo, eoq; vltra principium intentatis auxilijs debacchante. Ex arte suspicabatur; nec vana depræhensa suspicio: attamen quem admiratione prosequi par erat, risu, & dicterijs exceperunt. Quid mirum?

[Margin notes: de Tot. m; temp. — 2. Pr. 42. — 2. t. 41. — 3. Epid. 2. t. 9. — t. 42. — Plaut. in Pen.]

Istic est thesaurus stultis in lingua situs,
Vt quæstui habeant malè loqui melioribus.

Propugnatur Galeni ſententia 5. Simplicium.

DVm hæc feliciter Sergius abſolueret, muſſitabant Præmigenes, atq; Pamphilus, ſcitũq; Galeni placitum, nouâ, vt fit, quorundam opinione agitabant. Iam verò aperto marte, nobis rogantibus, ſub Argenterij laruâ ſugillabant, quod fætorem alienè, & impropriè putredini appoſuiſſet: ſiquidem fæteant multa incorrupta, atque integris prædita viribus, vt plantæ, animalia, eorumq; excrementa. Præterea neque perpetua putredinis aſſecla deprehenditur graueolentia: nanq; lapides, multaq; alia, citra omnem fætorem corrumpuntur. Placuit inſuper docto cuidam recẽtiori in exercitatione cum Iouberto, pus producere, quod à putredine exortum nullius, aut minimi fætoris eſt particeps. Sic nitebantur antiquum Galeni conuellere placitum. At Sergius ex animo profitebatur non ſibi obiectas præſentes anguſtias, verùm obliuioſis, aut peruicacibus. Quandocunque Medicus ſenſibus mancipatus rem cum fætore corrumpi obſeruauit, certo certius putredinem ſemper prædixit. Neq; putredinem omnem ſibi conſiderandam proponit, ſed eam quæ intra vitæ, atq; valetudinis fines, in humoribus præſertim, continetur; exitus nanque putredinis ſingulos ſolus meditatur Phyſicus. Verùm, ſit imperfecta definitio, ſoliuſque deſcriptionis nomen mereatur; quid prohibebit, quominùs parturiat nobis imutabilem notitiam, valletque certis finibus putredinem, ſi minùs per cauſas, per effectus ſaltem, & à ſigno. Harũ plurimas apud naturales Philoſophos inuenire eſt, adeò vt fuerit aliquãdo cõtrouerſum, An res perfectè definiri queãt, cõſtetq; apud alios inculpatã definitionem vnicæ tantũ adaptari eſſentiæ, non autem paſſionibus. Optarem equidem in aduerſarijs maiorem cõſtantiam, vel obiectorum euidentiã, ne ſpõtè ſua miſerrimè corruãt. Quid.n. proficiet nonnulla abſq; fætore corrumpi, ſi fętor vnicæ putredinis eſt nota,

Remig. Melioratus diſp. de Putred. cũ Argent.

I. Guaſtauinus loc. rec.

loc. cit.

non

non cuiuſcũq; corruptionis. Quæ tam facilè inferre licebat ex Pergameno. *Quæ nimio plus*, inquit, *refrigerata ſunt, aut exiccata, aut excalfacta, aut humectata, ea omnia corrumpuntur*. Subditque: *cæterùm non quicquid corrumpitur, putreſcere dicimus, ſed quibus id cùm fætore accidit.* At proprio abutantur nomine, lapidumq; inſcrutabilem putredinem obſeruent, quis prohibuit olido ſitu, atque ſquallenti mucore obductos aliquando deprehendere, quo firma eorum compages tandem diſſoluitur. Pus verò, quòd obijcitur, etſi à putredine exoriatur, pro putredinis etiam ratione, fætorem participat, ſic, vt non excludatur optimum. At ſi cum Galeno negâſſem, pus abſolutiſſimum non putruiſſe, ſed concoctum fuiſſe, iam difficultatem declinâſſem; verùm occurro, quoniam vulgaribus interpretationibus non ſubſcribens, vnicam tantùm efficientem cauſam puris agnoſco, atque putredinem pro ſolo termino admitto. Conſtat igitur ex dictis, nullum mixtum putreſcere abſq; fætore. Quod verò ſugillant Gal. multa fætere prædicantes, quæ non putreſcunt, pace tantorum Virorum dixerim, logicas peruerti normas, indirecta, atque præpoſtera prædicatione. Nam, etſi ignem calidum admittam, non tamen omne calidum ignem fore conuincet. Poſſem excrementa putrida dicere, animalia quinetiam, atq; plantas ex inconcocta, atque putrilaginosâ materiâ fętere; quanquam non ignorem, horum multa ingratum efflare odorem, non fętidum. Plurimum verò differt graueolentia ab inſuauitate: Nam omne fætidum non tantùm ingratum eſt, verùm abominabile, at non viceuerſâ. Et quod obiter dixerim, neq; tamen importunè, gratus, ingratuſuè odor non ſimpliciter dicitur, verùm ad aliquid; namque Ambar, & moſchus, nobis ſuauiſſima ſunt excrementa; animalium verò nonnulla à noſtris nec abſtinent Excrementis. Neque ſolius ſpecies obſeruatur diuerſitas, verùm, & indiuidui, quando grauibus odoribus, puta ruthæ, theriacę, caſtorij, aliqui delectētur, abominentur reliqui. Immo, quod mireris, vnus idemque ho-

5. Simpl.

6. Prog

mo ijſdem odoribus nunc refocillatur, mox læditur. Proprium experimentum producam. Primâ ineunte adoleſcentiâ ſic Ambar auerſabar, vt quotieſcunq; talis odor etiam dilutus, aut permixtus occurreret, vertigine tentarer. Quod ſi diutius inuita natura toleráſſem, lypothymia, atque nauſea ſubſequebantur, idq; bis meo damno fui expertus, dum ſacris intereſſem. Procedente verò ætate, ſolam incutiebat capitis grauitatem, donec iam omni depoſitâ ſimultate, non ingratus mihi nũc occurrat odor. Prçterea, quod vix capio, vnus idemq; homo paucis intercurrentibus horis, auidiſſimè alimentorũ haurit vapores, quos tamen, ſatiatus, impẽſe auerſatur, & reſpuit.

De Variolarum primordijs.

SChedulam, quam ſibi ſors obtulerat, penè deiecit Soſias, inutilem ratus qualemcunque operam, præſertim in Medicina facienda. Suasêre tamen Primores, vt ſtatum ſeruaret ordinem, neq; complanatam crederet ſe ingredi ſemitam, verùm ſenticoſam, & ad hanc vſque diem ſat controuerſam. Monitus homo lubens obſequebatur, & vocis ethymon à Varis deducebat, non ineptè; vitio contingere ſanguinis, ac virtutis expellentis robore. Eminùs hæc, præterque expectationem. Cominùs ille tandẽ, impetratâ priùs veniâ, paradoxon protulit, non ex improuiſo, & firmiter credere ſe, congenitum, vernaculumque Aphris Variolas fuiſſe morbum pariter & cum morbillis, quapropter inde factum, vt Arabes, qui primi ex dignitate rem tractârunt, nullam nouitatis fecerint mentionem; accuratiſſimi, alioquin, in rebus Medicis, vel minimis quibuſque perpendendis. At ſi nouiter illa contigiſſent, vbi ſummum vitæ diſcrimen, fatalis inuaſio, incerta periodus, turpiſſima labes, non tam extimæ cutis, quàm & ſuperficiei viſcerum quorumcunque, immo & fætûs vtero concluſi; quî poterant tantæ incuriæ euitare crimen? Sat proinde habuere

inqui-

inquilinos huiusmodi morbos suis depingere coloribus, manusque admouere auxiliares, nullâ præuiâ Græcorum face; experta interim suadentes præsidia, diuturnoq; vsu comprobata apud suos, & velut per manus tradita posteris. Non præluxisse Græcos, tam certum, quàm quod certissimum. Neque puto quempiam nostro hoc seculo aduersam tueri sentẽtiam, iam enim euictum est, priscis sæculis ignotum fuisse Europæis. Certa morbo primordia ferus ego vix assignare valeo; verisimile tamen est, transfretâsse tunc, quum Saraceni inundârunt Hispaniam. Facilè proinde illis fuit finitimas inficere Regiones, remotas verò nauticis expeditionibus vitiare: quod & Mexicanis contigit. Nondum experta fuerat felicissima Regio Variolas, aut morbillos: contigit verò, vt Maurus in Classe Ferdinandi Cortesij variolis tentaretur, cui in tentorijs iacenti, quum assiderent officiosi Indi, raptim labem contraxere nouam, & suis communicârunt contribulibus, ex qua occubuêre breui supra centum mortalium millia. Constans præterea fama est, Cubam, & adiacentes Insulas debacchantibus Variolis in solitudinem penè fuisse redactas. Rependerunt Indi nobis actutùm multo cum fænore execrandam Veneream luem, quæ celerrimâ transitione affecit nec non reliquas tres Orbis partes, sæui mali nescias. Quapropter non est, quò d ambigat quis posthac recens extensam Variolarum ditionem nostras in regiones, atque in Antichtonas, tam facili, apertaque vecturâ obstetricante. Hucusque Sosias: quo silente, fit murmur, applaudentibus plurimis, repugnantibus alijs. Eudemus rem compositurus, non improbabat coniecturam, verùm plurimas superesse fatebatur ambages, quas si effugeret homo, manus se daturum vltrò pollicebatur. Sat speciosa sibi videri menstrui Sanguinis residua inquinamenta, Cæli aspectus, quibus editus reuiuiscit morbus euidenter, sapere hanc H. Mercurialis sententiam dudum explosam à D. Sennerto. Recusabat Sosias ijs se immiscere tricis, sat sibi fecisse ratus, si Lem-

mati

mati fortuito pro viribus satisfecisset. Verùm, quæ hominis erat lenitas, rogatus non recusaui tabulæ manum rursùs admouere. Consonam Clarissimi Præceptoris menti tueri sententiam, veritatis in gratiam, & pium, & gloriosum sibi fore putabat, inani despecto Sennerti garritu, cui plerumque contingit putamina pro nucibus amplecti; Gratis induci in Scænam sydera, quum tamen quolibet anni tempore contingant Variolæ, atq; Morbilli, coeant verò Planetæ per longissima interualla. Quapropter superflua est inducta machina in nostra Tragædia. Non diffiteri tædia illa certis temporibus molesta nobis esse, verùm & illud cum Hipp. fateri, quòd *morbi omnes omnibus temporibus fiunt, magis tamen in quibusdam horum exacerbantur, & vigent*, vitio, nempè, sublunaris plagæ promouentis, aut sollicitantis internas morborum causas. Hoc agimus vt primæuam inuestigemus, non auxiliarem: concedant proinde Astra, atque Elementa. Propiùs collimant Arabes, qui materni Sanguinis causantur inquinamenta. Ratum nanque est, nonnisi massam sanguineam affici, feruoremque concipere. Verùm enimuerò neq; menstruis destituebātur mulieres quęuis à Mundi incunabilis, ignotus tamen fuit morbus vniuerso Orbi, præterquam Aphricæ, monstrorum parenti. Epidemica ne fuerit tunc Lues; an secùs, ignoro penitùs: illud sat noui, Endemiam esse, quandoq; verò sporadem. Non negarem tamen praua vigente constitutione efferari Variolas, more cęterarum passionum, quæ Thucydidis obseruatu, in pestilentiam degenerant. Sparsim tamen plerumque vagantur, nullo ætatis, sexûs, aut temperamenti habito respectu, rarissimæ aliàs, atque innoxiæ. Conticuerat Sosias, quum omnium votis prouincia illi concreditur profligandi Sennerti copias, quam & subit non inuitus. Erat prima in ordine. *Si Arabum tempore inceperunt Variolæ, procul dubio in descriptione huius morbi mentionem eius fecissent, nec causam in sanguinis materni impuritatē retulissent.* Priora hæc nostrum, aiebat, paradoxon confirmant,

3.Aph.

Sennerti 1. ratio.

poste-

posteriora nullam inferunt necessitatem, quandoquidem communis morbi, communis etiam assignanda erat causa. Promptissima verò, atque intima, nonnisi vltimum hominis alimentum; Vrgebat confestim alia difficultas. *Cur semel, aut bis tantum homines hoc morbo corripiuntur, si est hæreditarius morbus, non sæpiùs*. Facilis, respondebat ille, erit euasio. Vniuersum nanque morbi semen educitur, quæ difficultas non minùs incommodat materni sanguinis fautoribus. Succedebat tertia in ordine. *Cur, qui Peste semel laborant, eandem ad Pestem inclinationem, & aptitudinem soboli non cõmunicent? at hoc non fit, & quidem meritò.* Extorquet solutionem veritas; *Nam Natura vincens venenum pestilens; illud è corpore planè exterminat*. Hucúsque non malè, *idque eodem modo in Variolis, & Morbillis fâcit.* Quod negamus. Remanent enim morbi seminaria innoxia partibus solidis, apta nihilominùs temporis progressu sanguinem inficere, luemque fatalem in posteros deriuare per traducem.

Diluitur iniqua H. Cardani censura in Arist. de Natura Putredinis.

PLus æquò spatiatur nonnunquam feruidum H. Cardani ingenium, præq; nimiâ confidentia, aliorum placita, vel dicta mutilat, aut deprauat, memoriæ forsan, lapsu, aut inanis gloriosæ suasu. Quæ Pestis coæuos sciolos nonnullos ita malè habet, vt hostes iurati Peripato bellũ inducere, ac ficulneis iaculis munitissimam arcem impetere minentur, quam tamen ne à limine quidem salutârunt. Putredinis naturam apertè Arist. in 4. Meteor. enucleauit, adeò vt caliget mero meridie Cardanus, qui fucum illi facere, & carpere tentet in *libb. de Rerum Varietate*. Bonâ fide inducam ipsum loquentem. Altera causa putredinis est aer ingrediens, qui ob id putrefacit, quia lib. 6. c. 26. "
coniun-

„ coniunctus externo perpetuò mouetur, & mouendo diuidit,
„ & diuidendo partes separat, atque corrumpit. Quòd si aer ca-
„ lidus sit, eò tenuior est, maioreque copiâ, & impetu ingredi-
„ tur, & ob id corrumpit. Et hæ sunt causæ corruptionis, quas, si
„ Aristoteles intellexisset, non dixisset simpliciter, calorem ex-
„ ternum, humidum corrumpere: nam sic dicendo, nihil plus
„ dixit, quàm quòd sciunt rustici omnes, omnesque imperiti,
„ quodq; sensus ostendit: sed causam, cur calor putrefaciat, ex-
„ plicâsset. Vt verò id verum esse intelligas: quæ congelantur,
„ quæ in re, quæ non putrescit, seruantur, quæ in calida aqua,
„ calidiore tamen paulò magis, quàm tepida, non corrumpun-
„ tur. Quod si calor externus, corruptionis esset causa, hæc
„ corrumperentur: deinde non reddidit rationem in ea re; quæ si
„ ratio sola spectetur, potiùs contrarium doceret: calidum .n.
„ siccat, & siccando seruare deberet. Dum hæc recitaret Præ-
„ migenes, dicebat Antyllus: satiùs erat superiora nec non re-
censere, & primam in ordine putredinis causam à Cardano assignatam ad incudem reuocare: Compēdio tibi satisfaciam, inquit alter; existimat Cardanus corrumpi aquea, non aquam, neque pinguia. Properare aquam in pingue, caloris beneficio, mediaq; in via aqueum illud, vt pote imperfectum, corrumpi. Quapropter inuidet nobis putredinis promotorem, atq; priuatiuam causam effectui positiuo subcenturiat; vtrumq; maximo piaculo in rebus Physicis. Benè est, quòd humido huic parum fidens, auxiliarem aduocet externum aerem, vt audîstis. An non & hoc fecit Aristoteles, infit Sergius? Quid si fiduciaria opera illud fecisse admisero, reponebat Antyllus, nonne diuersam nihilominùs insistunt ambo viam. *Putredo* Aristoteli *est corruptio propriæ, & natiuæ caliditatis in vnoquoque humido, à calore extraneo*; puta ambientis: non tam aeris, quàm corporis cuiuscunque seu simplicis, seu mixti, cuius calor domesticus minimè sit rei putrescibili, verùm extraneus, atque hostilis. Quapropter neque omnis calor, neque Aer ipse, vt Sergio no-

Meteo.

stro

ſtro ſim morigerus, quomodolibet calore affectus, mixtis quibuſq; ſemper eſt infenſus, verùm ſalutaris multoties, nec non beneficus. Negantem redarguunt ruſtici, olitoreſq;, experti naſcentia è terrâ adoleſcere, perfici, roburq; aduersùs putredinem lucrari, ſi à calido aere foueantur: At cæleſtis ille eſt, obijciebat neſcioquis: cui incunctanter propugnator, nil intereſſe, dummodò Aerem calidum reddat, quin accendat, quod experiri fas in ſolaribus radijs artificiosè reflexis. At litem diriment omnem caloris ſubterranei opera, quæ recenſuit olim Amicus noſter ſua in *Proluſione*, neque artificia ſuppreſſit promouendi vegetantia, mutuati caloris beneficio, vel ipſa ſub Arcto. Conſtat igitur, externum calorem, niſi extraneus ſit, minimè fore pernicioſum, ſæpè verò proficuũ. Vlteriùs progredior, vixq; patior tam incurioſe Cardanum obſeruâſſe rei naturam, tantiq; Præceptoris mentem. Confundit in primis corruptionem cum putredine, hancque diſcriminare ignorat in eam, quæ ſimpliciter, & quæ ſecundùm partem, non tolerandò errore. Grauius eſt, quòd obaudiat, grauiſſimum, quod Peripati Coryphæo tam impudenter imponat. Nam de commentitio illo aeris ingreſſu, atque regreſſu, totâ aberrat viâ, vt mox patebit. Statuamus in primis cum Philoſopho, terminatum fuiſſe humido ſiccum, operantibus actiuis. Corruptionem fieri, cùm id, quod terminatur, dominetur ipſum terminans propter continens; quinimo propriè dici putrefactionem in ijs, quæ ſecundùm partem corrumpuntur, cum ſeparata fuerint à natura. Iure, meritoq; igitur putrefactio, quum ſit corruptio, dominantibus, terminumq; præſcribentibus inſidiatur. Primas obtinet calor, qui ab altero allectus, ſeu affectus, ſegregatur, ſicque compages diſſoluitur. Quare, quoniam ſecundùm indigentiam patitur calor, quà autem indigens tali virtute frigidum omne, ambæ vtique cauſæ erunt, & putrefactio communis paſſio, & frigiditatis propriæ, & caliditatis alienæ. Vter horum naturam putredinis calluit, ritèq; illius cauſas ri-

De Ign. Subter.

matus

matus est, Philosophus ne,an nuperus Censor? Quorsum igitur illa effutit ex mente Aristotelis,calorem externum humidũ corrumpere, si calori corruptio assignatur à Præceptore apertis verbis? Valeat proinde suis cum Rusticis, quibus facilè imponet, aqueum illud ingeminans. Esto, dicebat Antyllus, hominem hũc incuriose Præceptoris decreta obseruâsse, quid prohibet, vera nihilominùs in medium adduxisse? Subridens Præmigenes: An oblitus es, inquit, verum, & vnum conuerti, neq; simul, & semel vna de re plura posse verificari, &, vt vulgus prædicat, Veritas vna est. Malè igitur philosophatur, aut Stagirita, aut Insuber, quod suspicor. Ad trutinam, si placet, singula reuocemus. Cur recusas, dicebat Sergius, obiectam aquositatem? An non quę imperfecta pluribus exponuntur lęsionum generibus, maiorique sunt in discrimine, quàm quæ finem suum fuêre adepta. Imperfectum verò esse aqueũ illud, iam satis, superque constat, quum ad pinguis terminum properet. Minimè ambigebat Præmigenes, aqueum humidum in pingue mutari, quod alibi euictum erat, nuperq; disputabatur, qua de *Rerum Principÿs*. Verùm illud vitio dabat, quòd in solã matetiæ imbecillitatem corruptionis causam retulisset. Quantumuis enim materia sit propensa ad nouam formam,si ocietur efficiens, nunquam suo è statu dimouebitur,hinc ratum, materiam, & efficiens nunquam coincidere.Præterea neque verum est, aqueum illud causam esse putredinis: exemplo sint nobis Aquæ è vegetabilibus chymico artificio quocunq; destillatæ, quæ diutissimè putredini reluctantur. Reponebat Sergius pro Cardano, quoniam aquæ sunt, aqua verò non putrescit: Neutrum constare, dicebat Præmigenes, nam & Aqua putrescit Aristoteli, euidentiaq; confirmat, olida corruptione illam tentari nonnunquam, maleq; consulere Medicos proprijs ægrotantibus aquas propinantes destillatas, si puræ, putæque sunt aquæ, dispendio valetudinis, & rei familiaris. At neq; illi errant, neq; nudam exhibent lympham, verùm primæuis qualitati-

lib. de Ign. subter.


4. Meteor. loc.c.

tati-

tatibus redimitam introducunt, fidem dictis faciente euentu, & ſenſibus. Vana proinde fuga illa fuit. Neque minori difficultate admittet quis illud, quod pro rato aſſumit Cardanus, ſcilicet, quæ ſunt in via, faciliùs intercipi, minùſq; reſiſtere: conſtat enim nanciſci plerumq; hæc formas quaſdam medias, nouum communicantes robur ſubiectæ materiæ, quæ inuicta durabit in æuum. De aere illo externo, qui iunctus interno, perpetuò mouetur, diuidit, ſeparat, peſſundat; puto ego hunc ex pyrio puluere ab Auctore excitatum, exemplo cuniculorum militarium, quos ipſe deſcripſerat, atque delineauerat; tam benè inter ſe cohærent. Exulauit iamdiù è Peripati finibus Democriti inuentum, arctioribuſq; nunc vinculis nectuntur res phyſicæ, quàm præſtarent tunc anſatæ Atomi, vel hamatæ ad hoc inſtitutæ, ne corpora diſſilirent. Non concoquo illud, *aer ingrediens coniunctus externo*; an non externus æquè hic eſt, etiamſi poros omnes mixti occupet? Deindè arbitrarium eſt placitũ, moueri hunc *perpetuò*, vbi nulla apparet cauſa, neque violenti motûs, neque naturalis. At moueatur; diuidet, & molliſſima ſubſtantia ſolidos mixti parietes, aut duriſſimam compagem *ſeparabit?* Neque meliùs, vt mea fert ſententia, cedet, *ſi aer calidus ſit, ob idque tenuior: non enim, vt ille retur, maiori copia, & impetu ingreditur; refrigeſcens .n. hic ſtatim redit* ad priſtinam inopiam, impetum nonniſi in obicem factarus. At patulæ ſunt viæ, per quas regredi poteſt ad libitum, nulloq; impingente vrgetur. Quapropter amico rei perfruetur contubernio, quod videre eſt mollibus in ſpongijs. & friabiliſſima in pumice. Non eſt præſentis negocij, ditionem *Ambientis* illius exponere, vtpotè quod extraneum mixto, non autem extrinſecum ſemper eſſe debeat; qua in re plurimi ſimul, & cum Cardano cæcutiunt, cui, niſi fallor, iam ſuperius factum fuit ſatis. Onus ſubijt in poſterùm Antyllus diluendi ambages, quas Cenſoris nomine refricabat Sergius. Non corrumpuntur, inquit, quæ congelantur, quæ in re, quæ non

pu-

putrescit, seruantur quæ in calida aqua, calidiore tamen magis, quàm tepida. Quòd si calor externus corruptionis esset causa, hæc corrumperentur inferna; igitur malè Aristoteles corruptioni extraneum calorem præfecit. Dedignabatur Antyllus informe aggredi ratiocinium, quod tamen infestum magis esse ipsi Cardano, quàm Aristoteli fatebatur. In summa, falsa pleraque esse dicebat, aut incongrua, aut inepta. Gelu necari viuentia, & animalia; frigidum enim corruptiuum, vix inseruire moderando calori, in gratiam mixtorum. At seruari singula gelu, tantùm abest, vt Peripateticorum Principi officiant, quòd illius confirment egregiè sententiam. Quum enim ratum illud sit, quòd contrariorum contrariæ sunt causæ, si frigus conseruat, calor igitur destruet, atque corrumpet. Nil ad Rhombum facit, si fructus horarij præseruentur à corruptione, ope mellis, olei, vel aceti, substantiarum nempè plurimùm repugnantium putredini, inuita, atque præsente tamen *aquositate* Cardani. Calida aqua, aut conficit concredita sibi corpora, aut coquit, aut concoquit, quod experiri fas est in Aquis D. Philippi, in quibus impositum ouum per horæ quadrantem, putridum, fætidumq; euadit. Ridiculum penitus est, quod assumit postremo loco, vt Aristotelis placitum infringat: obijcit verò: calidum siccat, & siccando seruare deberet. At calidi est calefacere, non exsiccare, valetq; calor, & sicco, & humido copulari. Igneus ille est, qui sibi comitem asciuit siccitatem, limulam, nempè, qua ille acuitur, torretq; obuia quæq;, haud seruat, quod Censor effutit. Tepet aer, inuitis Cardani manibus, humidoq; iunctus haud ægrè promouet putrefactionem. Valeat proinde nouus homo hic suis cum *veris principijs*, distinguere nescius putredinem à corruptione, intolerando errore.



Lo-

Locus Hippocratis 6. Epid. Sect. 2. Excitare, torpefacere, & quæcunque alia huiuſcemodi.

ADuocat ad ſe quandoque implacabilis dolor vniuerſam curationem, ita vt cauſis poſthabitis, vnico cogamur ſymptomati ferre ſuppetias, adacti querelis miſeri ægrotantis, aut proximâ virium ruinâ. Incaſſum quandoq; implorat Medicus opem paregoricorum, quibus efferatur malum, inq; dies augeſcit. Quapropter non improbando Celſi conſilio, quum nihil profecerit, ad contraria ſe vertit. Similem nacta illa erant calorem, noſtroque conformem: verùm ob cauſarum contumaciam, cogitur artifex torporem inducere, & frigidorum implorare auxilium. Hinc factum, quòd *Tumores in articulis, & dolores ſine vlcere, ac podagricos, & conuulſa plurima ex ijs, frigida multa affuſa leuat, ac extenuat, & dolorem torpefacit. Torpor autem moderatus dolorem ſoluit*, monitore Hippocrate. 5. Aph. 25. Quæ dum minimè interruptâ ſerie recitaret Sergius, obuius Premigenes percunctabatur, quâ ratione illud accideret? Haud enim ſibi ratum, quod in ore omnium, per accidens fieri hæc, atque contingere. Igitur deueniendum erit ad cauſam per ſe, cui primæ debentur partes: & quod magis vrget, ſi frigidi eſt infrigidare, quo fato fit, vt Aqua frigida cauſis frigidiſſimis aduerſetur, illaſque ſuperet? Noſter adeſt Oedipus, Cous nempè Senex, aiebat Sergius: qui tribus verbis Ænigma reſerauerat olim, reſeratq; in præſens: *Calor autem hæc ſoluit. Cauendum autem eſt in frigidæ vſu*, eodem monitore, *ne modum excedamus.* Reuocat nanque calorem moderatus frigidæ vſus, immoderatus viceuerſâ extinguet penitùs, atque abolebit. Quod malo cum ſuo expertus dudum neſcioquis ætate conſiſtente, corporis habitu gracilis, ſubfrigidus, fluxionibus obnoxius. Is enim, dum graui tentaretur dolore, ſiniſtro in crure, inſtituta anody-

na naucifaciens, frigidæ rosaceæ, largo, diuturnoq; ad plures horas styllicidio, innatum, tepidumque alioquin partis calorem (nam & æstate mediâ huic crura frigebãt) corrupit, vixq; tum ab opere destitit, quando liuidum, frigidumque crus totum deprehendit. Aberat dolor, exulante sensu, pes immobilis erat; trahebatur tamẽ à tibiâ quoquouersùs, illæsis femoris musculis, illius motui dicatis. Vniuersa cutis, præter contractam frigiditatem, atque liuorem, attracta atq; eleuata, non residebat, verùm rigida, intentaque perseuerabat. His admonitus Medicu nostras, certissimæ ruinæ, quantùm in ipso erat, opem præsentaneam laturus, dum interim noui conuocantur Medici, atque Chirurgi; iubet affectam partem intra viscera collocare nuper exenterati suis. Mirum dictu, quàm promptè motus, & sensus, quanquàm sensim reuocabatur vnà cum partis calore, pristinoque colore. Fit congressus, narratur historia; itum est varias in sententias. Placuit pluribus hanc esse paralysim cruris à destillatione excitatam, quæ dum animales spiritus intercipit, sensu, motuque orbatur pars. Tali verò vtebantur ratiocinio. Vbi est priuatio sensûs, & motûs, ibi est Paralysis: at in membro patienti desideratur sensus, & motus: igitur paralyticum est. Controuersam putabant reliqui maiorem propositionem; quin negabant, neque immeritò, si indefinita existens, & in materia non necessaria, pro vniuersali affirmatiua diuẽderetur, ita vt æquipolleret huic: Omnis priuatio sensûs, & motûs est Paralysis. Prçterea dato etiam, quòd vera esset hæc enunciatio: Paralysis est priuatio sensûs, & motûs, conuersa pro falsa habebitur. Descriptio insuper illa est, satque imperfecta, quum per nullum tradatur causarum genus, careatq; proprijs differentijs: iure proinde, meritoque neque cum suo definito reciprocabitur. Addam & ego superpondij loco, aiebat Præmigenes, quòd laudata descriptio, cadaueri cuicunque est congrua ad amussim: tantùm abest vt viuẽtis adhuc corporis passionem exactè describat. Missa quę-

sò hæc faciamus, inquit Eudemus, quanquàm necessaria ad discernendũ in oratione verum a falso. Dic, obsecro, ecquis tandem rei exitus? Hariolatus est Præmigenes, dicebat Sergius: nouus nanque ille morbus Gangræna ab ijs iudicabatur, qui postremo loco ferebant sententiam, certissimis fulti enarratis indicijs. Tandem, vt fit, maior pars meliorem vicit, spretísque præsidijs, quæ inchoanti sphacælo opportunè, atq; vtiliter rursùs designabantur, substituunt nescio quam lotionem ex vino Maluatico, donec funesto euentu serò admoniti (nam exacta iam erat quinta dies) perperàm sæuierunt in partem emortuã. An tu ab Asino lanam? subridens inquit Antyllus, Grauius est, mi Sergi, quòd pudenda peruicacia blaterãt, & modò apud sui similes balatrones, inductam fuisse nechrosim illam præ importuno, ineptoq; remediorum vsu, futura secus pura Paralysis. Inuident proinde nobis Arcades non immeritò, tam vasta, vesanaq; armenta.

Prodigiosæ Vulnerum curationes nonnullæ examinantur.

MAxima calamitas est, vbi soluitur humani corporis cõpages. Vnum illud est: similarium partium, & instrumentalium coalitu, vtrísque continuitatis solutio bellum interminatur. Iure proinde, meritòque studuêre hucusque mortales, nullumque non lapidem mouerunt, quô inductum malum quàm citissimè auerruncarẽt. Veteres longam institerunt viam, cuius pertæsi Recentiores, compendiosiorem excogitârunt, ad præstigium vsque. Sola aqua, preculis nonnullis additis, Hispani Psalmadores medẽtur vulneribus, quibus supparassitatur, nescioquis D. Balatius. Armarium vnguentum superiori sæculo introduxit Paracelsus Heluetius, cuius descriptionem primus euulgauit Io. B. Porta in sua Magia Naturali. Vsus nomen præscripsit; tela nanque obliniunt, quibus homo

fuit ſaucius, vulnere miſſo, quin abſente multa ad milliaria ipſo vulnerato. Maiore ſagacitate corradebat nuper Tribunus quidam militum linteamina, quæcunque ſanguis infecerat, biſque ſe clanculùm mederi ſanctè affirmabat. Multùm, diùque rogatus vix tandem ſuis fautoribus reuelauit arcanum: erat verò Cyprium Vitriolum, quo linteamina ſtatis horis ſaliebat, ne marceſcerent (vt ſuſpicor) ſitumue contraherent. Iactant ſinguli propria experimenta, & quæ miſera temporũ eſt conditio, tanquam pro aris, & focis dimicans, ſcinditur incertum ſtudia in contraria vulgus. Viuebat dudum apud nos Chirurgus, qui vulneribus conſutis, pellionum ad inſtar, nullum pharmacum admouebat, vixque oui albumine roſaceâ diluto ſuperpoſita ſplenia, arctèque iuncta per vices rariſſimas irrorabat: quanquam ſuborti vermes ſæpè cogebant malè ſanum hominem tam ſtrenuæ curationi renunciare. Quæ inſania reſipit nouitium placitum Cæſaris Magati, illuſtre vel ſolo patrocinio L. Septalij, licet vterque parùm æquum ſe præbeat Præceptori Galeno. Quibus enarratis ex iniuncto ſibi officio Sergius, conticuit, nobis dicendi præbens anſam. Multi profectò multa dicebant: itum tandem in ſententiam eſt, vt Director noſter in re ancipiti litem compeſceret, quod præſtitit non inuitus. Scitum eſt, illud, inquit, cunctiſq; in confeſſo, τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἐςὶν ἰάματα: nempè contraria contrariorum eſſe medicamina: ratumque non minùs, continuitatis ſolutioni vnitatem opponi: ita vt quandocunque ſàucium proponatur Medico curanti membrum, emergere confeſtim certiſſimam indicationem, vt quod ſolutum ſeu diuiſum, ſarciatur, priſtinamque lucretur integritatem. Hùc collimant intenſa Profeſſorum ſtudia, communiſque hinc oritur indicatio, quam tamen impedimenta nonnulla quandoque remorantur. Accidit in primis ex diſſectis vaſculis ſanguinei humoris affluxus, dolores, irrequieta vis ſtimulans, inſiti caloris labes, influentis diſperſio, mẽbri pernicies. Vix tamen percipit Natura offenſam, ſi quan-

do sedulum nanciſcatur, expeditumque Artificem, qui diſiuncta vulneris labia priſtinam in ſedem reſtituat, familiariq; adhæſu diſponat. Præſtò ſemper eſt Gluten, quod exudare vulneris è parietibus nemo veſtrûm ignorat, quin ablata, caſu quouis, Epidermide, ſiſtere ſe, vel iniqui Cenſoris ad tribunal, per ocium experiemini. Quo, nempe, ingenio omnipa-rens Natura proprijs ſuffulta viribus, ſimplici vulneri priſtinũ in ſitum, ſi expedit, parte reſtitutâ, αὐτοδίδακτα medetur actutũ. Fucum proinde faciunt prædicata præſidia. Arcet frigida aqua, ſuperſtitione omni remotâ, humorum confluxum, liberamq; præſtat facultati expeditionem; incommoda, ſi penetret, aut intempeſtiua ſi admoueatur, Hippocratis monitu. Næniæ ſunt, extrinſeca illa officia in ferrum & linteamina: noui quid Crollius, quid illud ſibi, non mihi ſuadeant. Et ne huic Tragædiæ ſua deeſſet machina, aduocant ſpiritum Vniuerſi, qui exceptam medicaminis vim in vulnus refundat, phanatici medentis ad libitum. Quis enim vetat, admiſſo quinetiam tali σφάγματι, vt nullis concluſa cancellis vis illa pharmaci, plura irradiet vulnera, & vnica pugionis litura, vniuerſæ Legionis conſulatur indemnitati? Haud vacat ſingula redarguere mendacia, quæ nebulones iſti accumulant, ne priorum nos pæniteat, tædeatue, non abſque ſtomacho. Longum vale dixerò noſtrati illi Chirurgo, quin mero Empirico, ventoſoque Thraſoni, cuius tot fuêre errata, quot præſtitit infæliciſſima opera, funeſto plaudentium exitu: iam enim vela contraho, meque recolligo, iuſto poſthac cùm hoſte pugnaturus. Quod vt præſtem, admonet me in primis Galenus, quid Natura, quid Medicus in Vulneribus præſtet; habet verò. *Coaleſcere facit etiam, quæ inuicem diſtant, & priſtinam vnitatem reſtituit ipſa Natura.* Congruunt hæc cum noſtris, quæ ſuperiùs pro ratis habuimus. Proſequitur ille. *Noſtrum verò opus eſt applicare extrema diſtantium partium, atque in vnum coacta conſeruare, & tertiò hoc cauere, ne quid labijs vulneris incidat, & quartò* Art. Med. c. 90.

tò ipſam partis ſubſtantiam ſalubrem conſeruare. Quæ, ni fallor, Cæſ. Magati cenſuram exterminant, iniquè in Galenum latam, tanquàm nullam à partis natura elicuerit indicationem, pro vulnerum curatione. Sat eſſent pro diluenda calumnia, quæ dudum produximus ex ipſomet Galeno; verùm ſuperpondij loco habeat & illa, quæ lib. *tertio de Medicamentis per genera,* obſeruat cautiſſimè in curâ neruorum, ne vos multiplici teſtimonio conficiam. Obſcuram C. Magnati diligentiam ſat redarguunt fęliciſſima experimenta ab incunabulis vſq; naſcẽtis Medicinæ præſtita, Veterum Præceptiones, rationum momenta. In Aduerſarios omnia conſpirant. Renunciant primùm experimentis, quin perperàm, datâque opera malè vulneri conſulentes, vno tantùm ſeruato partis tegumento, optatam gloriantur ſe attigiſſe metam. Dicam tamen veriſſimè cum Auſonio, ſi quando illud contigerit ſaucio homini:

Euaſit fati ope, non Medici.

Quid ſutori contigerit intempeſtiuè puncturam claudenti, habet in Epidem. hiſtorijs Hippocrates. Qui Auctor tam apertè animi ſui ſenſum in re præſenti explicauit, vt mirum ſit ceſpitare obſequioſos: nam refractarios nauci & ille faciet. Præ-
li. de Vlc. in princ. monebat Senex. *Præſtat autẽ abſq; deligatione ſinere, præterquam quando cataplaſma imponitur: quanquam aliqua vlcera, neque cataplaſma ferre poſſint, magis autem recentia, quàm vetuſtiora, & quæ ſunt in articulis.* In pũcto rem ſic decernit laudatus Auctor. *At vbi deligare voles, pharmaca non priùs imponere oportet, quàm vbi valde ſiccum feceris vlcus. Tunc verò apponere oportet, vlcus autem ſæpe ſpongia detergere* (nota) *& rursùs linteum ſiccatum, ac purum ſæpè adhibere, atque ſic impoſito medicamento, quod conferre videtur, deligare, aut non deligare.* Nil euidentius in re controuerſa. De cataplaſmatis ante admotione, obſerua quanta cautione vtatur expertiſſimus Artifex,
loc. ci. de Vlc. *quum verò cataplaſmate opus eſſe viſum fuerit, non ipſum vlcus cataplaſmate integere oportet, ſed circumſitas partes, quò pus decidat, & quæ in-*

du-

durata sunt, mollescant. His nisi acquiescant Nouatores, rationumque ponderi vix succumbere se velle pertinaciter profiteantur, a[illegible], ex eodem armamentario, balistas mutuemur. Erit verò prima in ordine. *Vlcera non purgata non committi solent, etiamsi adducantur, neque suâ sponte coeunt*, Coi Senis obseruatu. At Magati norma obstat vulneris purgationi: obstabit igitur & pariter soluti membri vnioni. Vlteriùs. *Vlcera quæcunq; probe & prout oportet, purgata sunt, semper ad sicciorem modum germinationem faciunt; hæc autem plerunq; carne non supercrescunt*: impedit igitur debitam germinationem, qui purgationi vulneris obstat, sauciumque casibus exponit. Prætei ea, *vbi circumsitæ vlceris partes inflammatæ sunt, quamdiu durat inflammatio, vlcera coirè non solent*: sed nouus curandi modus inflammationem accersit, nō perflato extraneo calore, occlusaq; via confluentibus humoribus: igitur &c. Rursùs. *Recentia vlcera omnia, tum ipsa, tum circumsitæ partes minimè inflammationem incurrent, si quis quam citissimè suppuret, & pus ab osculo vlceris non interceptum, supprimatur*: at neutrum fit à Magato; non postremum, quādoquidem ex condicto omnem viam illi præcludit: non primum, degenerante innato calore, hincque putrescentibus humoribus, haud expetitā suppurationem attingentibus, præ vitiato promotore. Renunciandum igitur nouo curandi instituto. Insuper ex opere, quod Medicus tenetur præstare, contrarium conuincitur *Vlcus humidum est, quod verò sanum, siccum*: ergo, ne consentiat artifex malo, in opposita deducere conabitur: nunquam verò id præstabit, nisi fores patefiant. Hoc verò semper esse præstandum, vel in recentissimo vulnere, eodem Directore, abundè euincam. *Vlcus recens ampliore purgatione opus habet*. Igitur nullatenus, aut incuriosius occludendum. Quod si verearis, obijciasque sanguinis exitum, tunc sic. Tantùm abest, vt hæc vera sint, *vt omni recenti vlceri conducat frequenter sanguinem educere facere, & ab ipsis partibus vlcus complectentibus*. Et ne basilicas credas edi-

loc. cit. loc. cit. loc. cit. loc. cit. loc. cit. loc. cit.

loc. cit. ctiones, vrgebunt te rationum momenta. Siccum ſano propius: *ſed ſanguine defluente Vlcera ſicciora fiunt, & tutiora: præ-*
loc. cit. *ſtat* igitur ſanguinem defluere. *Prohibet enim hoc maximè talia vlcera humectari.* Emanant hæc à notiſſimis principijs, nempe, *in vulneribus ſanguinem concurrere in omnibus putredinem*
6. Epid. ſect. 5. *ſanguinis ex ſanguinis tranſmutatione fieri, inflammari vlcera, quum ad ſuppurationem tendũt, ſuppurari alterato ſanguine, ac calefacto non inflammari vulnera, & circumſitas partes, ſi quis auertat vt non ſuppurentur.* Sat iam factum (amici) proſequimini vos proinde, ſi lubet, inchoata ſtudia; commiſſum nanque penſum abunde, pro viribus, abſolui.
l. de Vlc.

De Sede Aneuriſmatis, illiuſque Natura.

SVperuacaneum exiſtimabant nonnulli, rem denuò ad incudem reuocare, Veteribus perſpectam, ſenſibuſq; expoſitam. Cui, enim, noſtrûm, dicebant, controuerſum vnquã fuit, Aneuriſma tumorem eſſe præter naturam à ſolo ſanguine arterioſo, ob idque toto ambitu pulſantem, cordis ſubcutanei ad inſtar? Nimis vagum, dicebat Antyllus, eſt illud ſubcutaneum, malèq; ſonaret auribus Sennerti: qui nouam Aneuriſmati aſſignauit ſedem, deturbatis prioribus. Bona verba, quæſò, infit Quintus, an non ſub cute latitat, illaque obducitur? & latitat, & obducitur, reponebat alter, at neque dum explorâſtis penetralia. Præfert igitur, quamquam Serus, Auctor ille, errantibus facem. Neque enim credendum eſt, inquit, vtrâque tunicâ arteriæ dilatatâ Aneuriſma fieri, ſed alterâ ſaltem, Habent enim, arteriæ duplicem membranam, vnam externã, quæ tenuis, rara, & mollis eſt, rectas fibras plurimas, paucas. v. obliquas, tranſuerſas nullas habens: alteram internã, quæ craſſa eſt, denſa, ac dura, habens fibras tranſuerſas, & rectis, & obliquis carens. Ideòq; ſi vel extenſione, quod facilè fieri poteſt, cùm ſit durior, tunica interna rũpatur, vel ſectione aperiatur,

l. 5. p. 1. c. 43. de Aneur.

non facilè, vt durior, coalescit, externa verò, vt mollior, facilè coalescit, & quia mollior est, fibrisq; obliquis, & transuersis caret, à sanguine, & spiritu vitali exitũ imperiosè quærẽte extenditur, atq; ita hoc tumoris genus excitatur, in quo impetus sanguinis, & spiritus vitalis ipso tactu deprehẽdi potest. Abnuebat Eudemus, causatus mancam speculationem, nec non euidentiæ reluctantem. Quotusquisq; enim nostrûm est, qui ignoret, duplici ex causarum genere ortũ ducere Aneurismata, internis, nempè, atq; externis. Primũ profectò Sennertus præterijt, siue quòd illi non occurrerit, secùs quàm, & nobis, & alijs obseruare datum est in Medicina faciẽda, siue memoriæ lapsu, quod suspicor. Externum causarum genus, neque attentiùs tractat. Esto enim, excitari frequenter à vulnere; an non & magnis conatibus succedit Aneurisma ex spiritu cohibito? Contingit præterea non infrequenter, vulnerari ab imperitis Chirurgis arteriam, transfossâ priùs venâ: cuius rei oculatus quandoque fui testis. Subsequitur Aneurisma confestim, prominet illud, subsidet vena, secùs quàm fieri oporteret: si tumor intra primam arteriæ tunicam coerceretur. Attolli nanque venam par erat, & primitùs intuenti, aut tangenti recurrere, ni tamen locum cessisse præ formidine censeat. Præstat & aliud argumentum euidentia: nam si quando contigit summam violari cutem loci tumentis, erumpit actutùm salientis sanguinis copia: indicium palantis succi, haud conclusi intra duplicem arteriæ parietẽ. Huic difficultati occurret ipse Sennertus. Equidem si ex vtriusq; arteriæ tunicæ dilatatione aneurisma fieri statueremus: aliquid ponderis hæc obiectio haberet. Verùm, cùm ex solius externæ tunicæ dilatatione, interna, seu sectione, seu ruptura aperta, Aneurisma fieri statuamus; nullo modo concedimus sub cute tota sanguinem arteriosum delitescere, sed quia tunica externa supra modum extensa est,ità arctè cuti simul extensæ cohæret, atque cum ea coaluit, vt cutem sine arteriæ tunica externa secare ferè impossibile sit. Fuga hæc est, di- (loc. cit.)

„ dicebat Eudemus, meraque principij petitio. Cur, inquam, „ cutim feparare ab arteriæ tunica externa, vel interna impoffi- „ bile eft perito Anatomico, Chirurgoue, aut cæfim, vel punctim primam violare, alterâ intactâ? Hæc pro afferta impoffibilitate. Quam tamen inducere fuperuacaneum erat, vbi malus artifex, non tundit pro venâ arteriam, fed venâ transfofsâ arteriam vulnerauit, cui læfioni, vt dicebamus, fucceffit confeftim Aneurifma. Rogatus Senex integram narrabat Hiftoriam. Medicus ciuis nofter, Magnati cuidam fanguinem detrahi iufferat, euehitur ab Aula familiaris Barbitôfor, pofthabito Chirurgo. Punctim, profundèque tundit ille venam multò cum Nobiliffimi Patientis dolore, ad fummam vfque manum. Vix coercetur fanguis; vefperi infignis fluxio cubitũ, carpum, & metacarpum occupat, quæ domefticis impofuit Chiragræ fub larua. Calamitatis in caufa fuit mos ille improbus, plenufque periculo venam fecandi: cui acceffit necnon ineptitudo organi. Inftabat tempus faphenam aperiendi, carnofæ, atque annofæ Virgini, cui enormia inflixerat aliàs vulnera nouus ifte Chyron, caufatus venæ profunditatem. Quapropter, vt antiquam deleret notam, nouas fibi parari lanceolas ftudet, quarum cufpides non Myrti, aut oleæ folia, verùm fpinæ figuram tereti productione æmularentur. Nouam hanc mercem gracilia intra fepta temerè adegit, neque venam tantùm, verùm & arteriam tranfuerberauit, ad contiguum, fuppofitumque neruum vfque; vnde confeftim ortus eft dolor ille implacabilis, irritamentum nouæ fluxionis. Nôftis, qui, quantiue aduolârint tunc balathrones curaturi Aneurifma intra octiduũ, quod & centies fe præftitiffe iactabant. Clanculùm fuppariffabantur & his, nonnulli ex noftris, quorum nomini vix parco: obijciebant malè phlebotomatum hominem, cuius Galenus meminit in methodo, qui tamen leui operâ reftitutus eft. At magna incircumfpectione, dicebat Quintus, in Scænam prodiuit, cui contigerat, ludente Naturâ, fitam effe arteriam fuperiori

in

in loco, hincque vt noxæ, sic & auxilijs expositam, velutque in propatulo. Secùs eueniet illi, me augure, qui altè saucius, seram, aut nullam experietur Medici opem. Quod & contigit, inquit Eudemus, Egregio Viro, cuius patientiâ diù abusi nebulones illi, abiêre tandem inglorij, cunctisque ridiculi. Fatale est Mundo velle decipi, reponebat Antyllus: *Obsequiũ amicos, veritas odium parit*, apud Magnates præsertim, quibus indicata merx noua semper fuit, atque inuisa. Proindè facessant hæc, tuque nobis Eudeme, ni pigeat, aut tædeat, alteram nobis enarra historiam laborãtis Aneurismate ab interna causa: plurimùm enim conducet, vt video, institutæ disputationi. En obsequor, respondit Senex: ea talis fuit. Singularem memoriâ recolo, quam obseruaui iuuenis maiori in Nosocomio. Rusticus erat ætate consistente, firmo corpore, cui à multo tempore enormis, spontaneusque tumor contigerat, ponè dextram clauiculam. Vtraq; palma hic comprehensus, pulsabat cordis ad instar, compressus dolebat: nulla in cutis colore, aut læuore, obseruabatur mutatio. Sensim irrepserat spirandi difficultas, non tamen vehemens adeò, quæ prohiberet decubitum. Die quadam à prandio, sæuiente dolore, pronus in spondam lecti se proiecit, statimque expirauit. Cuius rei nouitate cuncti perculsi, rogârunt, vt corpus secarem, quod dum præsto, obseruo euanuisse penitùs tumorem, argumẽtum internæ rupturæ. Quod suspicabar, confirmauit autopsia: aperto nanque thorace, dextra illius in parte contineri obseruo sanguinis grumosi libras plus minùs decem, ex disrupta vomica. Mirabamur vnanimes tam serò calamitatem aduentâsse: nam computruerant iam tres superiores costæ, parsque insignior illarum nusquam comparebat, vtpotè extremam passa putredinem, cuius finis est fimus, & cinis, Aristotele monitore. Vnica pleura superstes tutata est hominem, donec & illa diù, multùmque agitata, extensa, erosaque tandem succubuit, & secum traxit in ruinam miserum ægrotantem. Superest modò, si vobis placet,

Tert.

4. Meteor.

Ami-

Amici, post tam longam excursionem redire in viam, Sennertique argumentum reuocare ad trutinam: haud enim verisimile est, Senem Medicum, multique ingenij, renunciâsse præiudicatæ opinioni leuidensis, claudicantisue ratiocinij suasu. Referebat quidam Auctoris in lectione versatus, duplici illud tentâsse medio. Primum quidem, ex corporum qualitate immutata; alterum ex substantiæ, vt ita dicam, imputrescentia. Quod attinet, ad primum, sic procedere. Si ex sanguinis arteriosi sub cutem effusione fit aneurisma, tunc alieno colore cutis tingeretur, prout contigit malè venâ sectâ: sed hoc repugnat euidentiæ: igitur &c. Quod assumpserat, confirmat ex natura sanguinis arteriosi, qui tenuior, motuque citatior: tumor tamen ille suis limitibus, & quasi in vesica continetur, neque cutis alieno colore tingitur. Vt video, dicebat Eudemus, infirma nititur Sennertus coniectura, vt Aneurisma loco dimoueat. Ecchymosis obiecta, cutaneus affectus est, subcutaneus, Aneurisma: exulat proinde inducta paritas. Modus verò ille substantiæ, atque citatio arteriosi sanguinis, eximit potiùs, quàm damnet. Licèt non iuerim inficias, variari colorem, vbi recens irrupit inter vtramq; cutem, immunis prorsùs hæc futura tunc, quum substrata, procedente tempore, ferruminabitur. Hæc pro cutanei coloris mutatione. Succedebat confe- l.c.
» stim, & alterum, si ex sanguine sub cute effuso fieret Aneuris-
» ma, processu temporis in loco alieno consistens, putresceret,
» vt in Ecchymomate fieri solet, vt supra cap. 17. diximus. Quid si totum admisero, respondit Eudemus. Refragabitur euidentia, inculcabat Sennerti fautor. En pro nobis stat, reponebat Senex, prout audîsti dudum in rustici illius historia. Pari, ni fallor, excipietur cultu, compari cum historia A. Saportæ, dicebat alter. Neque, enim, infit Sennertus, morbus ille, quem describit, Aneurisma fuit, sed sanguinis arteriosi ex ruptura arteriæ in vicina loca effusio, & corruptio. Risit Eudemus; recitabatq; Saportæ verba. *Inspecta, optimèque animaduersa doloris sede,*

l. 1. de Tum. p. n. c. 43.

quam

quam tamen color ille tuus minimè indicauerat, *tumor insignis mihi apparuit, tactu mollis, & cum pulsatione, & digitis pressus, totus ferè delitescens, & his ablatis recurrens.* Hoc verò nobis purum, putumq; Aneurisma, à nemine exturbandum antiqua è nomenclaturæ possessione, nisi summam per iniuriam.

De interno vsu Olei aduersùs Venena, Serenis s. Magni Ducis Etruriæ.

OBtinuit vsus, dicebat Antiphanes, vt certissimum veneni alexiterion exteriùs illitum, cederet quinetiam in potionem, audaciâ Medici cuiusdam Vrbinatis. Hic enim tempore difficili, quò plurimæ febres vagabantur pessimi moris, volens præuertit administrandi modum, ratus insigne opponere se Alexipharmacum humorum malitiæ. Neque conceptâ spe frustratus fuit, quandoquidem plurimi è faucibus orci erepti sunt, pristinæque valetudini restituti. Increbuit rumor, visumq; est remediũ experiri A. S. 1609. quo tempore malignę febres vagabantur cum peticulis. Contulit, profligauitque virulentiam, & febres egregiè. Rursùs A. S. 1621. ijsdem recurrentibus morbis, & latè, superq; vagantibus, communem penè cessit in vsum, magno mortalium emolumento. Illudq; certò noui in Betrophio Florẽtino, vltra sexcentas mulieres Autumno illius anni grauiter febricitâsse, omnesque seruatas, exceptis viginti aniculis, & duabus teneris virginibus. Remedio illis fuêre sanguinis missio, frictiones, cucurbitulæ, linimentum cordiale ex speciebus frigidis, & Ol. contra venena, mixtis singulis cum vnguento rosaceo, &, quod caput est, potus in aurora Aquarum cordialium, quibus iungebantur guttæ prædicti Olei viginti, plus, minusue, pro naturâ patientis, morbique vrgentia: addebamus quandoq; limonum acidum pondere semiunciæ, ad gratitudinem, & prouentum. Nullo prorsus præsi-

præſidij genere vſæ fuere miſeræ illæ, præter enarrata, nec non congruam victûs rationem, quum tamen malè ceſſerit ægrotantibus Ciuibus, qui ſumptuoſis Alexiterijs perperàm ſibi cauebant à peſſima putredine. Intra Vrbis circulum deſiderata ſunt capita pluſquam duodecim millia, quadrimeſtri temporis ſpacio. Non tam morbi ſæuitiæ funeſtam iacturam tribuo, quàm Medicorum pertinaciæ, atque inſcitiæ, qui neglecto certiſſimo præſidio, ſua, vt dicebant, *Vſualia* admittebant, benè correcta, neque ſuſpecta. Peruicaciores alij vitio dabant Olei calorem, & inſuauitatem, vtraſque verò regerebant fautores laudati Olei in contradictores. Dilui dicebant ſatis, ſuperque, Veteris Olei nidorem à copioſa iuſculi, vel aquarum cordialium portione, obſcurari penitùs ab aciditate Citri, vel Limonis, hincq; conſurgere Medicamentum à prædominio frigidum, guſtu non inſuaue, neque abominabile, quod ſibi, & neceſſarijs ſuadere tentabant malè feriati homines. Quæ tamen, etſi negare præ pudore non valerent, antiquam recoquentes crambem, in conſultatione quadam, calidum eſſe oleũ illud, quin calidiſſimum, protulit neſcio quis ex aduerſantibus. Reſtiti ego modeſtè hominis in faciem, ſtare pro fautoribus dicebam euidentiam, compoſitionis modum, ipſaque componentia. Non abhorrere Medicinæ Proceres à præcalidorum vſu in putredine excellenti curãda, proſtare ſyrupum ex ſcordio, nempè ex Allio ſylueſtri, longè calidiore hortenſi, Theriacam, Mithridatium, Aquas inde ſublimatas. Laudari Zedoariam, Gentianam, Dictamum, Tormentillam, milleque talia, quorum nonnulla ſymbolum conferunt Oleo contra Venena. Immergi illa, atque infundi Oleo antiquiſſimo, cuius in ſinu diù maduerint ſcorpiones: Exprimi ſuo tempore, modoq; ſingula, hincque reſultare Oleum, quod *Eſſatum* diceret Chymicus, Pharmacopola per infuſionem. Huius proinde baſis ſunt, Oleum, & Scorpiones. Prius temperatum eſt, mediaque dicitur ab Auctoribus materia, quoniam ceræ ad inſtar excipit

cipit vim quorumcunq; sibi concreditorum, illaque fideliter seruat. Parùm deflectit ab illa temperie vetustum Oleum, sit in primo gradu calidum, ascendat ad secundum, quid inde? obliteratur concepta prę ętate caliditas ex contubernio scorpionum, quorum temperies est frigidissima. Indicio sunt symptomata, quæ ictos concomitantur, frigent nanque intensè, emanat frigidus sudor per totum corpus, velutque grandine se impeti putant, Ætij depositione. Largissima succi portio è corpore reptilium horum tempestiuè expressa, oleo iungitur indissolubili consortio: vide proinde, an resultet intensa illa caliditas, quam dudum obijciebas strenuo nostro Athletæ, nuperoq; Herculi Alexicaco. l.13.c.16

Sintne Antiqua iura Luis Venereæ, an verò nouitia?

NOn acuti, sed hebetis ingenij est nostrâ ætate controuertere, An Morbus, qui apud nos Gallicus dicitur, notus fuerit Antiquioribus Medicis, an non? Hæsitare poterant impunè hi, quorum sæculo innotuit dira labes, verùm postquam non cõtrouersa illius primordia omnibus sunt in confesso, peruicacis animi est, in media face caligare, quod facit Zacutus. Endemium illum fatetur, Indis familiarẽ, & patrium, vt referũt Manardus, Rondeletius, Her. Ouuiedo, F. Cortesius, quibus ille subscribit, additq; *qui hãc luem ab occiduis fuisse asportatam, illis regionibus antiquissimam dixerunt*. Nostris verò innotuit, vbi triremes Hispanorum auxiliares Neapolim appulêre, obsessam à Lautrico Gallorum Duce. Factum verò tunc fuit, arte, vel casu, ignoro, vt militum scortilla, obscæna lue pridem tentata, ad Gallos transfugerent, procacemque iuuentam breui inficerent. Miseræ, quæ à reducibus ex India infandam mercatę mercem, incautis carò nimis vendidêre. Nocuit empta dolore voluptas,

luptas, quin pessumdedit sæuissimis cruciatibus vniuersum exercitum, ita vt non defuerint, qui crediderint tunc, & litterarum monumentis tradiderint, miscuisse vinis Leprosorum sanguinem Hispanos, astuq; in obsidentium manus delabi passos venenatas nuperas. Quæ tamen næniæ sunt, cæcique vulgi deliramenta. Illud certum, quòd grauissima intulit tunc fœda lues symptomata, vixque credenda, nouorum morborum ad instar, quæ si quis exactè cognoscere auet, adeat coetaneum, ne dicam, conterraneum, Ambrosium Nolanum suis in Problematibus. Quapropter Morbum hunc Neapolitanum iure dixêre Galli, nostrates non iniuria Gallicum; constat enim, à Gallis primùm in reliquas tres Orbis partes celerrimâ transitione fuisse disseminatum. Sat hæc de nomine, certâque origine. Secùs qui credunt, fateri coguntur, aut transfretasse aliàs, aut præ aeris corruptela, vitiosisuè alimentis fuisse enatum. Vtraque, me iudice, falsa, & fide indigna, donec inducantur testes omni exceptione maiores, quod neque factum fuit, neque fiet posthac. Hucusq; Antiphanes ex officio. Percunctabatur Eudemus, cur olidam hanc Crambem recoqueret Zacutus, quibusuè copijs pacatum bellum instauraret? quandoquidem N. Leonicenus Magni nominis Medicus, & qui plurimùm in Arte Apollinea promouẽda insudauit, in ea fuit sententia, Morbum hunc fieri ab aere, præsertim, vbi excesserit in calido, & humido. Contra stabat Manardus, cuius sententiam, vtpotè veriorem, amplexati sunt Posteri. Quantumuis enim Austrina constitutio corpora nostra infirmet, atque dissoluat demus, & putredines, quas in pluuiarum multitudine fieri mo-
3. Aph. nebat Hippocrates, nunquam tamen obseruatum est, tentatos fuisse mortales Gallico morbo indiscriminatim, hoc verò fieri par erat, vbi communis causa, nisi accessisset concubitus, quod & in quacunq; temporis constitutione contingebat. Quapropter inferebat Manardus, nil huic morbo cum aeris, vel humoris, vel qualitate aliâ, esse commune, præter contagium.

Hæc carpit Zacutus,dicebat Antiphanes,falsiq; insimulat,propterea, quod nihil vetat,quominùs ex immutatione aeris præternaturalis valida, & diuturna; morbus popularis possit originem ducere, & deinceps per contagium disseminari. Obseruatum esse innumeros sine vlla contagione per se infectionem illam fuisse perpessos, vt notat Fracastorius. Aut seducor, dicebat Antyllus, aut filautiâ seducitur Zacutus, nimioque contradicendi œstro. Astruit primo loco, non destruit, quod assumit Aduersarius, dum contagium ingeminat, quod tamen mox eliminat, magnaque inconstantia in progressu disputationis restituit, ita vt & ad distans fieri posse contendat. Ridiculus insuper est, dum constitutionem illam enarratam ab Hippocrate in tertio Epidemiorum, morbosq; tunc germinantes. Luem credit Veneream ipsissimam, suasus ab vlceribus malignis, partium denudatione, membrorum effluxu, capitis, & menti glabricie absque febre: Vidisse insuper aliàs Hipp. vlcera depascentia, ossium cariem,quod & contigit Galeno, nec non posteris Medicis. Abnuebat Eudemus, falliq; hominem egregiè dicebat; deceptionis verò causa erat, quoniam Gallicus morbus, nouus Morphæas, quamcunque induit personam, & cuiuis morbo iungit. Labes enim hæc virulenta infesta primò cùm sit Iecori, quod longa obseruatione innotuit Medicorum filijs,vniuersam vitiat hæmatosim, paremq; breui contrahunt viscera, ac membra affectum, vtpote quæ sanguine, familiari sibi alimento, dietìm vtantur. Sic Pestilentia, cuiuis morbo iungitur, quod notant Medicinæ Procceres, superpondij loco insuper addita cacoethia, quæ neq; desideratur in Venerea Lue. Par igitur prouentus vtriusq; morbi, parque exordium. Distant nihilominùs tota Cælo: Epidemius hic, Eudemius ille;acutissimus prior,ob idq; breuissimus, & perniciosus: diuturnus posterior, neque incurabilis, si tempestiuè remedia adhibeantur. Vt video, iniuriosè vacauit Hippocraticæ lectioni Zacutus, quædam selegit, reliqua neglexit.

Vbi ſunt Sacri Ignes, qui multos interemerunt? vbi fauces vitiatæ, febres ardentes, Phræneſes, lippitudines, carbunculi, alui turbatæ, cibi faſtidium, ſitis, lotia turbata, coma, vigiliæ, Aqua intercus, Tabes, in ipſa curatione magnæ inflammationes, frequentes mortes ob malignam putredinem, præſertim vbi abſque abſceſſu relinquuntur inflammatio, & Sacer Ignis. Cui infecto decidit brachium, vel totus cubitus? Cui totum femur, vel tibia denudata fuit, peſq; totus? Deniq; omnes Gallicatos aluus ne ſuſtulit, quod tunc contigiſſe narrant Hippocrates, necnon inuidus ille coetaneus Thucydides. Hos fæliciter æmulabatur T. Lucretius Carus, vt animaduertebamus dudum in *Paraphraſtica* illius *Explanatione*. Libemus hæc carptim.

6. de Rer. Na. in calce.

Octauoq; ferè candente lumine Solis
Aut etiam nonâ reddebant lampade vitam.
Quorum ſi quis, vt eſt, vitârat funera letho,
Viſceribus tetris, & nigra proluuie alui
Poſterius tamen hunc Tabes, lethumque manebat

Quid commune habent hæc cum Gallico morbo. Quid cacoethica vlcera, quibus medicatus fuit Galenus, & poſteriores Medici? Valeat proinde ſuo cum commento Zacutus, & attentiùs in poſternm effata perpendat. Non melioribus vtitur homo medijs, vt allatum paradoxon cõfirmet. Longè diuerſa ſunt præſidia, quibus vſi fuêre Arabes in ſcabie craſſa, ab ijs, quæ modò India miniſtrat. Neq; præterea illitiones ex hydrargyro in alium vſum deſtinabantur, niſi vt puſtularum peruicax humiditas exſiccaretur; quod & facimus in ſcabie quauis pertinaci, miſcentes Dulcem Mercurium pomatæ, aut Præcipitatum correctum R[illegible]ſaceo. Verùm longè diſpar eſt noſtra Mercurij inunctio. Non enim puſtulis adhibetur, ſed extremis corporis partibus, additur longa frictio ad ignem, vt penetret litura, addimus inuolucra, teporem, quo tandem ſeruus ille fugitiuus extenuatus, ſummam petat arcem, tractis in conſor-

tium

tium rebellibus humoribus, perque patulam oris viam ptyalismo tandem erumpat. Non ea fuit mens Arabibus, non illud ſtudium: quapropter, etſi eâdem vterentur materiâ, modus tamen diuerſus erat, & exitus. Tandem educit Triarios Zacutus, & nouitate doctrinæ euertere tentat imparatos, quòd Morbus Gallicus ab immodico Veneris vſu oriatur. Veteres nimium huic indulſiſſe, nulli controuerſum; conſequi proinde, tali morbo fuiſſe tentatos. Maiorem confirmat Theueti teſtimonio, deponentis, morbum eſſe, apud Indos, verenda infeſtantem, quem ex immodico euenire coitu cenſet enarrator. Suas inſuper trahit in partes Fr. Valleſium in *Com. Epid.* Pugnat deinde rationibus, quæ in ſumma hoc concludunt, quòd corporis tonus, atq; vigor diſſoluitur ab immodico Venereorum vſu. Hoc vt condono, ſic pernego, languori ex nimia venere ſuccedere, neq; per ſe, neq; per accidens, Gallicum pathema; ſed alios morbos. Fallitur Valleſius, & Theueti depoſitio admittitur, ſi propagari, per coitum, non de nouo oriri intelligat, ſecùs negatur. Nam Sponſi omnes, ſtrenuique admiſſarij, Gallica lue confeſtim, & irreparabiliter vexarentur, quod euidentiæ refragatur. Plurima ſunt reliqua eiuſdem farinæ in curatione Luis Venereæ, quæ ſi libet, ventilabuntur. Placuit cunctis.

Ventilantur cautiones nonnullæ pro curatione Venereæ Luis.

NOn improbo, quòd vrgente acuta febre ſuperſedendum ſit à decoctis exſiccantibus, præſertim æſtate mediâ, & in corporibus virilibus, & aduſtis, quod conſulit Zacutus. Poterat ille tamen ſuperſedere ab improbo probandi labore, quòd hæc ad mentem ſint Hipp. & Gal. ſat erat enunciaſſe, ſiccitatem limam eſſe caloris; victumq; humidum febri-

citantibus omnibus conferre. Nimis è longinquo petuntur hæc, dicebat Pamphilus, cominùs decertandũ est pro veritate in re grauissima. Malè agitur cum ægrotantibus, quibus Decoctũ ex Ligno Guaiaco,& similibus,erat ex vsu,si febre superueniente necesse haberent supersedere, donec illa superetur; interim verò altiores mittit radices prior Morbus, aliturque humectante victu, eoque non probi succi. Plura desiderâssem ab homine *acutissimo*, hoc enim titulo se indigitat, primùmque, an præsente febre quauis interdicatur vsus Decocti?sin minùs, indicandæ erant illæ febres, in quibus admitti debet. Non enim admittimus, febricitantibus quibusuis calida medicamenta non conuenire: exemplo sint quotidiana, & quartana, in quibus & acria suadentur. Quin nuperâ obseruatione, vt audio, cortice Chinensis arboris, amaro, atque acerrimo, genus vtrumq; febrium illarum profligatur, nec non & reliquis chronicis breui finis imponitur. Nullum argumentum præterea suffragatur prætensæ caliditati Smilacis asperæ, quam nostri, ab Hispanis edocti, Sarzam Parillam dicunt. Inodora est, insipida, certissima frigiditatis argumenta: neque, si sudorem mouet, calida propterea est censenda, quum ob partium tenuitatem illud præstet, neque desunt frigida plura, quæ Diaphoresim faciunt, vel rusticis ipsis nota, quale est Albumen oui recentis cum Aqua rosacea. Nôrunt, qui Medicinam faciunt, raro contingere, vt hi, qui Gallico Morbo tentantur, non febricitent. Et memini pluries mihi contigisse febres tales profligâsse Iulebbo smilacis Asperæ ex iure, mediocri seruatâ victûs ratione, in siccitate, & humiditate. Sanctè quinetiam iurare possum, notham tertianam iam menstruam, complicatã Gallicæ Lui, intra triduum, ab exhibitione Iulebbi laudati euanuisse penitus, quod & nôrunt plures ex nostris Conciuibus. Quapropter, nisi vrgeat sæuissima febrilis acuties, non statim desistendum est ab incæpto, verùm pedetentim contrahenda vela, nunquam verò Alexipharmacis, præsertim frigi-

dis,

dis, aut temperatis, longum vale dicendum. Hæc pro febre iuncta Gallicæ Lui. Non placent, quæ interim instituit præsidia Zacutus. Nam balneum, quod sibi consultissimum videri dicit, valde mihi suspectum est, funestis obseruationibus monito. Serum tolerabilius est: præcipuè si pro menstruo decoctionis eligatur. Tacebat Pamphilus, cùm percunctaretur Sergius, quis exitus recentis illius quæstionis à Zacuto propositæ, num bubones in quouis emunctorio apparere possint? stat ille pro affirmatiua, & suadetur ab efficacia virtutis expellentis, aptitudine admittendi in alijs partibus, ineptitudine inguinum ad recipiendum, venenatæ materiæ copia; adde; si libet, & effræni citatione. Cui hæsitantiæ non incommodè quiuis satisfaceret: siquidem facultas, vel criticè mouet, & contagionis in principio, vel symptomaticè, & in alijs temporibus. Si primum, semper consueuit virus Iecoris illuc deponere. Tantique fecerunt Medici rectitudinem, quinetiam toties ab Auctoribus celebratam, vt difficilem futurum bubonem dicãt, qui sedem sibi fixit in sinistra parte; quid putas, si cubet sub alis, aut propè aures? Non cadunt hæc sub Arte, aut excluduntur à Peritis Artificibus, vtpotè irriti conatûs, & concitæ, aut aberrantis Naturæ ἁμαρτήματα. Neque meliora profert in curatione bubonis; quandoquidem despectis Falloppio, Aquapendente, Daza, &c. qui nullo modo initiante Bubone, sed postquàm apertus est, aperiendam esse venam imperârunt, quoniam motum Naturæ impedire solet, quod Dogma falsum esse dicit, & arbitros facit omnes, qui apparentibus exanthematis, scabie, alijsq; cutaneis abscessibus, hoc auxilium (scilicet sanguinis missionem, ad iuuandum Naturæ motum, vnanimiter celebrandum docuerunt. Hæc Zacutus, qui ficulnea asserit aliorum dicta, ac penè nulla. Regerent forsan & hi in Nouatorem maledicta. Nam quantum video, non ea sunt fulcra, vt depontano indemnitatem polliceantur: alleuiatio illa naturæ facta per sanguinis missionem, onerosa est, neque tra-

het ad externa, quod vult Aduerſarius, ſed impedit Naturæ conatus. Humor veneficus non defertur ad longinquas, extremaſq; corporis partes, ſed turbatur, atque agitatur magno periculo, atque piaculo; nec pars affecta aliquid remittit, aut, ſi faciat, proficiet, ſed lędetur inſigniter vniuerſi corporis œconomia. Ad libellam hæc expendamus, non enim in abſtracto, vt ille facit, ſed in concreto ſunt trutinanda. Supponamus prima hebdomada à concubitu, plus, minuſue, benè valenti aliàs homini, intumuiſſe inguen abſq; graui dolore, aut inflammatione; certus ſis, properaturam adhuc Naturam illius in augumentum; incertus an includat virulentiam, quid præſtabis? Reſpondit Zacutus, bubonis ratione, ex eodem talo ſanguinem mittam, ſecùs, ſi complicata ſit febris putrida. Sin percuncter, quæ homini ſit mens, atque intentio, inhibere, an promouere tumoris augumentum? Si primum, ex oppoſito crure celebranda eſt ſectio; ſin alterum, omni ingenio cauenda eſt euacuatio. Addas modò certam virulentiam, & præpotentis facultatis expellẽtis conatum ad partem determinatam, ignobilem, & antiquo iure excipiendis Iecoris reiectaneis deſtinatam, quæ tibi emergunt indicationes à rebus præter naturam? Ablationem dicis tu, ſed malè, nam in virulentia promotio præ oculis eſſe debet cordato Medico. Longè diſpar ratio eſt, vniuerſo corpori prouidere, & particulæ mederi. In votis eſt, vt Iecur ſe deoneret, expellatque vniuerſam venenoſam saburram in ſpongiformem ſubſtantiam, è directò ſibi ſubiectam: eâq; propter periti Chirurgi emolliunt, relaxant, fouent, quò locus fiat patentior: apertè quandoque alliciunt cunctantem humorem, atque ſollicitant, tantùm abeſt, vt contẽtum in parte abigant, aut eliciant, rati, ſi hoc præſtiterint, obſequi ſe Naturæ ſtrenuè rectèque operanti, ſecùs ſi faxint, reluctari, peruertere, impedire, tandemq; cuncta peſſumdare. Audîſti quas præſtet indicationes virulentus tumor, non deerunt qui refractarium in ordinem redigant, ſi obiecerint, quod veriſ-

veriſſimum, conatum illum eſſe opus virtutis expellentis, nec-non dominantis, ac proinde criticum: eaque propter ex præcepto Hippocratis in ijs, quæ iudicantur, neque mouere, neq; nouare, neque medicamentis aliter irritare, ſed ſinere oportet. Audit, an obaudit? Quantùm verò eſt de variolis, ſcabie, & exanthematis, pro exemplo adductis, controuerſa hæc ſunt, nullamque proinde fidem faciunt in re præſenti: ſi quando verò in ijs conueniat ſanguinis miſſio, nonniſi præcautionis gratiâ, non curationis, illa adminiſtratur, & cauſæ antecedenti vrgentiſſimæ, non continenti, trepidi, magniſq; cautionibus præuijs, tunc conſulimus.


De abuſu Aquarum Thermalium.

FOrtuitũ thema cunctabundus Sergius auerſabatur, ratus ſi pro dignitate res tractaretur, ne integrã quidem ſufficere Noctem. Sat factũ iri cuncti dixêre, dũmodo ad Medicam ille trutinam nonnullos reuocet abuſus. Malè cedet, inquit Sergius, ſiquidẽ vitiata hęc eſt apud pleroſq; vel ſocordia, vel peruicacia. Plurimi apud nos ſunt ex libro Nautæ, pauci qui Mare trahârint, rariſſimi qui fontes à limine ſalutauerint, ne dicam penetrauerint. Quô fit, vt noſtrates Conſultores, vix indicata Thermali aqua, ſubſiſtant, probè defunctos proprio officio ſe exiſtimantes. Quòd ſi rogati *Inſtructiones*, quas dicunt, Patienti tradere cogantur, domeſticam pandunt inſcitiam, vel ipſis balneatoribus deridendam. Quanquam verò pollent hi experimento, non eſt tamen quòd illorum temeritati liberè ſe quis committat, præſertim vbi varij ſaliunt fontes. Amant nanque è ſingulis in alienum ventrem infundere, quô protracta curatione, propriæ crumenæ conſulant: parùm curantes, qualis futurus ſit exitus creduli illius in poſterùm. Grauia profectò hinc ſequuntur damna, dum perperàm agitatur natura, & obliteratur profectus inductus ab aqua appoſitè præſcripta, verùm lon-

gè grauius est, morbos manufacere, atq; ex industria peccare. Peruicax quidam Seniculus cui contigerat à multis annis interesse Balneis D. Cassiani in Agro Senensi, eam imbiberat simul, & cum aquis falsam sententiam, vt summopere conducere existimaret, si diù retinerentur in corpore, neque excernerentur, nisi peracto mense, qualescunque Thermales Aquæ, hoc seductus ratiocinio. Quandoquidem si constat de electione, puta si Aq. Ficuncellæ, debellandæ phlogosi renum, hepatisque, eligatur; igitur ex diuturniori mora vires suas meliùs exercebit. Reponebam ego actutùm, testaceo ne vasi aquas illas committeret, an viuenti, præ cuius calore afficiuntur, breuique putrescunt? Signum autem, frequens Diarrhæa; nonnunquam verò, & Dysenteria, feralesque febres. Experiebatur ipse nec non ferinam scabiem nullo ingenio mulcendam, ex corruptis aquis. Redarguebāt insuper conceptam opinionem Priscorum monita, quibus illud in primùs curæ fuit, vt omni ingenio aquæ stataria è corpore humano educerentur, veriti grauissima damna. Captiosâ monebam suaderi illum ratione, quæ procedebat à secundùm quid, ad simpliciter. Verùm fecit quod est in adagio, senem admonere, & laterem lauare, parem esse laborem. Ad coruos missi abibunt rustici propterea; atque villici, qui nulla præparatione præuia, nemineq; consulto, Thermales petunt aquas, aut ijs sese immergunt, nulla cautione, & præpostero sæpiùs ordine: quandoquidem, & Ciues, & Medici non minora frequenter committant errata. Rem ridiculam vobis narrabo. Laborabat Nobilis Vir stomachi imbecillitate; auersabatur medicamēta, & Aquam Tettuccianam præsertim, eo nomine, quòd ad libras exhibeant Medici, quid non valet adulatio? pactæ sunt vncias illius duas summo mane ad dies plures. Egregiè, aiebat Antyllus: nam & alter ex eadem forsan schola, præscripsit Nephritico vncias sex Aquæ Villensis, à qua pessimè habuit: aucta verò quantitate vsque ad libras octo, fæliciter res cessit. Objiciebant non-

nulli

nulli Dysenteriam, in qua mos inoleuit Aq. Tettucij in pauca quantitate exhibere; idque summo cum prouentu. Consueuisse alios in mensa vina lymphare ex Aquis Thermalibus, quod improbabat Eudemus; suiq; in patrocinium, & nodi explicationem, adducebat Hipp. *in lib. de Aere, Aquis, & locis*, qui Auctor, dum aquas recenset duras, hæc habet: *Aut isthic, vbi calidæ aquæ existunt, aut ferrum nascitur, aut æs, aut argentum, aut aurum, aut sulphur, aut alumen, aut bitumen, aut nitrum. Hæc enim omnia præ violentia caloris nascuntur, non itaque ex huiusmodi terra aquæ bonæ prodeunt, sed duræ, æstuosæ, & quæ difficulter mingantur* (notate) *& ad alui egestionem contrariæ sunt.* Equidem parùm fauere Aquis Thermalibus in præsens videbatur Præceptor, neque defuêre, qui controuerterant comminatam segnitiem alui, & vesicæ, quum experientiâ duce, copiosæ obseruentur, & deiectiones, & vrinæ, vbi quis Thermalibus vtitur. At maxima in copia, aiebat Eudemus, tumq; mole se premunt, viamq; sibimet pondere parant: sic mali vis suadet. Plurimùm verò interest, vtrum quis aquis vtatur sanus, an æger, alimenti in gratiam, an medicamenti. Sed præstat Dictatorem audire è suggesto docentem. *Quisquis sanus est, ac valet, is nullum discrimen faciat, sed semper eam, quæ præsens est, bibat. Quicunque verò morbi gratiâ, eam, quæ commodissima est, bibere volet, is, si ita fecerit, maximè sanitatem assequi poterit. Quorum quidē ventres duri sunt, & idonei, ad hoc vt amburantur, his dulcissimæ, & leuissimæ, ac splendidissimæ cōducunt. Quorum verò molles ventres, & humidi, ac pituitosi sunt, his durissimæ, & crudissimæ, ac subsalsæ aquæ conferunt. Sic enim maximè resiccari poterunt. Quæcunq; enim aquæ optimè coctu sunt, ac facillimè liquescunt, eas par est, & ventrem maximè exoluere, & eliquare.* Hæc ille.



Præ-

Præferendæne sint Cucurbitulæ ipsi Phlebotomiæ in Febribus Putridis curandis?

QVod Paradoxon tamen haud tolerare poterat Antiphanes, vixque passus est loco suo stare, remq; discutere. Agitatam fuisse quæstionem illam superioribus diebus asseuerabant nonnulli ex nostris, non ioco, sed seriò, inter Professores non vltimæ notæ. Fautor Cucurbitularum iactabat propria experimenta; cui paria reponebat quin etiam Antagonista, addebat fautores primus, sed obscuri nominis; clarissimos adducebat alter, & inter sese consentientes. Ventum tandem est ad Lydium Rationis lapidem. Referam, aiebat, si Vobis arridet. Quin perplacet, reposuit Censor, præsertim si paradoxologi personam sustineas, vt qui interfueris forsan, aut memoriter peractam disputationem teneas. Et memini, inquit, & pars magna fui: quapropter, ne vos ampliùs cunctando distineam, hominis cautionem proponam. Medici officium est, si non iuuet, saltem non lædere, compendio diceret Hippocrates: μὴ βλάπτειν. At Medicus phlebotomiam imperans, ægroto incommodat: malè igitur officio suo perfungitur. Minorem confirmabat ratione, & experientiâ: Certissima læsio est, vbi morbus Vnica in parte consistens vniuerso corpori mox communicatur: Sed qui Phlebotomiâ vtitur, hoc præstat: ergo. Vallabat rursùs minorem. Quotiescunque tunditur Vena, certum est, succedere in locum exeuntis sanguinis nouũ sanguinem, è corporis centro, seu è particularibus visceribus illuc euocatũ: sed putridus ille est, atq; inquinatus; quod euidẽtiâ constat, si repetatur phlebotomia: Pars igitur integra vitiabitur à nouo hospite, cõtraquã tenebatur facere ex officio curãs Medicus. Percũctabatur Antiphanes, an ex animo obiecisset illa Nouator, an verò exercitationis gratiâ? Vt verò resciuit, mor-

mordicùs eã tueri sentẽtiã, mirari se dicebat, cur asciã proprijs cruribus illisisset homo, nõ .n. insensa magis illa erãt phlebotomię quã scarificationi cuilibet, Timiditas verò artis impotẽtiam denotat, quandoquidẽ artifici hoc est in Votis, vt sublata multitudine, seu vniuersali, seu particulari, non tam euacuatione, quam peccantis sanguinis transpositione, nondum impacti, sed tamen malè affecti, releuetur pars præcipua, vitæq; necessaria. Valet enim seruile membrum, in œconomia Arist. innoxiè perfrui deteriore alimento; quod tamen, ni penitùs vitiatum, corrigit interim Natura nunquam ociosa, inque probabiliorem deducit succum. Prætereo, quòd non semper obseruatur, vbi rursùs tunditur vena, sanguis ille deterior, sæpiùs verò probus, atque laudabilis, quod autopsia docebit abundè. Sunt quę regeram in laudatum Cucurbitularum vsum. Ac primum, quod tenuem tantùm sanguinem educant, atq; cutaneũ, non crassum, & impactũ, non ἀθρόος, & confertim, quod expetitur in morbis acutis, sed lentè, atque segniter, non pro multitudinis ratione, sed in minima quantitate, etiamsi altis vtaris scarificationibus, extremis præcipuè in partibus. Quandoquidem si dorso Cucurbitulas admoueris, quod plerumque in more est, præter enarrata incommoda, illud insuper accedet, vt impetum humorũ ad cor rapias, in cuius custodia excubat semper solers Medicus. Audiuimus, quæ minùs sperabamus, parùmq; decebant mutuæ altercationis statum. Alieno nomine, dicebat ille, sanguinis missionem non esse putredinis remediũ. Optimè, respondit Antiphanes, sed neq; appositè, neq; verè. Primùm quidẽ, nemini controuersum est, mediatè tolli putredinem sanguinis missione, præseruari nempe materiam putrescentem, antiquo inducto perspiratu, demptâ obstructione, quam inducebat multitudo, cui primò, & per se debetur sanguinis missio: tolli quinetiam putridum humorem venis innatantem, sicq; subducto fomite, putredinisq; immediato subiecto, profligari illam, extorremq; fieri ab humano corpore. Quibus

bus auditis, extra Chorum rursùs ſaltabat, refricans malignam febrem, ſeu peſtilentem neutiquam ſub putredine contineri, proprium verò genus agnoſcere corruptionem. Vix ſe continebat Antiphanes, petebatq; ab Aduerſarij Patrono, an excidiſſent Putredinis definitiones, olim ab Ariſtotele, & à Galeno euulgatæ, in quarum vtraque, ſtat pro genere corruptio, quanquàm Galenus vt Medicus, non cõſumatam putredinem ſpectet, ſed motum, viamq; in abſolutã putredinem, quæ *corruptio eſt propriæ, & natiuæ caliditatis in vnoquoque humido à calore extraneo,* Stagyritæ monitu. Effuſam aciem inſtaurabat auxiliaribus accitis ex Britannia, vbi locorum frequens eſt Ephemera Peſtilens abſq; putredine. Quod negabat, & pernegabat Antagoniſta, ſummamq; & exquiſitam putredinem ſubeſſe dicebat, quæ naturalis diei ſpatio hominem conficiat. Contra ille: Febris ephemera accenditur in ſpiritibus; Sed ſpiritus nõ putreſcunt: nulla ergo putredinis ſuſpicio in Ephemera. Indefinitam maiorem abſq; ſigno ſugillabat Antiphanes: minorem primùm negabat penitùs, funeſto admonitus exitu. Subducebat ſe rurſùs alter, corrumpi dicens ſpiritus illos; reponebat hic, putreſcunt igitur: talis enim eſt corruptio miſti. Compeſcuit rixantes Eudemus, appoſitè, rem controuerſam diſtinguens: Vel enim ſcarificationis vox preſsè, vel latè ſumitur. Prior illa æquat ſanguinis miſſionem quamcũque: poſterior neutiquàm. Scarificabant crura antiqui Medici, plurimaque, & profunda vulnera in parte poſteriore, quæ carnoſa, infligebant acutâ nouaculâ, qui mos etiam ſeruatur noſtrâ ætate apud Ægyptios, obſeruatu Proſperi Alpini, cuius inſuper teſtimonio Æthiopes obſeruatâ muſculorum rectitudine, non numeroſa, ſed profundiſſima vulnera excitant, tantumq; ſanguinis profluere permittunt, quantum ſatis eſſe exiſtimant pro morbo profligando. Ceſſat hic dubio procul omnis hæſitatio de cutaneo ſanguine, parcâue illius quantitate: ſecùs euenit in cute à Cucurbitulis attracta, deinde leniter ſcarificata, prout moris eſt, quæ vlcuſ-

4. Meteor.

cula

cula quantumcunq; profunda dicantur, nunquam cutim transuerberant, aut carnosi generis soluunt continuitatem. Vicariam nonnunquam hæc præstant operam sanguinis missionis, quod nôrunt cuncti, qui Medicinam faciunt ad mentem Græcorum Procerum, & Arabum. Hæc pro re-nata sat sunto.

Morbum curari per sanitatem.

NOn iniucundam nanciscebamur illecebram, obortam ex Summi Dictatoris Legibus: τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων; principium, inquam, illud in Medica Arte infallibile, cui inaniter miseri errones insultârunt. Habebat verò schedula; Si contraria contrarijs curantur, morbus opponitur sanitati: igitur & per sanitatem curabitur. Risum hoc primò nonnullis extorsit, similiq; ratiocinij genere asseuerabat Antyllus publicis in disputationibus cuidam ignauo fuisse illusum. Tunc Præmigenes rem expendebat seriò, neq; solis contrarijs pharmacis curari dicebat morbum, verùm quinetiã oppositâ sanitate, tanquã formâ, atq; idæâ insidente in artificis mente. Quomodo namq; lapsus instaurationem metitur, ritèq; Medica facultas illud mutuatur à Geometrâ, *Rectum esse indicem sui, & obliqui;* 7. Meth. t. 23.
Hæsitantes confirmauit adducto Aristotele: *Contrariorum*, inquit, *eadem forma est, priuationis namq; substantia opposita substãtia, vt sanitas ægritudinis: illius enim absẽtia ostẽditur ægritudo. Sanitas verò est ratio, quæ in anima, & in sciẽtia est. Fit autem sanũ ita intelligente, cùm hoc sanitas sit necesse est, si sanitas erit, hoc fieri, puta æqualitatem, quod si hoc caliditatem, & ita semper intelligit, donec redigat illud quod ipse potest vltimum facere.* Concludit tandem: Quare quodammodo *ex sanitate sanitatem continget fieri. Ars enim medendi, est forma sanitatis.* Placuit cunctis.



Locus

Locus Auicennæ expenditur, de Cubatione Nephriticorum.

ARabum ille Princeps Auicenna, dum lapidis renum curationem egregiè proſequitur, lib. 3. ſupinum inte-
t.18.tr.8. c.18. rim ægrotanti ſuadet decubitum. Id quanto diſpendio, nemo non videt. Partes namq; incaleſcentes nouum aduocant limũ ab vniuerſa corporis mole: hinc validiori reddito efficiente, præſenteq; materiâ, ecquis ambiget duplicari morbum? Et quod mireris, idemmet Auicenna, *Vſus*, inquit, *reſupinationis*
l. 3. t. 4. c.1.1.p.2. c. 9. Doct.4. c.20. 3.p.2.c.9. *multoties lædit dorſum, & laxat ipſum.* Non ignorauit præterea, excrementa ſic iacentium in profundum corporis demergi, ac poſteriores partes inuadere, neglectiſq; naturalibus ſuis canalibus, aut vi cohiberi, aut enormiter ſtagnare. Hæc adeò multorum animos exagitârunt, vt priori repudiatâ ſententiâ, tanquam rei naturæ, & Antiquorum placitis diſſonam, poſteriorẽ fuerint amplexati. Inter cætetos Nic. Rorarius, eximius Con-
l. Contradict. trouerſiarum Caduceator, ne quid intentatum relinqueret, vim contextui turpiter intulit. Exiſtimat namque Verba illa, ſupinus decubitus lapidi confert, ſic eſſe legenda, vt illud, *conferre*, non iuuamen, aut commodum, ſed perniciem magis, atq; detrimentum indicet, tanquam dixiſſet, Ad procreationem lapidis plurimum facit ſuper dorſum dormire. Proh infælix omniſciorum miſeria! Commodiùs tamen, quantum video, Auicenna vindicatur à calumnia, ſi animaduerterimus, alia ſuaderi in Prophilactice, alia in Therapeutica: Sępè verò cõtingit, ſymptomata, cauſæ rationem ſubire, vniuerſamq; ad ſe rapere curationem. Nemini controuerſum, ſupino decubitu laxari renes, inflammari adiacentes partes, aduocari excrementa, occludi ſuperfluitates. At quoniam ſæui cruciatus ſomnos arcent, vimq; vitalem diſſipant, partis robur diſſoluunt, conuocant

cant

cant excrementa, phlegmonas, & gangrænas accersunt, augentur verò dolores incommodo situ; is igitur erit suadendus, qui quàm minimè sit molestus ægrotanti. Talis verò solus erit supinus: pronus namq; renes extendit, arctat meatus, & comprimit, anhelitum cohibet, incongruus toti corpori, plerunq; verò & insuetus. Sin affecto lateri incumbat, indicibili cruciatu lumbum transfodi percipiet, præcipuè si lapis angulosus fuerit. Quòd si in sanum decumbat latus, graue quid pendere in opposito, ac vicinas dilaniare conqueretur. Supinus ergo decubitus solus supererit, quo resolutis animalibus viribus omnimodâ feriatione consulitur; affectæ verò parti lumbares musculi, veluti puluinar, substernuntur, quo naturali situ nec penduli, nec compressi, vel saltem breues, pollicentur inducias miserrimis cruciatibus.

Locus alter Auicennæ examinatur.

Contigit Antyllo Auicennę consilium in vomitu nigrę bilis perpendere; quando suspectum videbatur spōgiam calido aceto imbutam ventriculo sic vexato apponere, ne melancholicus humor fermentaretur ab aceto, atq; magis intumesceret. Appositissimè verò talia nobis consuluisse Principem asseuerabat, quum proposito fotu tollatur causa, curetur affectus, profligentur symptomata. Siquidem irruit ex lienis vase in ventriculum crassa viscidaq; melancholia, acrimoniæ haud expers, quæ diutina mora innatam continentis vim labefactat, vlterioriq; molestiâ ad expulsionem proritat. In hoc verò cōflictu attenuata humoris lædentis portio, præ sui crassitie, & meatuum exilitate, difflari impotens, tunicas distendit, atq; diuellit. Inhibendus igitur influxus, contentus humor educendus per loca sibi congrua, reserandi meatus, vaporq; attenuandus, quò commodè transpiret. His abundè satisfacit fotus acerrimi, atq; calentis aceti. Roborat partem, dum fluxioni

l. 1. f. 4. c. 11.
l. 4. F. 1. t. 2. c. 16. in calce.
14. meth.

reddit

14.meth. 6. reddit innoxiam: astringit namque, repellit, & refrigerat, causam
8.chat.2. quin etiam ex Ventriculo deturbat, admonente Galeno, opus esse in talibus non solùm siccante; & constringente, sed attenuante pharmaco, &, si ita dicere libeat, perrosiuo, quale
14.meth. est acetum. Neque dissimulauit aliàs huius adminiculo crassos humores particulis infixos attenuari. Acidum namq; , vt
2. simpl. 26. visum fuit eidem Authori, incidit, extenuat, diuidit, farcta li-
2. de Al. fac. 21. berat, perpurgat citra excalfactionem, repellit. Peculiari verò quâdam vi, vbi crassum in ventriculo succum inuenerit, ipsum
De vict. r. in ac. c. 3. t. 38. incidit, ac deorsum subducit. His abundè consonat Hipp. dum aceto vim tribuit nigra educendi, tantum abest, vt melancholicus inde humor intumescat: præterquam quòd coctione infir-
Loc. cit. t. 31. mius reddimus acetum, vt Medicinæ Coryphæi sedulò obseruârunt. Summoperè verò conducit ventriculo dolenti ex flatibus, atque vellicante humore; ijs enim propulsandis præ-
14.meth. 6. cipuè incumbit Auicenna. Extat enim communis intentio, in omni inflatione, Galeno Consultore, vt præter naturam contentum educatur, idq; tenuissimis pharmacis. At Sergius Antyllum admonebat, ne alteram supprimeret conditionem, quã tenuitati comitem adiunxerat Galenus, alienam attamen ab aceti natura. Cui Antyllus, quanquam Galenus inflationi conducentia medicamenta calida virtute esse prędicet, non tamen ibit inficias, ratione causæ excitantis suspecta nonnunquam haberi huiusmodi medicamenta, sæpè verò superuacanea, vbi actualis pharmaci calor laxando viam flatibus reseret. Licèt
2. de cõp med. non sim nescius, acetum alicuius esse caloris particeps, vel ipso Galeno consentiente. Neq; præteribo, non vulgari digerendi vi pollere, qua solâ inflationi abundè aduersabitur. Hoc verò præsidij genus, neq; nouum, neq; obsoletum mutuauerat
8. chat. c. 4. Auicenna à Galeno dicente: *Quibus bilem atram generantibus stomachus inflatur, spongias aceto acerrimo calido imbutas apponito, atq; hoc maximè tempore distensionum.* Alibi verò non dissimili sensu, ad nigræ bilis vomitum, ventriculiq; inflationem,

spon-

spongiam ex aceto quàm acerrimo suadet. Non malè igitur Auicenna tali remedio vsus fuit, prælucente Galeno, & quod satius, ratione, atq; experimento dictante.

Conciliatur Galenus, Plethoræ vim indicandi sanguinis missionem tribuens, & auferens.

Clarissimi Hieronymi Mercurialis hæsitatio dubios prima fronte nos reddidit, vt qui versatissimus in nodis huiusmodi dissoluendis, ferè desperet illius solutionem, qua Galenus de indicāte sanguinis missionem verba facit. Anodinum verò nobis præscribit Eximius Auctor, *Galenum plerisq; in locis dixisse, sine signis plenitudinis alicuius, nunquam decere mitti sanguinem, octauo autem Methodi cap. 4. scripsisse, etiam si nulla adsint plenitudinis signa, quandoque mittendum esse sanguinem: quæ posterior sententia, quòd rariùs ab ipso prolata inueniatur, minùs Galenica censeri debet, eò maximè, quod Aetius, qui in cap. 68. lib. 5. omnia verba illius cap. 8. Methodi transtulit, loco vocis Galeni, ἀπεῖν, habet παρεῖν, cui etiam adstipulantur antiquus interpres, & abbreuiator Methodi Constantinus Africanus, apud quos legitur, mittendum esse sanguinem, si adsint signa plenitudinis: quasi in contextu Galeni, quem habuerunt, eadem; quæ hodie apud Aetium, verba legerentur.* Non omnibus tamen arrisit hoc Nepenthe; superuacaneum alij credebant, malèque aptandum. Quapropter libera cunctis facta fuit facultas obolum cōferendi in præsenti negotio. Controuersum putabant nōnulli, quod Galeno tribuebatur ab Auctore, nullique nostrûm ad manus erat, vbi Pergamenus enucleatè illa protulisset. Laudare illum passim sanguinis missionem in Plethora, præcipue in ea, quæ ad vasa, omnibus erat in confesso, non præsente plethora interdici sanguinis missionem, nouum confessui videbatur. Nō pro

In Præfat. libb. Gal.

eodem habebant sanguinem quoquomodo abundare, & Plenitudine detineri. Ac proinde valere habitiorem hominem absq; signis plenitudinis commode tolerare sanguinis missionem: vti qui exors à cacochymia, bonis redundet succis, his tamen haudquaquam oneretur. Nō aduersari proinde sibimet Galenum, neq; emendatione proposita egere, quin ex lata à percunctatore lege, conducere potius priorem sententiam emendare, quum frequentior sit apud Galenum laus euacuationis sanguinis non indicatæ à plethora, quàm ab hac instante, atque vrgente. Sed pateant, dicebat Antyllus, disputationi fores, profiteatur illa Galenus, & frequenter inculcet, quid tum? Cui incunctanter Sergius, contradictio suberit ineuitabilis: nam propositio hæc: *sine signis plenitudinis nunquam posse mitti sanguinem, è diametrò aduersatur alteri: sine signis plenitudinis posse mitti sanguinem:* posse verò, & non posse, contradictorie opponuntur, quæ inter nullum adinuenire datur medium. Cui subridens Antyllus: experiamur, an secus contingat inuitis Dialecticis. Duplex mihi est plenitudo, totius, & partis: hæc verò vel imminens, vel præsens. Singulæ indicant sanguinis missionem, reponebat Sergius: igitur, quod non est, indicabit. Assentiebatur Antyllus apposità conditione, dummodo verisimile sit futurum in proximo. Rursus instabat alter: non erit proinde neq; remedium, neq; indicatio curatiua. Subscribebat Antyllus, & præseruatiuā dicebat. Placuit Eudemo, vt rei propositæ distinctionem apponeret. Qui morigerus tanto Censori, fatebatur, præsentem plethoram, euacuationem indicare; qualem verò, quantamue, non esse præsentis negocij, discutere; At sine signis plenitudinis præsentis, bene tamen imminentis, congruè mitti sanguinem, quod fecit Galenus in
c. 4. 8. Meth. vt perspirationi faueret, priusquam obstructiones aggrederetur. Et constanti sententia in præcauendis morbis à
4. Meth. plenitudine oriundis illud sępe suadeat, atq; cōsulat. Quin lau-
c. 6. dat alibi *Empyricos, cùm lapsus ab alto quis sit, aut aliàs plaga ali-*
qua

qua contusas vehemẽter corporis partes habuerit, ad sanguinis missionem confugere, quandoquidem homo paulò ante sanus fuerat, prorsusque redundantis sanguinis expers.

De Plethora nonnulla in controuersiam vocantur.

SVspiciosos nos reddidere, quæ dudũ mutiuerat Antyllus de indicato à Plethora, quum tamen nemini controuersa videri posset Gal. apertissima sententia. Nam cum multitudinis relationes duæ sint, & ad robur, viresque illius, qui refert, altera ad eius, qui suscipit capacitatem, ex plenitudine dispositionum commune auxilium prædicat esse venæ sectionem, eosq; qui plenitudinis morbis subijciuntur eodem præsidio curari debere testatur. Proinde luce meridiana clariùs constat in omni plenitudine sanguinem exhauriri debere, nectique incassum moras, maximo cum patientis discrimine. Supersede quæso, dicebat alter, iudicium ferre, præsertim inaudita parte, Caij ad instar: habeo, quibus infringam palantes has copias. Haud enim perspectum mihi est, in omni plethora sanguinem semper mitti debere neque vbi mittitur semper necessariam fore plenitudinem. Abnuebat Antagonista. Tandem communibus votis strenuos coegimus pugiles in arenam descẽdere. Is, qui plenitudini derogabat, patrocinantem rursus nactus erat Galenum disertis verbis talia enunciantem: *Quippe ipsos Empiricos videmus, cum lapsus ab alto quis sit, aut aliàs plaga aliqua contuses vehemẽter corporis partes habuerit, ad sanguinis missionem confugere, quanquam idem homo paulò ante sanus fuerat, prorsusq; redundantiæ sanguinis expers. Ex quo patet non hoc esse, quod mittendum sanguinem indicet, sed magnitudinem morbi, ac virium robur, exceptis tamen à sermone pueris. Nam & alia ratione, siquis etiamnum sanus, nec adhuc quisquam læsus, in sanguinis redundantis concursu sit positus, non statim huic mitti sanguinem necesse est: immo alij satisfacit inedia, alij cibi*

lib. de Plen. c. 6.

6. Aph. c. 47.

4. Meth c. 6.

parcitas, alij soluta aluus, vel purgatio, vel frequentius balneum: alij sola exercitatio, vel multa frictio abundè fuit. Missio verò sanguinis, ne ab ipsis quidem Empiricis, ijs, qui ita se habent, necessariò adhibetur. Præterea si propter obstructionem aliquando morata transpiratio est, vbi robur ægro non deest, secanda vena, etiamsi plenitudinis signa non adsunt. Præstat enim vitiosi succi maiore parte emissa ad detergendas obstructiones accedere, cùm alioquin metus sit, si obstructionibus liberandis, priùs quàm vacuaueris, studeas, ne ipsas magis impingas. Reponebat alter incunctanter: *quicquid pro natura sua indicat, id vnum semper indicabit, ceu quod vnam habeat naturam*, at plethora indicat sanguinis missionem, semper igitur indicabit. Vtræque propositiones Galeni sunt, ac proinde irrefragabiles. Cui Antyllus, ni distorqueantur. Nam de maiori, alia mens ibi locorum est Galeno, qui *vnum* pro *simplici* ponit, quod *composito* opponit; habet verò: *Siquid simplex est, simplicem indicationem faciet, si illud est compositum, hoc quoq; erit compositum*: quod exemplo simplicis, & compositę intemperiei explicat in fine capitis. Verùm indicet plethora sanguinis missionem an solam? non credo; Quapropter indefinita illa propositio minor, in materia nonnecessaria, haud æquipollet vniuersali, ex Dialecticorum legibus. Plurima, vt fit, vltrò citròque dicebantur. Hinc factum, vt Senex Eudemus perplexæ disputationi finem impositurus, sic auspicaretur: Non aliud est ipsa sanatio, ex laudato à vobis authore, *quàm præsentis in corpore vitiosi affectus in naturalem habitum mutuatio: cùm autem contrarij hi affectus sint, necesse est, per contraria fiat eorum alterius in alterum translatio. Atque ita rursus vna sola erit curationum maximè generalis indicatio, nempe contrarietas. Ergo hinc rursùs sumpto initio age particulares indicationes disquiramus.* Plenitudini euacuatio debetur simpliciter, sanguineæ euacuato sanguine. Hoc verò præceptum perpetuum est in curatiua methodo; in præseruatiua, non semper; qua cautione Galenus, *si quis etiam non sanus, nec adhuc quicquā læsus*

8. Meth. c. 4.

9. Meth. c. 12.

9. Meth. c. 15.

4. Meth. cit.

læsus redũdante ſanguine poterat tum impunè alia ſubſtituere præſidia. Verùm vbi præſens morbus, aut certò imminens, nullas dat inducias, omnium euacuationum facillima, atque expeditiſſima venæ ſectione perfici arbitror. Multitudini verò ſanguineæ adeò ſum addictus, vt paradoxologus videri vobis poſſim, quod & cõtigiſſe retroactis annis memini Collegis noſtris quibuſdã. Quandocunq; mittitur ſanguis, ſemper multitudini proſpicitur, hæc verò vel præſens, vel imminens, aut in toto, aut in parte corporis aliqua, quod probè dudum dicebatur. Impunè licuit hac ratione Galeno in obſtructionibus curandis ſanguinem mittere, multitudinem verito, non tam præſentem, quàm futuram. Dum deriuat, aut reuellit, eadem præſtat; transfert enim multitudinem, parti noxiam futuram, ſimulque tollit. Hæc pro partibus à multitudine leuandis per ſanguinis ablationem; proſequar, ſi libet, poſthac euincere, eadem contingere in corpore vniuerſo, aut curando, aut præſeruando. Renunciauimus vnanimes, Senemque ſuperfluo leuauimus labore. de Venæ ſect. ad Eraſ. c. 4.

Cureturne obſtructio primò, & per ſe, purgantibus?

INtelligebat Sergius, cui lemma fortuitò contigerat, quâ de cauſa res verteretur in quæſtionem. Præceſſerat ſiquidem ſuperioribus diebus controuerſia inter Clinicos Principis Viri Medicos, & alios ad curationem moleſtiſſimi affectûs conuocatos, ijs quidem pharmacum intempeſtiuè ſuadentibus, illis verò opportunam in horam differentibus. Plurima obſtabant, præcipuè verò humores imparati, & leuis febricula ex cõtumacibus obſtructionibus minimèq; dubijs; quibus reſerãdis primus debebatur conatus, diuturnaq; aggreſſio. Turgidus Antagoniſta conceptum virus expuit in Iuniorem Contradictorem, pugnare è diametrò cum Galeno aſſeuerans, qui 11. Meth. c. 10. talia nos docebat: *Oſtenſum enim in prioribus libris eſt, in ijs auxilijs, quæ obſtructionem eximant, vti non vacuata priùs*

 abun-

abundãtia velimus,fore,vt nõ modo nihil proficiamus, sed etiã affe-ctum maiorem reddamus. Notata fuit tunc vox illa, *abundantia*, quam nihil ad rem præſentem facere aſſeuerabat alter; verùm quoniam vrgebat præſentia Magnatum, dilata fuit diſceptatio in aliud tempus: interim repudiatâ communibus affinium votis, propoſitâ purgatione,manus dedêre deobſtruentibus,fæliciſſimo cum ſucceſſu. Siquidem Natura ijs ſollicitata,renumq; calore alliciente exterſos humores, breui ſucceſsêre copioſæ, & Lacteæ vrinæ, quæ deponebant tandem minutas atomos, atq; innumerabiles matulæ in fundo. Proſpero hoc euentu, ægrotantiſq; in meliùs profectu non ſat moniti, magna rursùs peruicacia, præſente Naturæ laudabili motu, purgationem rurſus,promouent apud domeſticos,interminantur recidiuam milleq; Chimæras. Quùm tamen ea, quæ relinquuntur in morbis, recidiuas facere conſueuerint,non quæ euacuantur Naturâ præſide atq; moderante, quod ab effectis conijcere cuique dabatur. Renuebat Medicinæ Dictator Hipp. is enim incaſ-

Aph. ſum refricabat ceruicoſis, *Quæ iudicantur & iudicata ſunt integrè, neque mouere, neque nouare,neque medicamentis aliter irritare, ſed ſinere oportet.* At iudicabatur morbus, & peccantis humoris debita ſubſequebatur excretio, quod conferentia, & tolerantia abunde teſtabãtur. Tandem ſumma induſtria obiectum fuit Senis oraculum in puncto, vt aiunt Legulei, terminante. *Vbi fauces, inquit, ægrotant, aut tubercula in corpore naſcuntur,*quod tunc contigerat(nobiliſſimus enim ægrotans erat in declinatione exanthematum) ſequitur tex. *excretiones inſpicere oportet: nam ſi biliosæ fuerint, corpus vnà ægrotat; ſi verò ſimiles ſanis, tutum eſt corpus nutrire.* Cutis proinde ſola ægrotabat, quum nulla per ſeceſſum apparerent bilis indicia, eaque propter ſuperflua hoc nomine erat purgatio. Hæc obiecta fuêre in nouo congreſſu, quem extorsêre clandeſtina machinatorum officia, ſimulq; abſoluta diſputatio. Quæſo te, aiebat Eudemus, proſequere, ſi quid certi habes, aut memoria, quæ tibi

vberrima, non refragatur. Et noui,& memini,aiebat Sergius, quæ illic gesta, dictaq; sunt: siquidem coram,Iunior ille Medicus, quo familiariter vtor, vt nôstis, certiorem me fecit, & commentarium communicauit, in quo descripta erat quæstio scholastico more exarata, simul & cum vniuersa Consultatione. Facile mihi esset, eidem insistendo ordini, argumenta repetere,difficile verò per tricas,atque ambages. In tua manu est, inquit Eudemus, fac, vt libet. Incunctanter Sergius exordiebatur. Duplici è fonte hauriebat Iunior ille medicus subsidia propriæ sententiæ in patrocinium. Primus fons erat ratio, alter Auctoritas. Sic verò procedebat. Causæ febrium putridarum suis tolluntur contrarijs, sic monebat Gal. 11. Meth. c. 8. & 13. sed obstructio numeratur inter causas febris putridæ l. c. Ergo suo tollenda contrario. At obstructioni opponitur Ecphraxis, non purgatio, l.c. & lib. de Ar. Med. c. 94. igitur ecphracticis, seu reserantibus, non purgantibus tollitur obstructio. Succedebat auctoritas, illaq; magni Hipp. 2. Aph. 9. *Corpora vbi quispiam purgare voluerit, oportet priùs fluida facere.* Gal. in com. rem planissimam rursùs explanat: habet verò. *Siquis enim extenuet, atq; incidat crassos, atque tenaces humores, qui in corpore sũt, & meatus aperiat, per quos isti trãsmittũtur atq; tolluntur à medicamentis, quæ vim purgatoriam habent, tunc purgatio in omnibus rectè procedit.* Damna, quæ secùs facientes sequuntur, obserua. *Qui verò istud neglexerint & vomitus, & alui subductionem procurauerint, ijs difficiles veniunt purgationes, non sine torminibus, aliquando & quadam vertigine, fastidio multo, & malo pulsu, imbecillitate, & difficultate.* Concludit tandem Com. tali epilogo, *Corpus erit fluidum omnibus meatibus: reseratis humoribus verò incisis absterfis, atque extenuatis, siquis humor fuerit in corpore crassis, & glutinosus.* Processit tandem amicus noster, & allatam ab Aduersario Galeni sententiam nil officere dudum sancitis asseuerabat. Quãdoquidem ne per somnium quidem purgationi inhæsit tunc Pergamenus, sed prædicat atque

extollit præuiam ſanguinis miſſionem, vtpote *abundantiæ* oppoſitam. Cuius rei in confirmationem quanquam euidētiſſimę, perpende ſequentia. *At ſi*, inquit, *vacuata priùs multitudine ad curandam obſtructionem accedamus, medicamentis ijs, quæ obſtructionem expediant, erit opus.* Subſcribebat Eudemus impugnanti purgationem; primùm quidem, quod turpi lapſu Satrapa ille *abundantiam* confuderit cum *cacochymia*, & ignorauerit, quæ Galenus ſuperioribus libb. ſe ſtatuiſſe dicebat: alterùm, quia perniciofam rem ſuadebat, certiq; diſcriminis. De priore, monuerat præcedentis libri caput, remq; aperte enucleauerat Pergamenus. *Iam verò obſtructionum ipſarum alia eſt, quæ ex abundantia, alia quæ ex qualitate ſuccorum, ſi qui, aut lenti, aut craſſi ſunt incidit. Præfertur autem inter remedia, in ea, quam copia facit, ſanguinis miſſio, in ea quæ ex qualitate humorum conſiſtit, attenuantium vſus.* Priùs verò exacta methodo in c.8. lib.4. ſanciuerat. *Vbi robur ægro non deeſt, ſecanda vena eſt, etiam ſi plenitudinis ſigna non adſint. Præſtat .n. vitioſi ſucci maiore parte emiſsâ, ad detergendas obſtructiones accedere, quum alioqui metus ſit, ſi obſtructionibus liberandis, priùs quam euacuaueris, ſtudeas, ne ipſas magis impingas.* Hinc Corollaria elicit impunè:

1 *Quòd primò & per ſe obſtructioni debetur reſeratio.*

2 *Quòd Medici curantes ob præpoſterum ordinem, in grauiſſima deducant ægros diſcrimina.*

3 *Quòd euacuatio præcedens totalis requiratur: multitudini totius opponatur, non obſtructioni, niſi per accidens, & ſecundariò.*

4 *Quòd talis euacuatio fieri debeat per ſanguinis miſſionem, non per pharmaca.*

Mirari non deſino, cur tandem in vniuerſali Variolarū declinatione tanto nixu ſuadere ſtuduerint purgationem quancūque, parùm memores, hanc improbari ab Auctoribus melioris notæ, vtpote qui longa obſeruatione certiores iam facti ſint conſueuiſſe Naturam morbi reliquias frequentiſſime tunc per ſe- (Raſis 20 Cont.)

ceſſum

cessum expurgare, neq; absq; periculo dysenteriæ. Quinimò adeò Religiosi quandoque fuêre, vt ne Clysma ea de causa inijci paterentur procedente morbo. Exitus omnia confirmauit, nam decumbens breui restitutus fuit, vrinarum multitudine iudicatus, Nobilis verò Germanus, eiusdem ætatis, robustior tamen, pari morbo cõflictatus, medici socordia propinantis pharmacum, intra triduum extinctus: cùm tamen pancraticè valeret, parùmque abesset, quin consueta munia, domi, forisq; priùs exerceret. Auicen. lib. F. 1. tr. 4. C. 11.

Hippocratis Oraculum 6. Epid. enucleatur.

AD trutinam reuocauit sors Coi Dictatoris effatum, *Increscentes morbos mistio*, non absque plurimorum tædio: Siquidem hi meminerant irriti aliorum conatus, & infrugiferæ speculationis, vel Galeni testimonio, qui expositionis in calce testatum reliquit: *A propositis verbis perplexis, & tenebricosis nihil addiscimus, quemadmodum, neque ab vllis id genus alijs.* Inuerisimile tamẽ prorsùs Antyllo videbatur adulterinæ sententiæ permissum fuisse cum synceris cõtubernium, neq; extorrem ab Hippocratico limine pridem exulâsse. Nam quod causabatur Galenus, friuolum ducebat: quandoquidem plurima consueuit Senex aphoristicè tradere, vel sibi consulens, quod non ignorauit Pergamenus, vel aliorum eruditioni, ne dicam, Artis dignitati. His dum assentiretur Eudemus, ansam cætui præbuit intimiùs rem expiscandi: quapropter vnanimes lacunam dum explerent, *Increscentes Morbos mistio*, tollit, dubitabant quid *mistio*, quid *increscentes* sibi vellent. Par, æquumq; singulis visum est, hæc priùs ventilare, deinde curam Antyllo demandare illustrandi sententiam. Μῖξις Græcis non plùs valet, quàm Latio *mixtio* Vtrumque verò nomen est plures sub se continens rerum species, non tamen æquis nominibus. Purè, castèque loquentibus, *mixtio est miscibilium altera-*

torum

Primo de Gen. & Corr. *torum vnio,* quod ſanciuit olim Peripateticorum Princeps: ius habet nec non in concubitum, quo iure, quaue iniuria, nihil moror. Hæc de voce *Mixtionis*. Interminabatur ſeuero ſupercilio Grammaticis, Morbis deberi illud *Increſcentes*, non patientibus, ſubſcribente Galeno in Commentario. Huic tamen ex noſtris quamplurimi reluctabantur, dum vagus, & inconſtans ſententiam contrahit ad paucos morbos, quibus tandem excluſis, vix vnico facit locum reliquum. Aliunde igitur mutuanda eſt lux, inclamauit Sergius; cui Antyllus incunctanter, Solem noſtrum percunctemur, qui tenebras fuget. Itum eſt in ſententiam. Eminùs proinde rem ſpeculemur, annectit ille, & Coam reuocemus ſophiam cunctarum altricem, cuius ductu cominùs tandem ſcrutabimur Egregij Auctoris mentem. Et

Hipp. de Vet. Med. vt hinc exordiar. *Homo omnium optimè diſpoſitus eſt, vbi concoquit, & in quiete eſt, nullam peculiarem vim præſeferens. Ineſt, enim, in homine, & amarum, & ſalſum, & dulce, & acidum, & acerbum, & fluidum, & alia infinita, omnigenas facultates habentia, copiamq; & robur: atque hæc quidem, iuxta, ac inter ſe temperata, neque conſpicua ſunt, neque hominem lædunt, vbi vero quid horum ſecretum fuerit, atque ipſum in ſe ipſo fuerit, tunc & conſpicuum eſt, & hominem lædit. Quin alimenta nobis noxia, nonniſi ob excedens ſucci genus, parumque naturæ noſtræ commodum, lædunt, carent quæ alunt, hoc intemperato diſſidente, & excedente ſucco: verùm robur, & augmentum, ac alimentum, præſertim per nihil aliud contingit, quàm quod probe temperatum eſt, & nihil habet intemperatum, neq; forte, ſed totum vnum factum eſt, & ſimplex, & non forte.* Hoc æquilibrio noſtra conſtat, ſeruaturq; natura; ſin autem humor alios exceſſerit, corrumpitur actutùm mixtio, & homo ægrotat, donec præ noua miſcella reſtituatur in integrum. Rerum primordijs generatio tribuitur, verùm hæc mixtio eſt noſtro Seni, idemque eſt, generari, quod commiſceri in lib. de Diæta. Perſpecta dubio procul fuit huic ingenio qualitatum temperies, cui non modicum tribuebat


in valetudine seruanda, aut restituenda; quanquàm non eandem prorsus insistat viam: prætulit tamen mixtionem humorũ, vti par erat: quandoquidem elementa sunt, proximaq; principia humani corporis. Quæ sæpius expertus industrius homo, fallere, & falli nescius, ob oculos ponit, & quàm distet curatio à curatione intemperiei, & vitiatæ mistionis, luculenter demonstrat. *Solitariæ intemperies contrarij præsentiâ tolluntur, atque hæc breui accedunt, & coctione nulla opus habent. Reliquæ autem omnes fluxiones, quas propter humorum acrimonias, & intemperantias ego fieri sentio, restituuntur, & curantur, vbi temperatæ fuerint, & concoctæ. Fit autem concoctio ex permixtione, temperaturâq; mutuâ.* Quam eruditionem mutuatus fuit pronepos Aristotelis, necnon fidus illius Commentator Auerroes, 4. Meteor.
Alexander insuper Aphrodisæus, Philosophi à secretis, quod adnotauit Amicus noster in sua *Physica Lactis Analysi*: Hæc de c. 13.
viribus mixtionis, deque miscibilibus, tam in sanis corporibus, quàm in ægrotantibus, prælibâsse ad mentem Hippocratis, necessarium duxi. Superest, si vobis placet, vt commissam, vestrâ humanitate, mihi prouinciam modò aggrediar. Placuit omnibus, benè simul ominantibus. Hinc Antyllus animi sui mentẽ claris enucleauit verbis, credere se, illud fuisse Hipp. institutum monendi Arte Apollineâ initiatos, vt increscentes morbos cohibeant coctione, quæ humorum peragitur miscellâ. Nulla hîc intemperiei fit mentio, quanquàm ex rerum quadam sequela huic etiam consulatur refractis mutuâ ex altercatione qualitatum excellentijs, sed fluidorum corporum mixtione non absq; præfectura innati caloris restitui in pristinum compagem, morbumq; abigi. Nôstis vniuersum cruditatis tempus, principium morbi Medicis dici, vbi verò prima emicant coctionis signa, augumentum. Quapropter vbi adolescunt affectus, nil congruentius, quàm coctione, illis consulere, hancq; procurare palantibus coercitis, & antiquum ad æquilibrium reuocatis. Præcedens igitur mixtio viam minimè dubiam co-

ctioni sternit, hæc verò morbis ex materia medetur, præcipuè verò putredini, quam cessare facit, Pergameni monitu. *Ac ne illud quidem ab Heraclide Tarentino dictum ratione caret, Celsi sententia, vbi aut bilis ægrum, aut cruditas malè habet, expedire quoque per medicas potiones miscere nouam materiam corruptæ.* Huic ille morigerus in Cholera morbo præcipiebat: *Protinus ergo vbi ista cæperunt, aquæ tepidæ quamplurimum bibere oportet, & vomere. Vix vnquam sine vomitu sequitur, sed etiamsi non incidit, miscuisse tamen nouam materiam corruptæ prodest; parsque sanitatis est vomitum esse suppressum.* Ecquid aliud, quæsò, etiã nos præstamus, vbi synceros nanciscimur humores, aut contumaces, præterquàm malo nodo malum aptantes cuneum, materias eligere, non tam oppositis qualitatibus præditas, quàm sedaturas sui mixtione effrænem succorum malitiam. Non secùs ac ingeniosissimus Cassius, Celso coetaneus, febricitanti cuidam, & magna siti affecto, cùm post ebrietatem eum premi cæpisse cognosceret, aquam frigidam indulsit; qua ille epotâ, cùm vini vim miscendo fregisset, protinùs febrem somno, & sudore discussit. Idem fieri, vbi amara bilis humanum corpus vexat: *nam quanto tempore eadem eleuata fuerit, & cruda, & meraca, ac intemperata, nullâ arte, neque dolores, neque febres sedare possis. Et quos quidem acuta, acrisque, ac æruginosa bilis affligit, quales mox rabies, & morsus viscerum, ac pectoris, & desperatio? Non sedantur autem hæc priùsquam eadem expurgetur, & prosternatur, & alijs permisceatur. Concoqui autem, & permutari, attenuarique, ac crassescere in humorum speciem per multas, & omnigenas species contingit.* Quæ tamen non est præsentis instituti speculari, non secùs ac *de humorum cognationibus:* qua de re in calce eiusdem tractationis verba fecit optimus Institutor.

C. Cels. lib. 3. c. 6.

C. Cels. lib. 1. in Procem.

Hipp. l. c.



De

De fomentis in Pleuritide ex Hippocrate.

AD incudem hæc reuocare, Crambem haud eſt recoquere, aiebat Sergius, quandoquidem frequentiſſime illud contingat, vt præripiant vulgares maximo cum emolumento qualeſcunque fotus, præterq; Medici opinionem, futuraſq; calamitates auerruncent: Ducem ſi nôſſent, haberent Hippocratem qui *lib. de Vict. Rat. in Acut.* calefactorijs ſoluere tentat dolorem. Sed lateris, non Pleuræ, dicebat neſcioquis, ſecumque ſentientem inducebat D. Sennertum, auctorem diſtinctionis, & cui placuit diuerſis ſub capitibus examinare Pleuritidem, & Lateris dolorem. Improbabant alij obſcuram hanc diligentiam, ſat rati, ſi Pleuritis in legitimam, & ſpuriam diſcriminetur. Verùm Senex Eudemus cenſuit altiori hæc dubio procul egere indagine, primùmq; cõſulendum duxit Hippocratem noſtrum, cui noua forſan & hæc contingeret. Habet verò. *Quinetiam ſi lateris dolor aſſiduus eſt, & ad calefactoria non remittit.* Quandoquidem τȣ͂ πλευρȣ͂ dixit ſuâ linguâ, & paulo inferiùs; *Cæterum Pleuritis*, quod dolorem Lateris Mercurialis vertit, ὀδύνη δὲ πλευρȣ͂. In ſumma, Pleuræ dolor, *ſiuè ab initio fiat, ſiuè poſtea, calefactorijs quidem primùm non eſt alienum tentare diſſoluere.* Hinc libera patet Præceptoris mens, cui fucum minimè facit Sennerti diſtinctio, vt audîſtis. Quapropter veſtrum erit inpoſterùm inueſtigare, an conſtans ſeni fuerit hæc ſententia, non tam in Pleuritide, quàm in cæteris doloribus, tandemq; præcepti cauſam expiſcari. Quòd ſi vacabit, aut ex re videbitur, valebitis tunc aduerſariorum tela obtrudere præuio hoc apparatu. Placuit omnibus: quapropter demandata eſt cura ſolertioribus, & Hippocraticæ lectioni aſſuetis. Producebat quidam ex noſtris laborantem Iecoris dolore: *huic*, inquit Hipp. *conducunt, tum alia, tum tepefactoria eadem appoſita, quæ etiam Pleuritidi.* Inſuper in Pulmone tumente

lib. 2. p. 2. c. 16.

De Intern. Affect.

præ

prae calore, consulit *ad ipsos quidem dolores, quum irruunt, calefactoria leuia, ac humida adhibendo, locum calefacere, ac humectare vbicunque dolor fuerit*. Quod praestat in cerebri purgatione dolorosa, peracta purgatione, *capiti maxime quidem vniuerso, sed & per aures, & per nares fomentum adhibeto. Caput verò frequenter mollibus, odoratis foueto, quo citiùs cerebrum purgetur.* Preterea eadem obseruat in *Morbo Ructuoso. Hunc*, inquit, *si dolor habuerit, multa calida lauato, & calefactoria ipsi adhibeto.* Quae repetit mox in curatione Pulmonis repleti. Materiam praeterea significat in cura Pulmonis ad latus prolapsi. *Infusam aquam calidam in vtriculum, aut vesicam bubulam, ad latus apponito, & fasciâ pectori alligato*. Prosequi hominem paratum, compescuit Eudemi auctoritas, translataq; fuit lucubratio in causae inuestigationem: siquidem euidenter, & vbiq; Hipp. tali remediorum genere vtitur. Non vnicam assignabat Antiphanes, primùmque futurae purgationis in gratiam vsurpâsse Hippocratē fomenta credebat, quo corpora εὔροα fierent. Huius rei in testimonium plura adducebat Hipp. loca, praecipuè verò in *lib. de Intern. Affect.* & alibi. Cuius forsan rei in gratiam praecipit in *lib. 3. de* Morbis: *quum iudicationes sunt, dolentes locos humidis fomentis tepefacito, & oleo illinito*. Non praeteribo, inquit ille, quod memoriae quandoq; tradidit Summus Dictator in Coxendicis morbo, *fomenta*, nempe, *magis remittere, & condensationem ex articulis humectare, & relaxare*. Et verò cui potest esse controuersum, fundi facillimè concrescentes in parte affecta humores, à calore illo, qui nostratis aemulus, concretos attenuat, arescentes diluit, perq; patulos cutis meatus victos expellit. Accedit necnon saeui hostis illius fuga, aut pacatio. Quotus quisq; enim nostrum est, qui ignoret, vrgere quandoque tam acriter dolorem, vt caeteris posthabitis, vniuersa huic cura, ex artis praescripto, debeatur. Praeter enim virium vniuersarum iacturam, ex inchoata membri corruptione, illud insuper accedit, vt nouus hic Caecias mala ad se trahat

[Margin notes: de Morb. — 2. de Morb. — 3. de Morb. de Nat. mul. — lib. de Intern. Affect.]

hat, cogatq; Naturam obuijs quibusq; stipatam humoribus aduolare seditioni compescendæ. Non sibi defuêre interim aduersæ partis fautores, illudq; ex Galeno reponebant, fotus ante vniuersales euacuationes plus attrahere, quàm per cutem euacuare, quod & repetit constanti sententiâ in Comm. *lib. Acut*. At desperat, dicebat Antiphanes, in proximo commentario latis à se legibus vti, primasq; illis meritò tribuit; quapropter sic rem decernit. *Verùm cum præfata omnis dignotio coniecturalis sit, & non scientifica, non certa, compertaq;, præsertim vbi in corporis imo sita sit, quæ dolore afficitur particula, ab ijs inchoare te oportet, quæ, quàm cætera, magis auxilio esse tibi videbuntur. Quod si nihil præsidij tuleris, ad alia etiam te transferre conueniet. Dolore autem non sedato ad totius corporis accede euacuationem. Videtur ergo Hippocrates ab eo incepisse fotu, qui periculo omni vacat: is autem est, qui minimè mordet, humidusque existit. Nempe tamen & si nihil aduersus malum fecerit, non tamen magnum, & insigne affert detrimentum*. Sat factum in re præsenti, omnes statuerunt, hinc finem præsenti NOCTI GENIALI, septimæ in ordine, vnanimes imposuimus.


Com. in 6. Epid. 12. t. 30

Com. 2. t. 1. tex. 2.



NOX

NOX GENIALIS
OCTAVA.



„ Nox tandem optatis terras, pontumq; tenebris
„ Condidit ——



Ecdum conuenerat cætus: plurimi desiderabantur ex nostris, præcipuè verò Pamphilus, qui cæteros vigilantia anteibat. Vix exacto horæ quadrãte, reserantur pulsantibus fores, properansq; turba nos anhela salutat. Occurrit redeuntibus lætus Eudemus, vrbanèque interrogat, An diuertissent volẽtes Leguleiorum in castra, quibus ius est, vt *hora termini non computetur in termino*. Nolentes, inquit, Pamphilus, Pædagogicæ interfuimus disceptationi in Bibliopolio, dum præstolaremur malã hanc mercem. Quæsò, dicebat Senex, quę litis causæ inter cõgerrones? Cui ille: Abecedarius fuit primus insultus. Carpebat Insuber quidã Pædagogus nostratem, malè iungentem, tertiam Alphabeti litteram cõpari vocali, quum secũdæ iungi debeat, dum exprimitur solitaria. Risimus omnes, tam peruersè illam pronunciabat, vel suo more, quæ misera est conditio, vel hostilitas plurimarum

Nationum, vt C, in Z, loquendo deforment. Non defuit sibi Aduersarius, mutamq; maritari debere perquàm consimili vocali asserebat, vt minimum à suis finibus diuertat. Vocaliorem esse ipsam E, quàm, I, comprobabat ore diducto; quod spectaculum debitum obtinuit plausum. Iratus Insuber, quum se ab Asino deiectum intelligeret, purus tamen, putusq; Asinus, maiora meditatur, auolatq; suam in Arcadiam, magis, quàm sinceri, cui vitio dat mixtum loquutionis genus latinobarbarum, malè hucusq; toleratum, & laudibus elatum à pedaneis. Reprimebat actutùm hominis audaciā solers Antagonista: factumq; illud summa cum arte dicebat. Nam quæ deperduntur sensim idiomata, diù sui speciem conseruare obseruamus apud agrestes, atque syluicolas, vbi nullum, vel rarissimum aduenarum commercium. Quapropter Latij flores, vtcumque vitiati, durant in recessibus. Adhuc, credo, Ranæ illæ coaxant, nos interim numeratâ Bibliopolæ pecuniâ, receptoq; Libello, hùc festinè aduolauimus. En tibi, Censor optimè, insolitæ moræ caussas. Vt introspexit Eudemus tractatiunculam, abiecit stomachabundus; mirarique se dicebat, quî paterentur Magistratus, vt cuderentur, & recuderentur tam insignia mendacia, ventosissimo titulo *Miraculorum, & Mysteriorum* palliata. Sat sibi conspectum aliàs fuisse exchartabulum, Auctorisq; temeritatem, qui Nobilissimam gētem Italam immeritò proscindit. Percurrite, ait, si lubet, Epistolam dedicatoriam; quod factum est incunctanter, illucq; ventum: *His reuocatis sæculis* (Musæ) *Alpes transuolarunt in Germaniam, & vlteriores regiones septentrionales, quibus hodierno sæculo nulla regio cultior est moribus, & scientijs.* Malè commendat horum mores, dicebat Sergius, *Muliorum* æmulator, quin appositè *Mulus*, in quo non est intellectus, Psalmographi testimonio: nam *cæno barbariei nos,* scribit, *misere volutari, palmamque penè in omnibus à Borealibus præripi.* Huic modestè occurrebat multiscius L. Pignorius. *Neque verò Itali non agnoscunt, quantùm laboris exantlauerint Transalpini*

omnes,

omnes, quo ſtudio, animi contentione acceſſerint ad politiora hæc ſtudia pertractanda, omnes amant, ſingulos diligunt, & vniuerſos, veluti ciues vnius, & eiuſdem publicæ rei ex intimis animi ſenſibus amplectuntur. Quapropter, dicebat Eudemus, quotieſcumque ſe fert occaſio, promouemus illorum ſtudia, commodis fauemus, neque pænitet obſequij, aut collati beneficij. Nam plurimos nouimus Tranſalpinos gratos, modeſtos, morigeratos, quibus ne per ſomnium quidem, illatæ dudum contumeliæ in mentem veniunt. Diſcurrunt perditi quidam Nebulones alieno ære ſoti, ediſcendæ Medicinæ ſub prætextu, qui ſat habent ſalutare Medicos, (verèque à limine) alicuius Ciuitatis, vel Academiæ, mox verò aliò ſe conferre, *Rutubuth* ad inſtar, animalis, inquam, quod in ſuperficie aquarum ſtagnantium hinc indè perpetuò curſitat; quæ labes mortales quinetiam diuexat, Februario præſertim menſe, vt notant Arabes, ponderatq; Sennertus. Hoc vno præcellunt Sycophantæ, quòd ſingulis menſibus voluntariam experiuntur inquietem, vt malo conſilio æs alienum dilapident. Nam reduces tandem, peregrinationis incertæ, atque tumultuariæ, teſſeras mendicatas proferunt in Enchiridio, iactantq; Arcana, Myſteria, & Miracula, quod facit Nebulo hic, eruta è pectore Excellentiſſimorum Profeſſorum ſingulari induſtria, quæ tamen malis artibus emendicârant ab ocioſo Pharmacopola, vel triobolari Empyrico. Hunc promouent creditores apud Magiſtratus, ſpe futuri commodi, fitq; tandem arbiter vitæ, neciſq;, præter fas, & æquum. Quorum è numero, ſi benè ariolor, puto fuiſſe hunc vagum Vlyſſem, qui magna impoſtura euulgauit tunc, dudumq; refricat ridenda *arcana*, vt traheret ſui in admirationem profanum vulgus. Satiùs eſt, aiebat Antyllus, rogatis derogare hac vice legibus; proſtat .n. lucubratio quædam non inutilis pro *Veteri Tuenda Celſi lectione* aduerſus iniquum Cēſorem (penèque dixi) purum Grammaticum. Arriſit cunctis. Quapropter Soſias onus recitandi ſubiuit.

Symb.Ep.ſt. 16.

lib.12. p. c.14.

De Veteri retinenda Cornelij Celsi lectione. Introductio.

EXcreuit in immensum mala seges, quæ superiori sæculo in campum litterarium temerè irrepsit. Quos enim admirari par erat Priscos Eruditionis Parentes, si non imitari dabatur, vulnerârunt maleferiati scioli, inque repugnantes induxêre plerunque, aut imposuêre ridiculas sentẽtias plus sibi, quàm Emeritis, rudeque donatis dum tribuunt. Nupera, eaque Pædagogica petulantia insultabat nescioquis in Tullium, & Salustium Eloquentiæ Antesignanos. Emendant alij, restituunt, vel destruunt, quod experior, optimos quosq; Auctores, ieiuni penitus, atque extorres à notitia rei, quam procaciter aggrediuntur. Hinc fit, vt corruptis horum culpa codicibus, obstruatur ad bonas artes semita, aut obliteretur, dũ ventosum Critici nomen, quod aucupabantur miseri, in temeritatis notam meritò degenerat. Nemo ignorat, quis, quantusue fuerit apud omnes Cornelius Celsus: vixit sub primis Cæsaribus, quo tempore Latini sermonis puritas, & elegantia florebant. Plura edidit ingenij sui præclara monumenta, præclarissimũ est, quod *de Re Medica* inscripsit. Verumenimuerò, quem abolere verita est temporis edax vetustas, nescioquo sub prætextu, vellicare, quin arrodere ausus fuit R. Constantinus Medicinæ orgijs vix, aut malè initiatus; & quæ hominis est modestia, confidentiaq;, alicubi hæc effutit: *Sequenti capite multa traduntur breuiter, confusè, vanè, atq; mendosè.* Habet verò cap. illud 33. in ordine. *Quæ res somnum moueant, aut sensus excitent.*

Ad cap. 31. lib. 2.

Cornel. Cels. lib. 2. c. 33

Somno verò aptum est papauer, lactuca maximèq; æstiua, cuius cauliculus iam lacte repletus est, morum, porrum. Sensus excitant Nepeta, Thymum, Satureia, Hyssopum, præcipuèq; Pulegium, Ruta, & Cæpa.

Quæ

Quæ fideliter transcripsi, ea de causa, vt constet, quam iniquè in Cornelium animaduertat Censor, & quæ, quantaue sit in medica materia illius experientia. Facessant ridiculæ vocum emendationes, vrget nos rerum pondus, & singularis Auctoris temeraria corruptio, cui Romanis Hippocrati digna contigit nomenclatura. Onus perinde sub eo emendandi R. Constantini prauas emendationes, dum interim Medicinæ candidatos exoratos velim, vt Veterem retineant Celsi Lectionem, aut iudicium saltem suspendant, quousq; nostra hæc ad Lydium veritatis lapidem probè examinauerint.



A. CORNELII CELSI de Medicina lib. I.

CAP. I.

Vetus Lectio.	R. Constantinus legit.
Ex quo apparet, has partes Medicinæ solas ab his (Podalirio, & Machaone) *esse tentatas, easq; esse vetustissimas.*	*Probatas.*

Tentatas retineo. Haud .n. aliqua Medicinæ pars explorata prius illis fuerat, forsanq; neq; coæuis Professoribus, sed vulneribus tantummodo, ferro, & Medicamentis prospiciebant.

V. Eodemq; Auctore disci potest.	*C. Ab eodem quoq; Authore disci.*

Celsoque auctore potest, debetq; elegans loquutionis modus, abiecto pedestri.

V. Ideoque multiplex ista Medicina neq; olim apud Græcos, neq; apud alias gentes necessaria, vix aliquos ex bonis ad senectutis principia perducit.	*C. Vix aliquos ex nobis.*

Bona valetudo consors erat bonorum morum, quos neq; desidia, neq; luxuria vitiarant: perdit plerumq; multiplex ista medicina.

V. Primòq; medendi scientia, sapientiæ pars habebatur.	*C. Cum primò quæ medendi.*

Benè cum Veteri lectione cohærent, quæ subseqnuntur, scilicet, vt *& morborum curatio, & rerum Naturæ contemplatio sub ijsdem Auctoribus non sint.* Quæ tamen nouæ lectioni vix aptabis.

V. Sci-

V. Scilicet his hanc maximè requirentibus, qui corporum suorum robora inquieta cogitatione, nocturnaq; vigilia minuerunt. *C. Corporum sanorum robora.*

Nanq; proprij corporis robur attriuerant. Qui enim aliena corpora proprijs vigilijs, inquietisq; cogitationibus minuere valebant?

V. Eius autem quæ victu morbos curat, longè clarissimi Authores. *C. Curat, Logici, seu Dogmatici.*

Vacat vtrumque. Cur verò longè dixerit Clarissimos, audies mox.

V. Etiam altius quædam agitare conati. *C. cogitare conati.*

Profundis è latebris rerum causas sciscitarunt, & propria agnoscere principia coegerunt obuios affectus. *Agitarunt* igitur, susque, deq; verterunt.

V. Ex cuius successoribus Themison nuper ipse quoq; quædam in senectute deflexit. *C. ab ijs in quibusdã in senectute.*

Vt Asclepiades medendi rationem ex magna parte mutuauit, pari pacto Themison quædam deflexit.

V. Quoniam autem ex tribus Medicinæ partibus, vt difficillima, sic, & clarissima est ea, quæ morbis medetur. *C. quæ medicamentis medetur.*

Morbis, nempe, internis, quos coniectura assequitur. Secùs & Chirurgiam medicamentis mederi solitam supra ex Homero narrabat Cels.

V. Alij nisi corporum rerumquè ratione comperta, non satis potentem vsum esse proponunt. *C. Corporum, rerumq; naturaliũ.*

Retinenda prior lectio, vt quæ sub se comprehendat quæcunque etiam præter naturam à Medicis dicuntur, haud posthabitis temperamentis partium, & totius, nec non idiosyncrasin.

V. Alia si sanguinis in eas venas, quæ spiritui accommodatæ sunt transfunditur. *C. in Arterias.*

Non dubito, quin Arterias indicet, quas artificiosè circumscribit, quod & aliàs præstat; egestate coactus Romani sermonis, & vocis ambiguitate. Verùm cur contra Auctorem itur?

V. Et id vsu explorasse, quod ante coniectura aliqua duxissent. *C. coniectura aliqua didicissent.*

Plana est sentẽtia, si superioribus nectatur. Coniecturâ nil discitur, sed ratione, vel experimento. Vide infra Cels. de scientia, & coniectura, ratione insuper *opus esse Medicinæ*.

V. Si calor concoquit eum, qui maximè calorem moueat. *C. calorem foueat.*

Promoueat scilicet, excitet, & familiaritate alliciat.

V. Duriciem, molliciem, læuorem, contactum. *C. Confractum pro aspero, & confragoso, quod læuigato opponitur.*

Vox *contactus* retinenda, *connexio* nempe, partium singularum, quibus membra iunguntur.

V. Similesque omnia, quæ posita sunt, rationes habere. *C. quæ intus posita sunt.*

Quæ scilicet posita superius sunt.

V. Requirere etiam, si ratio idem doceat, quod experientia, an aliud. *C. requiritur etiam.*

Non assequitur Celsi mentem *requirere* homines Empiricos, & percunctari, vt redarguant contradicentes.

V. Et post eius similitudinem opera reperturum. *C. per eius similitudinem.*

Post adinuentam .s. similitudinem, præsidio locum futurum.

V. Siuè hac de causa concoctio intercidat. *C. intercedat,* vel *incidat.*

Nempe coctio cadat, aut vitietur.

V. Et

V. Et in alio alia sita, ita sedem. *C. Et in alio alia, ita.*

Aliqua pars interior casu aperitur, in *alio* (gladiatore) *alia* (pars) *sita* depræhenditur.

V. Quomodo cibus, aut spiritus, vel detrahatur vel digeratur. *C. deferatur.* Al. *distrahatur.*

Deorsum per os trahatur in corporis meditullium; hinc verò digeratur per membra.

V. Rarius, sed aliquando tamen morbus quoq; ipse, quem non incidere. *C. Quod non.*

Caue ferulam, mi homo.

V. Cum ætate nostra quidam ex naturalibus partibus carne prolapsa, & arente intra paucas horas experauerit. *C. Quædam. hærente.*

Ariolatur fœminæ illud contigisse: quum tamen & carnem prolapsam è naturalibus partibus, illamq; arentem confestim, præ morbi sæuitia, qui sphacelus dubiò procul fuit, superior cunctis excogitatis præsidijs. Nam si prolapsa, quomodo hærebat? Miserum enim illum Esthiomeno, seu Nechrosi pudendorum simultaneo tentatum fuisse, fidem faciunt, quæ in Atheniensi pestilentia contigisse testantur Hipp. Thucidid. & Lucr.

V. Eaq; per se non tanta vi concitant morbum. *C. tanta vi concitent.*

Impotentia, atq; viribus imparia ad morbum procreandum, sufficientia tamen ad morbosum apparatum inducendum.

V. Ob quæ competit eum, qui propria non nouit, communia tamē intueri debere. *C. conuenit eum. non tamen communia intueri debere.*

Verùm dic sodes, quæ intuebitur; sunt ne alia pręter propria, & communia? at propria non nouit, communia vix delibat, quid igitur superest, nisi supina ignorantia? *competit* non conuenit.

V. Fa-

V. Facilius (toleratur fames) in densoCælo, quàm in tenui. *C. in tenui, quàm in denso.*

At experimentum, & ratio reclamant; nam in denso minus digeritur.

V: Facilius in hyeme, quàm æstate. *C. Facilius æstate, quàm hyeme.*

Finem ne peruertendi faciet? Retinenda Vetus Lectio. Aliud enim est pluribus egere alimentis, aliud fami tolerandæ esse magis idoneum. Magis digeritur corpus nostrum æstate, euocante ambientis cal. innatū calorem, quô fit, vt difficilius toleretur fames. Præterquam quod corpus biliosius præ fame euadit. At vellicat bilis os ventriculi, hinc, ne in animi incidant deliquium, præcoci cibo sibi consulere necesse habent, quæ optimè cùm sequentibus cohærent. *Sæpè autem in eo magis necessaria cibi festinatio est, qui minùs inediam tolerat.*

C A P. II.

V. Habitare verò ædificio lucido perflatum æstiuum hybernum solem habente. *C. perflato, æstiuum, hybernumq; solem habente.*

Nempe spectet ædificium inter Meridiem, & Occidentem solem.

V. Siquidem melius ascensus, & descensus corpus moueat. *C. moueat. Sub Dio.*

Quæ temeritas elegantiæ parenti succensere, non imitari, quod ęquum parq; erat nūc, & in progressu? hac vice saltem reponere liceat, quod retinendum est vetus *moueat*, & *sub Diuo*, scilicet, sub Ioue, διὸς enim Græcum est.

V. Ex ÿs verò neutrum sæpe fieri oportet. *C. Ex ÿs verò neutrum semper.*

A Balneis, & inunctione nonnunquam abstinendum, quod & superius monebat, sæpiùs verò alterutro pro corporis natura vtendum.

Sæpe

V. Sæpe si qua intemperantia subest, durior est in potione, quàm in esca.	*C. semper tutior est.*

Durior non expugnatu, sed vt emendetur. Grauiora enim sequuntur accidentia superfluam potionem, quàm satietatem. Nam huic sola abstinentia medetur. Satur haud denuo appetit, ebrius enormiter sitit. Refertur præterea & ad mores, bibaces enim difficiliùs corriguntur edacibus.

C A P. III.

V. Ne ex hac quidem causa sudanti adhuc, frigidum bibēdum esse.	*C. frigidam bibendam esse.*

Congruit antiquum retinere *frigidum*, vtpote genericum ad potionem quancumque. Sic Cels. dudum. *Illud quoq; nosse oportet, quod ex labore sudanti frigida potio perniciosissima est.* Frigidæ appellatione, *sola* aqua indicari consueuit.

V. Post iter primum sedile, deinde vnctio, tum calida aqua in balneo magis superiores partes, quàm inferiores foueat.	*C. tum calida aqua, tum balneo magis inferiores partes, quàm superiores.*

Vetus Lectio emendationi nouæ præferenda. Lassum ex itinere primum quiescere in sedili, puto in Tepidario, suadet, deinde vnctionem apoterapeuticam, tandem verò calidæ perfusionem magis ad superiores partes, quàm inferiores fouendas. Duo sunt, quæ forsan difficultatem R. Constantino intulere. Primum, quî posset in balneo magis superiores partes fouere, quàm inferiores, alterum cur fatigatis ex itinere cruribus nō consulat, verùm illa posthabeat. Parui hæc sunt momenti; vox .n. balnei, non solium, sed mansionem significat, quæ ille mox indicat, & exactè distinguit in cap.4. Cruribus fatigatis molli frictione ex oleo cōgruo iam prouisum fuerat, reuocandus verò erat sanguis ad su-

periores partes calidæ fotu, qui tamen in progressu neq; inferioribus membris, modicè tamen, denegabatur, nempe vt superuacaneus digereretur illuc collapsus humor.

V. Eumque quem nouum genus eiusdem laboris pressit; id quod in consuetudine est reficiat. *C. cuiusdam laboris pressit.*

Sententia plana est. Nam lassitudo infertur à genere diuerso exercitationis, puta si quis Luctæ assuetus, saltet, & à nouo eiusdem generis: v. g. si cursui recto quis assuetus, circulari se dederit, hincq; fiat lassus. Reditus .n. ad priorem consuetudinem, contractam lassitudinem mulcebat.

V. Tum multa aqua per caput infundenda. *C. Tum multa aqua super caput infundenda.*

Reliquo tandem corpori, irrorato priùs capite, seu largè perfuso, communicanda aquæ aspersio. Siquidem pars illa magis fuit exposita insolationi. Par proinde, æquumq; erat, vt illi prius consuleretur, non neglecto interim reliquo corpore. Vide, quæ in cap.4. *Vbi suadebit, in solium non descendere, sed multa calida aqua per caput se totum perfundere.*

V. Somnus & plenus, & non nimis longus (implet.) *C. integer, nec abruptus ante iustū dormiendi tempus.*

Sat erat *plenum* dixisse, vt qui plenè egestati sufficit. Productus somnus extenuat, more balnei, quod & implet in principio; diuq; protractum dissipat, quod attraxerat. Qua de re infra noster Auctor. *Somnus nimium breuis, vel longus.*

V. Lectus per æstatem terra. *C. terræ.*

Terra ijs pro lecto decernitur, quis vnquam lectos è terra conflari didicit?

V. Eiectum esse ab Asclepiade vomitum. *C. Reiectum esse.*

Tanquam inquilinum, non aduenientem hospitem. Tunc enim ganeonibus erat consuetus.

V. Qui quotidie eijciendo vorandi facultatem moliuntur. *C. vorandi facilitatem.*

Sensus

Sensus est: ne saturitate impediantur, assumptos exturbant vomitu cibos, indeq; noua vorandi enascitur illis *facultas*. proh, quàm *longè* petita est illa tua *facilitàs*.

V. Vbi venter suppressus est, ex eoque inflammationes, caligines. *C. inflationes.*

Recensentur mala superioris partis, quæ parit aluus astricta, seu venter suppressus; suntq; *inflammationes, caligines, capitis dolores, aliaq;* (nota) *superioris partis mala.* Tetris eleuatis vaporibus à putrescentibus fæcibus.

V. Quid enim inter hæc adiuuare possunt quies, & inedia. *C. interdum hæc.*

Dubiò procul Celsus noster redarguit credentes, astrictæ aluo mederi quietem, & inediam. Stat perinde Vetus Lectio. Modestius se gereret, qui syllabam perijsse suspicaretur, & pro *inter interea* substituerat. Orationis contextus sic progreditur.

V. Que per illas maximè eueniunt.

Illud *que*, si diphthongo signaueris, sensus in propatulo est. Nempe, nil malis superius recensitis conducunt quies,& inedia(consueta alioquin Diatriorum præsidia) *quæ* (mala) *per illas* (inediam, & quietem) maximè eueniunt. Quandoquidem motus, vt reliquæ euacuationes, sic & deiectionem promouet. Cibi plenitudo inter purgantia recensetur ab Hippocrate, seu ab Auct. lib. de Med. Purg,

V. Somnus, nisi nimis longus est. *C. Somnus si nimis longus est.*

Refrigerat in ieiunio & balneum, & somnus, qui si longus est, contrarium præstat Celso, non Constantino. Mediocris somnus temperat corpus, dissipatis per effluuium feruidis fuliginibus,qui si protrahatur, exarescit inops alimenti corpus vniuersum, fitque calidius præ noua caloris limula. Famem corpora biliosiora reddere, Malum febriculosum febri etiam inimicum, vetus est, non recens, & illud *Ieiunium olet.*

V. Posthac ambulatio, & vigilia. *C. Post hæc ambulatio.*

Humidum efficit corpus nostrum *Multa potio, posthac ambulatio,*

quam

quam .s. consequitur progressiuus motus. Nam si *per se quoque ambulatio multa, & vehemens* illud præstare potest, eodem Auctore, faciliùs hoc continget si multum ingeratur humidi, quod semicoctum in membra distribuitur, lacertorum laborantium calore attractùm. Vigilans verò Hipp. exterius calidior.

V. Hyeme multo pane vti, carne potius elixa. *C. potius assa.*

Hoc est vim Auctori inferre, qui constanti sententia repetit sæpius elixa *assis* preferenda, sensim in Vere ad *assa* transeundum, *Assa* in æstate eligenda quicquid secus censeat Polybius.

Quę superius emendauimus de copiosiore alimento, aduersari dices Celsi menti, qui disertis verbis habet.

V. Si prãdet aliquis vtilius est exiguum aliquid, & ipsum siccum sine carne, sine potione sumere. *C. cũm carne.*

Renunciamus fauori, quem nobis præstat Constantinus, veterem retinemus lectionem *sine carne*. Nam ob dierum breuitatem prandium breue esse debet, neque tale, vt opiparam cœnam impediat.

V. Calidis vel cal. mouentibus. *C. fouentibus.*

Malè: phrasis enim hæc inferiori respondet, *frigidi cibi, vel qui refrigerent;* actu .s. vel facultate tales.

V. Vere magis carne vtendum. *C. minùs.*

Satis incircumspectè. Illud enim *magis* refertur ad ly *multo pane vti* hyeme. Perpende oppositionem:

Hyeme	*Vere*
Plus esse conuenit	*Paulùm cibo demendum*
Minus sed	*Adijciendum potioni, sed*
Meracius bibere	*Dilutius tamen bibendum.*
Multo pane vti	*Magis carne vtendum*
Modicè oleribus	*Magis oleribus*
Carne potius elixa	*Transeundum paulatim ad assa ab elixis.*

Æstate

V. Aestate caro assa. *C. Elixa.*

Eodem errore. Nam elixa Celso magis nutriunt assis.

V. Poma ne quid ex densiore cibo remittatur. *C. Vt ne quid.*

Immodicus, perpetuusq; pomorum vsus autumni tempore non vsquequaq; esset improbabilis, nisi illud accesserit, quod de solido, consuetoq; alimento nihil dematur.

V. Ita non hæc, sed consummatio omnium nocet. *C. Vna omnium effecta summa, vsusque immodicus.*

Excessus culpabilis est, atque satietas. Quapropter non damnatur Pomorum vsus, sed abusus sumentis. Non vacat ariolari, quid sibi voluerit Constantinus.

V. Denique aliquid densiori cibo, cum id accedit, necessarium est demi. *C. hic accedit.*

Restituo ego, *quum id accidit*, vt pomis liberaliter quis vsus fuerit.

CAP. IIII.

V. Defluentem subinde manibus ad os regerere. *C. Ad hoc regerere.*

Remouere, manibus complosis ad instar imbricamenti.

V. Vinum dilutum leue. *C. lene.*

Ab effectu .s. quoniam non diu in hypochondrijs moratur, *neq;* graue Stomacho est.

CAP. VI.

V. Omnia deniq; fugere, quæ tardè concoquuntur. *C. ingerere.*

Præ ventriculi imbecillitate. Neq; venatio, aut duri pisces, assaue caro contrarium suadent: hæc nanque exhibentur, ne corrumpantur, & in nidorem transeant. qui casus frequens est, vbi extraneus calor ventriculum vexat.

Cap.

CAP. VIII.

V. Alione quo genere. *C. quodam genere.*

Congruè ſic explebis lacunam, *Alione aliquo genere.* vel potius *quo* pro *aliquo* dictum eſt.

V. In ieiuno dolor capitis. *C. In Ieiunio.*

Stomachum infirmum indicat, vbi quis ieiunus tentatur capitis dolore: in *ieiuno* igitur homine *dolor capitis* hæc portendit.

CAP. IX.

V. Sub Dio quies optima eſt. *C. Sub quo quies.*

Quæ calamitas noſtri Celſi? qui neq; morigerus ſuo Cenſori in præſens illi ſatisfacit. Carpebat Edudum ſub *Diuo*, emendabat *ſub Dio*; obſequitur monitus fruſtraneo labore. Nonum tradit Celſus præceptum, euidentiâ non ſemel confirmatum, quod ſanctè teſtari poſſum: plurimi enim, quibus infirmi erant nerui, vel artus, diutina ſub Sole mora, aut fregêre, aut diſtulêre cruciatus.

V. Frigus articulis, doloribuſq; qui ſunt ſine vlceribus. *C. Articulorum doloribus qui.*

Et articulis, & doloribus quibuſcunq; modò partes non ſint vlceratæ, his enim frigidum mordax, reliquis beneficum, ſi moderatũ, Hipp. præceptore, *Modicus torpor dolorem ſoluit.*

LIB. II.

V. Non quo non omni tempore in omni tempeſtatum genere, omnis habitus hominum. *C. non quod — habitus, homines.*

Priſca præualet lectio, elegantia, & certitudine. Præter enim anni ætates, temporumq; conſtitutiones, cuiuſcunq; habitus homines omni-

omnibus temporibus, per omnia genera morborum, & ægrotant, & moriuntur. Præscire verò, quando frequentius illa contingat, conducit ad præcauentem.

CAP. I.

V. Idemque tempus (Autumni) *& diutinis morbis fatigatos, & ab æstate tātum proxima oppressos interimit.* — *C. Ab æstate ante tantum non proxima.*

Clarissimam sententiam conturbat Censor. Autumnus exitiosus est ijs, qui debiles ab æstiuis, diuturnisq; morbis resistere nequeunt illius sæuitiæ.

V. Et alia nouis morbis conficit. — *C. Et alios.*

Sensus est, quod Autumno aduentāte diutini illi morbi æstiui ad necem terminantur, verùm interimunt quinetiam nouis productis morbis, illisq; perniciosis.

V. Neq; aliud magis tempus pestilentiæ patet, cuiuscunq; ea generis sit, quamuis varijs rationibus nocet. — *C. Patet: cuiuscunque ea (tempestas) generis est, quamuis, (idest quamtumuis) varijs rationibus nocet. Alij ea ad pestilentiam referunt.*

Reclamant Grammatici, aduersantur Medici. Sensus euidentissimus est, opportunissimum esse Autumnum Pestilentiæ concitandæ, à quacunq; causa illa oriatur.

V. Multæ, & longæ febres. — *C. Multi morbi.*

Incipiente iam probe multæ & longæ febres, sanguinis ex naribus cursus, non vnicam agnoscunt causam. Celsus habet *ex ijsdem:* enucleat verò, quæ pericula plenissimè cuiusq; sunt; & cui maximè venter astrictus est.

CAP. II.

V. Ac ideo neq; corporis vlla difficultas subsequatur. *C. Neq; ideo corpus.*

Prodromi, seu præcursores enarrati, nihil certi portendunt, si particularis naturæ proprietas obstet. *Facilè itaq; securus est in ijs aliquis, qui sæpè sine periculo euasit.* Plana hæc sunt, non secùs ac sequentia.

V. Aut qui ista nunquam sine custodia sui tuta habuit. *C. Sine custodia sui tutò habuit.*

CAP. III.

V. Si circa vmbilicum, & pubem cutis plana. *C. Plena.*

Non rugosa, non aspera, sed læuis: non tumida, atq; distenta, secùs si *plena*, in Anasarca probè valeret corpus.

CAP. IIII.

V. Periculosum est etiam post Arquatum morbum febrem oriri. *C. Post febrem Arquatũ morbum oriri.*

Et verè prior Lectio. Nam decretorium illud facit, non decernens: cuius rei in euidentiam adducuntur hypochondria malè affecta.

CAP. V.

V. De signis longæ valetudinis *C. Aegritudinis.*

Sed malè. Ambigit enim apud Priscos, extantq; exempla apud Tullium, & alios: ex quo defluxit *Valetudinarius*, & locus vbi curantur languidi, *Valetudinarium* nuncupatur.

V. Neq;

V. Neque vlla alia spes in malis magnis est. — *C. Alia vitæ spes.*

An mercamur, vel belligeramus? quæ spes superest proinde homini Medico, nisi valetudinis?

V. Quàm vt impetum morbi trahendo aliquis effugiat. — *C. hoc trahendo effugiũ in imperfecta crisi. Perfecta morbo nihil cunctata liberat.*

Quæ farrago tua sit penitùs: dic sodes, crisis in nostra potestate est, an non? Preterea neq; omnes magni morbi per crisim vendicantur. Germanus Auctoris nostri sensus est, quòd primi morborum impetus sunt declinandi, deinde pugnandum est fæliciter,

CAP. VI.

V. Aut si manibus quis in febre, & acuto morbo, vel insania, pulmonisue dolore, vel capitis. — *C. In febre acuto morbo, phrenitide, quam impropriè insaniam transtulit, vt peripneumoniam.*

Illa quoque mortis indicia sunt Celso, *si in veste floccos legit* &c. idq; in *febre;* præterea in *acuto morbo.* Quæ nugacitas tanto auctore indigna dicere in *febre acuto morbo.* An omnes febres acutæ sunt. Sed caues tu subdisq; *idest in febre acuta.* An potest non esse acuta, in qua talia obseruantur signa? vel non & in alijs morbis acutis hæc contingunt? Quantùm verò est de mala seruata vocum proprietate, pudeat censorem, carpere Latinissimum Auctorem florenti sæculo summa cum laude scribentem. Aliud Celso est *insania*, pulmonisue dolor à phrenitide, & Peripneumonia; quo sub censu recenset, & capitis dolorem.

V. Vrina verò rubra, & tenuis, in magna cruditate esse consueuit. — *C. Fulua.*

Cur *substitutum rubra mendose*, quod experimento consentit, & non tua illa fulua?

V. Et sæpe, antequam maturescat, hominem rapit. *C. Pari audacia dixit de maturatione morbi vel humorum.*

Dispeream, si nôsti quid sit coctio, quid maturatio, quotuplex harũ vnaquæq; & quibus debeantur. Relego te, non ad nostram *Phys. Lact. Anal.* sed ad Præceptorem in 4. Meteor. Hoc age mi homo, & resipisce.

V. Nisi alia signa meliora peioraua. *C. Mitiora.*

Melius peiori opponitur, mite fero. Quid tu censor insulse?

V. In præcipiti verò iam esse denunciat, quæ liquida. *C. (Nempe aluus) quæ liquida excrementa.*

Sat est si aluo hæc referas, quæ pinguis nec non dicitur Aluus verò Celso, & Hippocrati, est pro alui excrementis.

CAP. VII.

V. Quibus diu color, sine morbo regio, malus est, hi vel capitis doloribus conflictantur, vel terram edunt. *C. Sed pro, sine morbo regio, debuit dicere, non tamen vt in morbo regio.*

Nil ad Rhombum. Cachexiam enim suis pingit coloribus, eamque præcipuè, quæ à Pica suboritur. Malum, non tam virgunculis familiare; quàm, & alijs ætatibus. Noui etiam nobilem ciuem sexagenarium lucido colore, cui mos erat clancul ùm frustilla vasorum ex bolo dentibus terere, atq; deglutire, maximo suo cum malo. Nam scirrhoso reddito iecore, bileq; malè expurgata, erysipelati sæpè reddebatur obnoxius, cui tandem superueniens febris, mali moris, neglecta, sustulit hominem.

V. Aut visceribus, aut aluo laborant. *C. aut alio.*

An non quibus aluus malè se habet, tumidi sunt? quos nostrates dicunt *Bolsi.*

V. Frequens autem distillatio. *C. profluuium.*

Male

Malè reſtituitur ambigua vox, præſertim vbi doctrina euidentiæ conſonat,conſtatq; frequentem deſtillationem in corpore tenui, longoq;, tabem portendere. Conſonat cum ijs: *Poſt nimias deſtillationes Tabes cap.7.*

V. Vbi dolor in imo ventris, & in coxis eſt, aqua inter cutem inſtat. Sed hoc morbi genus ab Ilibus oriri ſolet. *C. Sed coxas pro lumbis, ilia pro lumborum partibus mollioribus poſuit.*

Haud aſſequitur Conſtantinus Auctoris mentem, deſcendit genitus humor ad caua ventris, & coxas, ſcilicet coxendicem cõtiguam: quæ aqua à membris in Ilibus contentis germinat. Dura ſunt hæc meſſoribus, Flacci teſtimonio in Epodon.

V. Quibus voluntas deſidendi eſt. *C. Tuſſiendi.*

Nodum in ſcirpo quærit: in re plana ſalebras. Par periculum, inquit, eſt his, *quibus voluntas deſidendi eſt,venter nihil reddit, niſi & ægrè & durum?* Quid Ventri cum Tuſſi? At ſtimulatur hic à circumfuſo Ichore; quem diſruptæ in Iecore hydatides iugi tranſcolatione illuc tranſmittunt in pedes primùm,& crura deriuatur,mox verò incipit ventri eſſe moleſtus.

V. Eiuſdem morbi nota eſt, vbi circa vmbilicum inteſtina torquentur. *C. ϛρόφοι ex Coacis prænotion. tormina.*

Promptius erat expiſcari in Aphoriſmis. *Quibus tormina, & circa vmbilicum dolores,& lumborum dolor, qui neq; à medicamento, neq; aliàs ſoluitur,in hydropem ſiccum firmatur:* male ſit tuæ meſſi.

V. Dolor autem articulorum. *C. Calor. nihil dum certi habeo*

Cur igitur in incertum temerè veheris? quid ad rem præſẽtem aph. 25.lib.5.Dubio te leuabant ſequentia verba *aut ſi membrum ex leui cauſa fatigatum æquè frigido, calidoq; offenditur.*

V. Si mulier à partu vehementes dolores habet. *C. Similiter caput ſi vehemens &c. quin ita Hipp. in Prædic.*

Quod vt ſemel dixerim,potuit ne Celſus aliunde illa corradere, vel proprias obſeruationes reponere, diuerſas, forſan, non aduerſas

ijs, quæ profitebatur tunc Hippocrates.

V. Quicunq; dolorem ingentem circa tempora. *C. Recentem. ex 2. Prædic.*

Par error, & temeritas.

V. Is alterutra ratione eum finiet. *C. Expurgandum τὸ eum.*

Eandem insistit viam deuius homo; prosequi illa vlterius cum insanienti, insanire esset.

V. Si à coxis, & ab inferioribus partibus dolor in pectus transit, neq; aliud malum signũ accessit, suppurationis eo loco periculum est. *C. Pectus pro septo transuerso ponit.*

An non septum in pectore est? Verùm quî solitarium septum suppurationis causa? An non & pulmonibus, & pleuræ contingere illud valebat? Præter id, quod septum ob iuge ministerium respirationis, exactumq; sensum, ægrè tolerabit abscessum, à quo pus copiosum in capacitatem thoracis effundatur.

V. Vrina quoq; quæ in homine sano parùm liquida est. *C. Hanc totam periodum immutaui.*

Satiùs rationi, & Experimento congrua reponere. Vrina siquidem omnis, vtpotè liquor, liquida semper est. Restituendum igitur *Lucida*, sicq; sensus in propatulo.

V. Et morbum facilè substinet *C. Motum Hipp. πόνον*

Morbi tædia qui facilè fert, optimam de se præbet spem, fælicemq; exitum.

CAP. VIII.

V. Atq; in ijs quoque ea maximè prosunt, quæ per deiectiones excernuntur. *C. Abscessus.*

At generica est vox, cuius species non ex æquo laudantur.

V. Si contracto ventre nullus motus eius sentitur. *C. Si contrectato.*

Sed

Sed malè. Nam valemus ad libitum ventrem ad dorsum contrahere. Tunc verò nisi percipiatur fluctuatio, res in vado est.

V. Vtiq; si fieri vrina. *C. Ferri vrina.*

At minimè ferretur, nisi fieret. Fit autem præterlabente alimento ad Iecur.

V. Resolutumq; membrũ, si nihilominus aliter fieri sanum potest, oris resolutio etiam aluo cita finitur. *C. Si nihilominus alitur.*

Malè, neq; ad Auctoris mentem. Sensus est, in tenella ætate prodesse *citam aluum*, morbumq; per hanc finiri: quanquam aliæ viæ sanitatis sunt, non hæc vnica.

V. Dolores capitis — sang. profusione, vel fortuita, vel etiam petita summouentur. *C. Procurata arte.*

Obscura diligentia, nisi propriæ eruditionis in gratiam glossema addiderit. Sat enim nobis satisfacit Celsi antitesis vltroneæ euacuationis, & petitæ.

V. Subsidentia. *C. insidentia.*

At subsidunt filamenta illa, ramentaq; vasorum, quæ in huiusmodi affectibus excernuntur. Supernatat pingue, telæ araneorum in morem.

V. Atque in ijs odor fædus. *C. Atq; in sputis odor.* 5.*aph.*11.

Proximè recensitis vrinis putrescentia vasa abradentibus.

V. Resoluuntur. *C. Intereunt.*

Nimis pædagogicè in disertissimum Auctorẽ. Et verè in morbo resoluitur, quod iunctum prius fuerat.

V. Solet etiam in adolescentibus ex eo morbo vomicæ, fistulæque oriri, quæ non facilè sanescunt. *C. Solet etiam in adolescentibus is morbus ex vomica, fistulaque oriri.*

Non ad mentem Auctoris, neq; ad aures veritatis. Non enim ad omnem vomicam, neq; ad omnem fistulam Tabes consequitur, verùm ad ægrè sanabiles. Præterea neq; ad has omnes, verùm

ad illas, quæ cum signis sunt improbæ valetudinis. At verò si fistula, vel vomica difficilè sanescant, signaq; subsequuta sint probæ valetudinis, Tabes non fit, quod experimento quotidiano cõfirmatur. Quot enim sunt, qui ab incunabulis aluerunt huiusmodi tædia, viuuntq; ad senectutem vsq;, à Tabe immunes? Quin neq; Medicus clauderet antiquam fistulam, nisi nouum prius excitaret emunctorium, purgato prius corpore, veritus summa cum ratione, ne retrocedens materia visceri alicui esset pernicialis. Tantùm abest, vt Tabem introducant fistula, & vomica.

V. Quibus super Tabem menstrua supressa sunt. *C. Quibus superuenit Tabes, quod menstrua suppressa sint.*

Longè diuertit. Prognosis hîc habetur, & vniuersalior enunciatio. Quacunq; de causa Tabes fiat in virgine, aut iuuencula, cui insuper menstrua suppressa sint, difficilius sanabitur ob consortium partium genitalium, & spiritualium, gastricis venis mediantibus. Refluit per has colluuies inquinati sanguinis, cui denegatur naturalis exitus, inuitaturq; præ membri imbecillitate.

V. Magis si eum aluus cita non antecesserit. *C. Magis si cum*

Somnum, nempè, atq; veternum. Periculum enim imminet à cacochymia in caput irreptura, & facultatem oppressura. Euitabit discrimen si præcesserit Diarrhæa, saburram corporis leuans. Inepta igitur est illa castigatio, quin & Grammaticis videbitur incongrua.

V. Quibusdam etiam in hoc morbo tumores oriuntur, deindè desinunt, deindè rursus assurgunt. *C. tumores viscerum oriuntur.*

Falsa, & erronea repositio. Viscerum nanq; tumor in Hydropicis nunquam subsidet, nisi quis præ copia humoris aduenientis decipiatur. Sunt enim Tumores illi, vt plurimùm, scirrhosi: quis autem nostrûm vnquam obseruauit scirrhos assurgere, & desinere? Sententia est de Tumoribus crurum, & fæmorum præcipuè, licet non eam inficias, hos & in ventre locum habere. Quapropter in

hoc

hoc casu, quum interpolatio indicet materiam digeri, neq; assiduè suppeditari à læsis visceribus, minori sunt in discrimine, qui sic vexantur.

V. Si attendatur. *C. si attendant*

Elegantior vetus lectio. Quandoquidem Ægroto, Medico, reliquisq; sedulitas demandatur. Verùm refractarij illi spe valetudinis deliniti, quam decrescentibus nonnunquam tumoribus præ foribus excubare credunt, hostem iniquissimum alunt, à quo tandem ex improuiso opprimentur.

V. Aut si sub ijs (torminibus) *extenuato iam corpore, subitò nigra aluus profluxit, aut intestinorũ leuitas. Periculosior est, si frequens deiectio.* *C. At intestinorum leuitas periculosior est.*

Signa adducit, quæ postremis adueniunt temporibus ipsis ægrotantibus, qui torminibus diuturnis vexati fuère, eaq; in primis sunt, *subito nigrorum* excretio, mortis imminentis signum, præ caloris extinctione. Læuitas illa pari pacto eiusdem caloris feriationem in coctionis opere, quum arguat, dubiò procul pessimum signum est, & causa, ne extenuatum corpus resarciatur in posterùm. Quid obgannis?

V. Si vẽter est quasi fermentatus. *C. Emollitus.*

Turgidus ob contractum spiritum.

V. Pinguis. *C. λυπαρη —— ρυπαρȣ*

Ad tactum, glutine partium iam fatiscente. Quod obseruamus in sudoribus Hecticorum postremis temporibus.

V. Quartana longa, maximè, quæ cæpit hyeme appropinquante. *C. Celsus ergo dicere debuit ex Hipp. maximè, quæ hyemem attingit.*

Verùm qua necessitate adigitur? iurauit ne in verba Hipp. Celsus, aut hæc se referre testatur ex Hippocrate? quæ calumnia toties in nostrum Auctorem à Censore iacitur. Vera nihilominus vtraque sententia est; quandoquidem postrema Autumni pars hyemem,

mem ſapit, valetq; regula Leguleiorum; *quod parùm abeſt, nihil abeſſe videtur.*

C A P. X.

V. Emoritur enim vis, ſi qua ſupererat hoc modo erepta eſt. — *C. Si quia ſupererat hoc.*

Sed malè. Nam in veteri lectione apertiſſima eſt ſententia, nempè, quod ſuperſtites adhuc vires ſanguinis illa miſſione peſſundantur. In noua lectione nullus ſenſus, ne mica quidem ſalis.

V. Expectanda ergo remiſſio eſt, ſi nō decreſcit, ſed creſcere deſijt, neq; ſperatur remiſſio. — *C. Decreſcit, & cum creſcere deſijt, neque ſeparatur intermiſſio tunc.*

Eiuſdem farinæ cum ſuperioribus, nempè, malæ. Clara eſt Celſi ſententia, quòd in augumento febris, ſanguis non eſt mittendus. Quid igitur intermiſcet Cenſor *intermiſſionem*, vbi neq; ſperatur remiſſio? Quid ſibi vult, atq; portendit illud *ſeparatur*, proh, quàm deuius!

C A P. XII.

V. Plerumq; verò aluus potionibus ducenda eſt, quod ab Aſclepiade quoque ſic temperatum, vt tamē ſeruatum ſit, video. — *C. quoque ſic vituperatum.*

Efflabat ne ſimul calidum, & frigidum? aut vituperabat. Frugalius, quàm fecerint veteres, potionibus vſus eſt Aſclepiades, quas tamen præteribant coæui Celſo Medici. Vide infra qua moderatione.

V. Omnes ex vna cauſa pendere, quæ demit. — *C. Non demit frictio, quæ aſtringit, & quæ implet.*

Aſtringitur (inquit Celſus) *eo dempto, quod interpoſitum, vt id laxaretur, effecerat*. An non tibi hoc eſt demere? *Impletur non ipſa fri-*

frictione, sed eo cibo, qui postea vsq; ad cutem digestione quadam relaxatum penetrat. Digeri nequit nisi demitur, digerit verò ex necessitate aliquid, priusquam accedat alimentum, etiam inuito Censore.

V. In tutis corporibus. C. *In totis.*

Retinenda Vetus Lectio. Tuta dicuntur ad differentiam læsorum, & lædendorum à noua accessione febrili.

V. Magis assa, quàm frixa. C. *Quàm elixa.*

Non benè. Siquidem elixa ad *iurulenta* referenda sunt. Expedit verò superius dictorum in gratiam, & præsentium quinetiam, totum recitare Auctores placitum. *Tum res eadem magis alit iurulenta, quàm assa: magis assa, quàm frixa.*

CAP. XXI.

V. Mali succi sunt — pisces quoq; saxatiles. C. *Hoc falsum est.*

Quo fretus duce? improbi sunt succi pisces omnes, vtpotè exangues, & frigidi, nostræq; naturæ incongrui. Minus damnosi sunt *saxatiles*, præsertim vbi tenuior, eaq; frigidior instituenda est victus ratio. Vt enim placuit Galeno, tenuis victus dicitur, qui per pauca, aut parùm nutrientia fit edulia.

CAP. XXIV.

V. Crassiorem autem pituitam faciunt oua sorbilia. C. *Hoc nego.*

Quid ad nos? præferemus ne Constantinum Celso? An nescis totum ouum symmetro frigidius esse Pergameno? modus insuper substantiæ crassus, viscidus, atq; emplasticus sat suadere debebat.

Cap.

CAP. XXIX.

V. Aluum mouent, aqua tenera, omnia tepida. *C. Aqua, tenera omnia. Vel Tenera opponitur duræ, vt infra.*

Scilicet aqua macerata : nam aquæ vis ineſt mouendi aluum, quod audîſti aliàs. Teneris cunctis non ea vis eſt, quod experieris per ocium in ſurculis vitis, quercûs, & ſimilium.

CAP. XXX.

V. Aqua vel tepida, vel perfrigida, dura. *C. Perfrigida dura.*

Aſtrictio debetur in Perfrigida qualitati, in Dura Subſtantiæ, rebus perquàm diuerſis. *Quod ſi dura aqua* eſt Celſo, *& quæ tardè putreſcit*, neutiquam teneræ aduerſabitur.

CAP. XXXI.

V. Vrinā autem mouent, quæcunque in horto naſcentia boni odoris ſunt. *C. Odoris ſunt, & Apium, Ruta, hæc viroſa, non boni odoris, vt Eruca.*

At plurimis ſunt in delicijs, quanquam tibi malè olent. Res odoratæ diureticæ ſunt, ob tenuitatem ſubſtantiæ, in qua fundatur odor.

V. Siſer. *C. Cicer.*

An non Siſer diureticum apprimè eſt? Conſule Plinium l. 19.c.5. & Dioſc. quæ igitur intemperies hominem agitat?

CAP. XXXII.

V. Quæ res ſomnum moueant, aut ſenſus excitent. *C. Sequenti capite multa traduntur breuiter, confusè, vanè, mēdosè.*

Virus

Virus tandem euomuisti in Celsum, inanissime hominum, pudeat te, & calumniæ, & impudentiæ.

CAP. XXXIII.

V. Salis quoq; & fici eadem vis est. *C. Et Visci.*

Pessimè. Viscus, neq; admotus erodit, neq; extrahit, neq; adhærens trahit, nisi trahatur extrinsecùs. Lac fici & trahit, & erodit, quin phlegmonem accersit quod & contigit non impunè rustico cuidam, qui glandem tali succo illeuerat, quò fieret (vt ita dicam) mentulatior.

V. Adeps ex felle iuncta oleo, magisq; si vetus est. *C. Ex fele.*

Quo, quæso, directore ex fele calidum adipem eligit? Mixtum medicamentum proponit Celsus ex Adipe, felle, oleoq;, vt conciliet vberiorem calorem.

V. Sal, Nitrum, git. *C. Salnitrum, git.*

Distinguenda sunt, non coniungenda. *Sal* & *Nitrum* nouit Antiquitas, ignorauit Salnitrum, quod recens inuentum est, resq; factitia, non vltronea, atq; naturalis, qualia sunt priora.

V. Fereq; vehementer & reprimunt, & refrigerant. Durant, quæ calefaciunt, ea digerunt, & emolliunt. *C. Fereq; quæ vehementer refrigerant durant. Quæ calefaciunt, digerunt, emolliunt.*

Olim sic legebam difficilem locum. *Ferè quæ vehementer: & reprimunt, & refrigerant durant. Ferè* dixisse, quoniam non omnia illud præstant. Verùm quoniam in duobus Antiquis exemplaribus sic iacet sententia, *fereq; quæ vehementer, & reprimunt, & refrigerant*, quæ non interpolatam, sed connexam superioribus orationem indicant, tolerari & hanc posse censui. Inuestigabat dudum Celsus, quæ calefacerent corpus, & moderatè, & valentius, substituit tandem quę minùs illud pręstare videbātur, & pręstāt nihilo-

hilominus, scilicet *quæ vehementer reprimunt, & refrigerant.* Quumque illud operentur per accidens, prohibito, nempe, calido, efluuio, neq; id succedat in omnibus, & semper (exemplo sit frigidæ perfusio in Tetano) iurè meritòq; proinde additum fuit illud *fere*. Quod verò pertinet ad reliquam sententiam sequebar libenter Antiquum contextum impressum Venet. A.S. 1443. nec non longe antiquiorem m. s. in Bibliotheca Medicea, qui sic interpungit. *Durant, quæ calefaciunt, & digerunt: & emolliunt.* Sensus est, quæ calefaciunt, & digerunt pro modo, quo administrantur, & indurant partem, & emolliunt. Donec eadem in Bibliotheca nuper visitaui duo exemplaria m. s. cuius alterum (vt testatur in præliminari manu propria Baccius Baldinus magni nominis Medicus, & qui præfuit valetudini Serenifs. Cosmi I. M. D. Etruriæ) exaratum est à Nic. Niccoli Florentino. Huic, inquit, copiosa fuit supellex talium exemplarium, quapropter summo in precio est habendum. Antiquius alterum est exemplar; vtraq; verò sic habent concorditer. *Fereq; quæ vehementer, & reprimunt, & refrigerant. Dura quæ calefaciunt, & digerunt, & molliunt.* Plana sic est, atq; expedita Auctoris mens, nempe, *calefacientia digerere, & mollire dura*, quæ lectio veritati congruit, & palmam, me iudice, meretur. Sic restituitur difficillimus locus.

LIB. III.

CAP. I.

V. Prouisis omnibus. C. *Præuisis.*

An Prouidus non præuidet, si prouidet, & consulit rebus præsentibus, ac futuris?

V. Ex quo incidit, vt alia, atque alia summi Auctores, quasi sola vendicauerint. C. *Vindicauerint. Indicauerint.*

Sen-

Senſus eſt, prout cuiq; ceſſerant auxilia, quæ plerumque non multa erant, ſibi tribuerint.

CAP. II.

V. Nam vbi ſine intermiſſionibus acceſſiones, & dolores graues vrgent, acutus morbus eſt. *C. Acceſſionum dolore graui vrgentur: ſic vetus.*

Et meritò antiquata lectio, quæ nihil cohæret. quis nam eſt ille dolor grauis acceſſionum.

V. Eaque quæ decreſcentibus apta ſunt, vbi acutus increſcens vrget, in remiſſionibus potius experienda ſunt. *C. Ea quæ creſcentibus.*

Quædam remedia increſcentibus morbis, plura inclinantibus conueniunt, Celſo monitore: præuertitur tamen ordo, vbi acutus increſcens vrget, tūc verò neceſſitate adacti in remiſſionibus illud experiendum. Duplex igitur conſideratur tempus, & vniuerſale, & particulare. In vniuerſali, vel cogimur, vel liberè agimus. Si primū, etiam in auguméto morbi auxilia adminiſtramus, declinādo tamē, quātū fas eſt, impetū, quod fit expectando particularem remiſſionem.

V. Si fædiores deiectiones. *C. fætidiores.*

Omnia exemplaria priorem retinent lectionem, vtpote maximè congruentem.

V. Non quò non interdum id incidat, aut non decipiat. *C. Aut non deinceps fiat.*

Incerta, fortuitaq; curatio, & quæ fallit qnandoque. Hoc ſibi vult Auctor.

CAP. IV.

V. Neq; imbecillitatem fame perdat. *C. Neq; imbecillum fami prodat.*

Dele

Dele *m.* litteram in fine, ſenſuſque erit euidens, neglecta proditionis translatione.

V. Tum cibum dandum, quum corpori deberetur. *C. demeretur.*

Semper igitur cibus dandus, nam ſemper corpori demitur. *Corpori* verò iurè tunc *debetur*, quum præter fas, & æquum exhauritur.

V. Vt ægris iucundius inſidat. *C. Accidat.*

Cibus admittetur à ſtomacho maiori cum ſuauitate, nam febricitãte corpore ægrè admittitur, iure proinde annectit Celſus, *quibus interdum non vacat.*

CAP. V.

V. Igitur alij veſpere tali ægro cibum dant. Sed cum eo tempore ferè peſſimi ſint. *C. Peſſimè ſint.*

Scilicet in ſtatu peſſimo. Emendatio igitur ſuperflua eſt, forſanque malè ſonat Grammaticorum ad aures.

V. Ob hæc ad mediam noctem decurro. *C. Decurſo.*

Quid obſeruet ipſe Celſus in Medicina facienda nos monet, quod & aliàs præſtitit. Illud tuum, *decurſo*, caue ne ruat in præceps, nanque à nemine ſubſtinetur.

CAP. VI.

V. Quia ſæpè iſtæ (venæ) leniores, celerioreſuè ſunt. *C. Lentiores.*

Leue mite è Celſo atq; moderatum. Celeri Tardum propriè opponitur. Alia qualitas eſt Lentor.

Nonnunquam etiam incipiente febre ſubeunt, & quieſcunt. *C. Vt ἀσφυξία videatur.*

Quod

Quod medici dicnat,contrahi pulſationem,non eſt quod quis putet arterias è naturali ſitu dimoueri, ſed imminui illarum motum, ita vt ſpeciem præſeferat imbecillimi Naturæ ſtatus.

V. Cui facilè laturo grauis inſtat accesſio. *C. Laturo inediam.*

Non aſſequitur Celſi mentem. Nulla hîc alimenti habetur ratio,ſed acceſſionis prȩſentis, quam tamen non difficilè ſubſtinebit febricitans, quanquam in principio *ſubeunt, & quieſcunt.*

V. Contra ſæpè eas concitat,& reſoluit Sol, & balneum,& exercitatio. *C. Et reſoluit* improprie.

Niſi aliud obſtet, quàm tua authoritas, magis credemus, pace tua, Celſo, & euidentiæ, quæ nobis ſuadet, poſſe illa, & pulſum *arteriarũ* concitare,ſi mediocriter quis vtatur, & *reſoluere* ſi excedat. Adeo vt euocatis ſpiritibus, atque abſumptis concitare valeant grauiſſimum animi deliquium.

V. Tum deinde eius corpori manum admonere. *C. Carpo, aut thoraci:*

Sunt ne hæc extra corpus? an non & abdomini, conſultore Hippocrate, atq; extremitatibus.Probè,ritèq; proinde Celſus generica vſus eſt voce.

V. Quas venas autem conſpectus Medici mouet, quàm facilè mille res turbant. *C. Quam venas autem.*

Se inquinat, non Celſum diſertiſſimè loquentem, dictaq; compendio complectentem, reliqua dum innuit.

V. Qua malè pleriq; ægros in ipſo impetu febris peſſimèq; vbi ardens ea eſt, malè habent. *C. Expunge, malè.*

Interim emenda illud *qua* in *quia*, & caueſis, ne violes compoſitam vocem.

V. Eduntur enim faciliùs (cibi varij) *C. Educuntur.*

Varietas arcet satietatem. Qui tamen neq; *educuntur* faciliùs, nisi subsequatur Diarrhæa.

CAP. VII.

V. *Non vlcus, non deiectio, non profluuium alui fuit.* C. *Defectio, animi nempe.*

Prohibētia recenset frigidæ potionis. At in animi defectione nemo siti inexhausta tentatur: *deiectio* igitur legendum: alioquin Natura malè interpellaretur à laudabili opere vel irritaretur importunè.

CAP. X.

V. *Si capitis dolores sunt, Rosā cum aceto misceri oportet, & in id ingerere, deinde habere duo pitacia.* C. *Rosam idest rosaceum. Ingerere duo pitacia.*

Quam ægrè misceantur oleum, & aqua, nouit quisque. Hinc fit, vt qui oxyrrhodineo ritè vti voluerit, probè misceat, & vniat priùs vtraq; necesse sit, rosaceum oleum, quod semper *Rosam* appellat Celsus, studeat aceto intrudere, ita vt minimè supernatet, sed veluti tertia euadat substantia, eaq; homogenea, quod longa assequitur agitatione, *deinde habere duo petacia.*

CAP. XI.

V. *Frigus ante febres, idq; vel molestissimum morbi genus.* C. *Molestissimum morbi genus impropriè.*

Forsan, quoniam Symptoma febris? An non est intemperies quædam, & propterea morbus? quis vetat vnum, idemq; diuersorum respectu, posse & causam, & symptoma dici. Ritè proinde Celsus dixit *morbi genus*, res, inquam, præter naturam, quæ illi molestissima est.

V. *Deinde, ea benè finita, reficiunt stomachum cibo frigido, & leni.* C. *Cibo frigido, & leni.*

Lene

Lene alimentum eſt, quod minimè Ventriculo concoquenti reluctatur: *leuia* multa ſunt, quæ neq; concoquit, neque amplexatur, ſed ſupernatant, ſummâ aſſumentium moleſtiâ.

CAP. XII.

V. Vltima quoq; poſt hæc auxilia ſunt, geſtatio & frictio. *C. Frictionem iam poſuit. Ergo hic vectatio.*

Cur eandem repetere non valet, quod & facit in quartana ad diſcutiẽdas morbi reliquias. Verùm dic tu quomodo compones *geſtationem* cum *vectatione*, abſq; tautologia?

CAP. XIII.

V. Si res inueterauerit, poſt febrẽ experiri balneum, & vinum, magiſque, ſi horrore ſublato hæc ſupereſt. *C. Cruditate ſublata, & purgato corpore.*

Quæ emendatio importuna eſt, nam ſi morbus inueterauit, horrorq; euanuit, qui à vellicantibus ſtomachum humoribus oriebatur, dubiò procul exulauit cruditas. Si quid verò crudi ſupereſt, & balneum, & vinum ſuperant, atq; digerunt.

CAP. XV.

V. Tum ita ſeptimo die balneo frigus præuenire. *C. Octauo.*

Dixerat paulò ſuperius *ſeptimo die balneo frigus præuenire*: præterea habet *abſtinere* à vino debet, & cibo quantumuis modico, *continere* iubens tantummodo aqua calida, ſi ſitiat, non ſi ſitis eſt, vt vult inſulſus Cenſor. His peractis præuenire horrorem intendit balnei vſum, quod nonniſi ſeptima die fas illi eſt, octauâ enim horror iam adeſt. Sic tertia die ſuperius, non quarta introduxit in

balneum febricitaturum die quarta. Iterum posterius *decimo die balneum experiri.*

V. Dareq; operam non oportet, vt in ipsam exercitationem tempus febris incurrat. C. *Oblitera negationem, non incurrat.*

Resultabit enunciatio è diametro aduersa ipsi Celso, cui placet, vt exercitatio fiat etiam tempore, & horis in illis, in quibus febris inuadere consueuit: *sic, enim, sæpè illa discutitur.* Segnis nanq; frigidusq; est melancholicus humor, quapropter ijs stimulis adigendus, præsertim in hora sui motûs. Quòd si minus successerit, & accendatur, obserua præceptum: *At si in opere occupauit, tum demum se recipere.* Sic vehementissimæ animi commotiones talem eliminârunt febrem, quod & à me non semel obseruatum, & ab alijs relatum inuenio.

CAP. XVIII.

V. Et febrium quidem ratio exposita est. C. *Curatio exposita.*

Qua scilicet ratione tractari debeant.

V. Ex quibus eos, qui certis partibus assignari non possunt; protinus iungam. C. *Dele non.*

Benè sit huic tuo imperio. Trepidat Celsus cui incerta sunt membra, à quibus tales affectus, & accidentia febribus superuenientia oriantur.

V. Tum interposito die conuenit caput ad cutem tondere. C. *Radere.*

An raditur non ad cutem? Sed tonderi debet, ne per cutem acta nouacula acri frictione illã inflammet, quo facto procliuè est membranis communicare molestiam inflammato pericranio, quod cuti adhæret, illisq; sui exordia fert accepta.

V. Po-

V. Potui dando aquam, in qua papauer, aut hyoscyamos decocta sit. *C. Hyoscyamus.*

Græcam vocem Græco more ritè protulit. Finem ne facient tantæ temeritati, vt disertum, Romanumq; ciuem patriam linguam docere præsumant? Qui tamen religiosus fuit in vocibus exteris recensendis, atq; iudicandis; quod & sequentia indicant.

V. Sic verò significatur lacryma arboris in Egypto nascentis, quā ibi morosycon appellant. *C. Sycomoron.*

Quem morum sycaminum Græci dicunt, planta resinifera non est, ob idq; lacrymæ minimè ferax. Apud Ægyptios resinifera inuenitur planta, è qua Idola, & thecas ligneas, seruandis diutissimè defunctis, conficiebant. Huius ligni plura apud nos sunt vestigia, atq; fragmenta, illæsa post annorum myriades. Retinent & nostra ætate hanc appellationem *morosycum*, inuito Censore.

V. Asclepiades ea superuacua esse dixit; quoniam in Lethargum sæpè conuerterent. *C. Compellerent.*

Ab externo narcoticorum vsu, errore medentis, degenerare potest Phrenitis in Lethargum, quod cauere docent Nostri Practici, & Celsus infra inculcat habendam esse moderationem. Vtra vox aptior sit, tute diiudica.

V. Vespere ei daretur sorbitio ex aqua. *C. Sorbitio, & aqua.*

Scilicet haustus aquæ, vel cerealis decoctio ex aqua.

V. Confert etiam aliquid ad somnum silanus iuxtà cadens. *C. Saliens iuxta cadens.*

Quid est hoc *saliens iuxta*? Relego proinde te ad doctissimum Gifanium suis in Collectaneis, ad Lucretium in voce *Silanus*.

V. In Ieiuno vomitus. *C. In Ieiunio vomitus.*

Ineptè. In (homine scilicet) ieiuno vomitus.

V. Valentiſſima tantummodo eſſe remouenda. *C. Valentiſſimam tantummodo remouendam.*

Valentiſſima (ſcilicet alimenta in illo genere) eſſe re mouenda.

V. Idq; ſi in potione non accepit. *C. Non accipit.*

Non admiſit, quod frequens eſt in ſimili morbo.

V. (Prodeſt) demiſſumq; corpus in aquam, & oleum. *C. demittiq;*

Phraſi conſueta Corneliana, quæ retinenda.

V. Quod genus inſanientium, ſpecie, ſimiliq; victus genere curandum eſt. *C. Specie ſimile, ſimiliq;*

Specie, nempe, ex media materia, ſimilique in ſex rebus non naturalibus, præterquam in vino, quod illis rectè datur.

CAP. XIX.

V. Vel tres heminas bibat. *C. Duas, vel plus.*

Malus obſeruator elegantiæ priſcæ; valet hoc loco pro *etiam*.

V. Vel alicæ cremorem ex inferioribus partibus indere. *C. Inijcere.*

Valet pro immittere. Plaut. *Si in os meum vini guttam indidi.*

CAP. XX.

V. Et in ijs, quæ odore fœdo mouent, qualis eſt pix cruda. *C. Pix vſta.*

Vſta non fœtet, ſed dum vritur, aut liqueſcit.

V. Hæc enim, cùm comburuntur odorem fœdum mouent. *C. Odore fœdo mouent, nempè ſternutamenta.*

Halant ſcilicet fœdum odorem.

V. Itaq; eos, qui ſubinde excitant ſine vſu male habere. *C. Excitantur.*

Moue-

Monebat Tharrias quidam, *accessionis esse id malum*, scilicet inexpugnabilis somnus, *leuariq; cum ea decessit*. Hinc elicit, non debere excitari, & qui *excitant eos*, scilicet, Soporosos, molestiam illis inferre absq; vllo prouentu. *Nam si expergiscitur adhibere ei, vt sopito superuacuum est*. Quicquid sit de veritate sententiæ in praxi, certum tamen est hanc Tharriæ illi fuisse mentem, soporem symptoma esse, non morbum nouum simulque cum præsenti euanescere, quanquam rem distinguit solerter Celsus.

CAP. XXI.

V. Modi intus in vnum aqua contrahitur.	*C. In vterum. Vetus.*

Tertiam Hydropis recenset speciem, quam ἀσκίτην Græci vocant in qua *contrahitur aqua in vnum*, velutq; in vtre, *& moto corpore ita mouetur, vt impetus eius conspici possit*. Quid facit ad rem *vterus* Censoris? vereor, ne cæcutierit homo, nam vetus Codex noster habet *in vnum*, si melioribus vtitur, deponerem, *Vtrem* scriptum, fuisse.

V. Costum.	*C. Costus.*

Sub vtroq; militat genere. Vana proinde emendatio.

V. Iunci quadrati, & rotundi semen illud cyperon σχοῖνον hoc Græci vocant.	*C. Medicis in vsu est Cyperi radix & iunci rotundi flos, & paleæ. Neutrius autem semen.*

Quid igitur mendax est Celsus, qui rem suo æuo notissimam exponit? Absit. Verùm placuit Seris nepotibus Cyperi semini substituere radices, vt quæ, forsan, corruptioni faciliùs reluctentur. Latet in flore Squinanti proprium semen, seu flos est ille pro semine, more arundinacei seminis,

V. Primò tamen quæ leuissima ex ijs sunt.	*C. Lenissima.*

Finem ne peruertendi facies? lene in leue, rursusque hoc in compar transformare studes,

V. Vinum quoq; vtile est, & austerum. C. *Et lene, & austerum.*

Abi malam in rem tuo cum *leni*. An obaudis adnectere confestim *sed quàm tenuissimum?*

V. Ergò si inflammatio, & ex ea dolor creber est. C. *Inflatio.*

At inflatio non *crebrum*, sed perpetuum excitabit dolorem, præsertim in peius ruente morbo. Insuper quid prodest vomitus à cibo in ventris inflatione? Illud mali hinc suspicarer, vt deiecta appetentia, denegatoq; alimento ruerent absq; prouentu in peius vires. In inflammatione verò, ad reuellendum confluos illic humores, bilemq; præcipuè interceptam, mox illuc fluxuram, non improbabile auxilium est vomitus.

V. Vtilis quotidianus, aut alterno quoque die post cibum vomitus est. C. *Altero quoq; die.*

An conspicis, quòd *si altero* die, quotidianus esset.

V. Incidendum quoq; est super talum quatuor ferè digitis. C. *Idest malleolum. ex Asclepiade id tradit Aetius.*

Quæ necessitas adigit, vt Celsum Asclepiadi, vel Aetio facias morigerum. Talaris vestis non ad calcaneum vsq; extendebatur. Talus homini tribuitur impropriè, vid. Plin. lib. 17. cap. 46. *Iuxta talum sanguinem mittit in Epilepsia.*

V. Cibus valens esse debet, & glutinosus, maximèq; caro. C. *Hoc obstructionis periculum affert.*

Instituitur victus ratio reualescenti à morbo, iamq; remedijs plurimis iactato. Huic neq; difflabile, neq; corruptibile dicitur alimentum, sed præstans, validumq;

V. Morbum enim hunc Iecinoris putauit, ideoq; ita illum esse sanandum. C. *Ideoq; antea illud.*

Nihil immutandum: si Iecur in causa est, huic sanatio debetur.

V. Sudationes, nauigationes C. *Fatigationes.*

An non ſatis defatigatus eſt æger, exercitationibus, frictionibus, ſole, ſudatione, quibus neceſſariò additur nauigatio, qua corpus mirè exſiccatur, ambientis marini contubernio Vide Hipp. l. de A. A. & L. Quibus aſtipulatur & natatio in mari, mox laudanda.

CAP. XXIII.

V. Ab anno duodecimo ad annum quintum, & trigeſimum. *C. Duodeuigeſimo, vt Hipp. l. 5. Aph. 9. vnde hoc ſumpſit.*

Sponſore cares. Poterat & ex propria obſeruatione, quod & ſuccedit noſtro æuo. Neq; dubito tum frequentius incidiſſe, ob gymnaſticæ indefeſſum ſtudium, varioſq; contingentes, media in exercitatione, caſus.

CAP. XXIV.

V. Sic æſtas frigidis nationibus. *C. Natationibus.*

Vetus retinenda Lectio, nam deducitur verbale nomen à *No, as. Nato* eſt huius frequentiſſimum, à quo *natatio*, Grammaticorum conſenſu. Congruit proinde Ictericis *Natio* magis, quàm *Natatio*, ob morbi tædia.

V. Vti ludis, & laſciuia, per quæ mens exhilaratur. *C. Vt & ludis.*

Aperta ſententia emendatione minimè indiget, ſed caſtigatione caſtigatio.

CAP. XXV.

V. Protinus ergo inter initia ſanguis per biduum mitti debet. *C. Pertriduum.*

Partitur Celſus euacuationem, virium in gratiam, quibus conſulit dilatio in proximam diem. Perendinatione verò in tertium vſq; fatiſcerent auxilium, & robur.

V. Adhi-

V. Adhibenda, tum quanta subsisti- neri potest, inedia est.	*C. Adhibenda tamen.*

Non assequitur Auctoris mentem. *Tum* retinendum (scilicet *inter initia*) Diatritariorum celebri consuetudine.

CAP. XXVII.

V. De resolutione neruorum, quæ Apoplexia, vel Παράλυσι*, dicitur.*	*C. Hæc ab ignare supposita sunt, nec in M.S.*

At nihilominus ab alijs recepta, vtpotè Celso congruentia, cuius ętate vtriusque mali nomenclatura confuudebatur. Mihi non credis? audi fatentem: *Nunc vtrumque Paralysin appellari video.*

V. In partibus verò nunquam acutus, sæpè longus, ferè sanabilis morbus est.	*C. Ferè insanabilis.*

Repugnat correctio experimento quotidiano, nec non rationi.

V. At vbi pars resoluta est, proderit malo corporis, vel sanguis missus, vel aluus ducta.	*C. Pro vi, & malo corporis, vel sanguis mittendus, vel aluus ducenda.*

Si interpretatur, sat sibi sapit; sin secùs, sat desipit.

V. Non sine exercitatione Sudores, vt quidam præcipiunt, expedit.	*C. Non, dele.*

Vis hîc est, & trudi, & trahi simul. Vbi neruorum dolor oritur, à pluribus abstinendum, ne inaniter vires teramus, aut proximo beneficio renunciemus. Et ratio est, quia spes emicat salutis ab insensibilitate ad sensûs restitutionem, quamuis dolorosam. In hoc casu nòn licet mouere sudores per assumpta, vel admota, *vt quidam,* inquit, *præcipiunt,* ne rapiatur materia liquescens ad partem affectam, & contractum obliteretur beneficium. Secùs continget, si illud eueniat in media exercitatione, præ innato partis calore iam adaucto, noxiam propulsante materiam.

V. Ab ipsa exercitatione potiùs superiores partes mouendæ. C. *oblitera.*

Basilicas pol editiones! Quid obliterabimus, an quæ? An *ab ipsa exercitatione*? Verùm, quis sensus superest? Illud nôris, me Iudice, quòd spiritûs retentio, exercitatio est, illaq; nonnunquam vehementissima: qua de re consule Clarissimum Præceptorem H. Mercurialem in sua Gymnastica, qui tibi faciet satis. *Ab ipsa* modò recensita, *exercitatione* potiùs superiores partes mouendę, vtpotè dispositæ iam, patulis redditis canalibus, præ caloris accessu, quo promotore fiat imbibitę materiæ tempestiua expulsio.

V. Rarissimè Venere vtendum est.

Si quando quis in eam prolapsus est. C. *In eum.*

In quem? dic Sodes.

V. Tum oleo leuiter, diuque. C. *Leniter.*

Apotherapia hæc, quæ molli peragitur, diuturnaq; peragi frictione debet, manibus fit puerilibus. Hæc verò præter mollitiem, nullius ferè sunt ponderis. *Leuiter* igitur retinendum.

LIB. IIII.

CAP. I.

V. Transuersum ex valida membrana septum est, quod à præcordijs vterum diducit. C. *Aliàs ventrem.*

Vter Antiquis erat, qui nobis modò *Venter*. Stat proinde Vetus Lectio.

CAP. II.

V. Horror calidus. C. *Validus.*

Cepha-

Cephalæa, quæ hic describitur, *acutus, & pestifer morbus est*, ex abscessu, forsan, iuxta Cerebri basim, quod obseruâsse mihi non semel contigit. Huic succedebant grauissima, quæ à Celso modò narrantur, symptomata, illudq; præsertim, rigentis ægri cum calore, velutq; trementis quadam cum querimonia, præ læsione membranarum Cerebri.

V. Ne vehementer arrodat	*C. Erodat*
Cibum permodicum.	*C. Semper modicum.*

Passim, & vbiq; corruptorem pro Censore nanciscimur elegantiæ Cornelianæ.

V. Dissimile est id genus, quod humorem in caput contrahit.	*C. Dissimile id genus, quo humor in capite contrahitur,*

An non species hæc illa hydrocephali est, in qua aggregatur aqua inter membranas, & cerebrum?

V. Integris idem Sinapi, donec arrodat, imponere.	*C. Item sinapi, donec erodat.*

Idem sinapi, quo de dixerat dudum, *sinapi manducare.* Est verò neutri generis, & indeclinabile. *Illud arrodat*, latinissimè dicitur Cicer. pro Sest. *R. P. conarentur arrodere.* Trahor inuitus ab insulsa Critici petulantia.

V. Quo leuato, si in destillatione crassa facta pituita est, vel in grauedine nares magis patent, balneo vtendum est.	*C. Nares minùs patent.*

Grauius hoc est, quàm ademisse particulam necessariã tamen Celsi phrasi. Duos hîc designat status grauedinis, post biduum, vel triduum: alterum, vbi pituita crassior euasit, &, quod necessariò consequitur, patentiores factæ sunt nares: alterum, vbi *æquè tenuis die quarto pituita est, vel nares æquè clausæ* &c. Vnicuique aptat remedia Celsus: dum sinat Censor iniquus.

V. Ea

V. Ea (genera rigoris, vel Conuulsionis) sæpè intra quartum diem tollunt; si hunc euaserunt, sine periculo sunt.	*C. Ea tollit ex Hipp. 5. Aph. 6. nam ea species sola in peracutis.*

At Celsi obseruatu, reliquæ quin etiam species sæpè funestæ.

CAP. III.

V. Neq; enim natura sanguinis est, vt vtiq; caleat, sed ex ijs, quæ in homine sunt, is celerrimè, vel calescit, vel frigescit.	*C. Hæc inconsequētia rerum: Sanguis per se, & naturâ non calet: ergo calor nō est in sanguine. Sic ferrum candens, & ignitum, nō caleret.*

Calor in sanguine hospes est, non inquilinus, Hippocrati, & Arist. quos sequitur Celsus. Quapropter in difficultate excitata tenet consequentia. Pondera medium contradicentium.

V. Aluus quoq; ducta sæpè, superiores partes resoluit.	*C. Partes rigidas.*

Distentas *resoluit.*

V. Aut à pullis mollibus ius.	*C. Aut apalis, idest, mollibus.*

A quibusnam mollibus? Cucumi, Pepone, Cucurbita, an verò ex teneris pullis? Proh bellam loquutionem!

CAP. IV.

V. In Palato citra vuam.	*C. In palato circa vuam.*

Vt per ea vulnera morbus erumpat, quod placet Celso, necesse est, vt ab ipsa parte laborante eductio sanguinis fiat, quæ propriè dicitur euacuatio. *Citra vuam* periculosissima fit angina.

V. Contundi oportere, polentamq; ex eo (pulmone vulpino) *potioni aspergi.*	*C. Pollinemq; ex eo.*

Vulpinus Pulmo, seu ex quouis animali desumptus, fungosus est, mol-

mollisque, minimèque friabilis. Contunditur, euaditque in placentam, cuius portio sorbitioni aptæ inspergitur, simulque cum ea liquatur.

V. Prosunt etiam, quæcunq; Vrinam augent. *C. Vrinam agunt.*

Diuretica, quibus liquandi vis est.

V. Vaporem calidum ore recipi. *C. Aquæ feruentis.*

Per quem non molliores fierent partes illæ, sed exurerentur.

V. Nuces Græcæ. *C. Thasiæ, id est amygdalæ.*

Nescit, quid Rex in aurem loquatur Reginæ.

V. Aqua dari potest vel pura, vel in qua malum cydonium. *C. Cotoneum.*

Compar eruditio cum præcedenti. Consuetis tunc vocibus vtitur Celsus, insuetis vti cogit Constantinus; nouus ne tu Cato? Plin. lib. 15. cap. 11 *malum cydonium, quod Cato primus omnium cotoneum appellauit.*

V. Ac modò arida est (Tussis) *modò pituitam citat. Oportet hyssopum altera quoque die bibere.* *C. Si arida est, oportet hyssopum.*

Pernicioso hæc fierent consilio; nam mollientia præcedere debent. Quapropter Celsus paulò infra pinguissimis ficubus vtitur, etiam in humida, quam primo loco curare aggreditur. Quod constat; nam priori absoluta, statim subdit: *At si sicca Tussis est*: quanquam malè emendat Censor in *Ac si.*

V. Frequens tussis sanguinem quoq; extundit. *C. Extrudit.*

Idem valet, quod per vim extorquere. Seruanda proinde lectio vetus.

V. Authoresque Medici fuerunt, vel exesa parte aliqua. *C. Veteresq; Medici ferunt.*

Distinctionem illam causarum hæmoptoysis introduxêre Medici. Hoc sibi vult Celsus. Diapedesis verò sub anastomosi continetur: hîc enim maiora oscula, ibi oscilla minorum arteriarum aperiuntur,

untur, ita vt quasi exudare videantur.

V. Neque tussim, aut calorem mouet. C. *Calorem febrilem.*

Vltroneum placitum, sat erat præcauere phlogosim.

V. Si ex ore, continuisse eo merum vinum. C. *Merum Vinum astringens.*

At vino cuicunque vinoso indita est illa facultas, quam etiam aceto communicat.

CAP. V.

V. Vtilis in ieiuno potio est absynthij. C. *In ieiunio, vt & infra.*

Verùm vbiq; habet *in ieiuno*, nempè homine *ieiuno*, quod & alibi te monuimus, perperàm, vt video.

CAP. VI.

V. Interdum etiam sicca tussis est, quæ nihil emollitur. C. *emolitur.*

Arida tussis nonnunquam non *emollitur*. Seruatur hîc oppositio. Irrita non mitescit.

V. At siue lenior, siue vetustior casus est. C. *leuior.*

Finem ne peruertendi facies? mutas quadrata rotundis: mirum, cur abstineas imposterùm à leui lectione, quamquam consueta proteruia, cap. 7.

V. Lana Sulphurata. C. *bapso lanæ sulphuratæ.*

Vnde defluxit? aut non satis est vellere quocunque lanæ vti pro præsidio.

V. Paruum aerem recipere. C. *Purum aerem.*

Interdixit superiùs ægro aeris commercium, dum premebat morbus; nunc verò, vbi paululùm leuatus sit, nouum aerem sen-

rem

rem ſenſim attrahere aſſuefacit. Illicò enim aër ad pulmones penetrat, qui præ deſuetudine læderentur, magiſq́; ſi *purus*, vtpotè tenuior, & ad vellicandum promptior. Hinc rectè ſuadet, *feneſtris aliquantùm apertis paruum aerem recipere.*

V. Sit, vt diu nihil molle, & lene. *C. Nihil, niſi molle, ſumatur.*

Oppugnat è diametro Auctoris mentem, qui lenibus & mollibus in principio vtebatur ad Peripneumoniam leuandam, qua profligata, vt inductam laxitatem à pulmonibus arceat, conſulit, *vt diu nihil molle & lene vſurpetur* à reualeſcente, quale eſt porrum, acre bulbi genus, & pectori familiare; quem tamen in principio euitâſſet, ob interdictam acredinem.

CAP. VIII.

V. Pini flos. *C. Lini flos; nam Pinus nullo flore exhilaratur.*

Homo nunquam vidit adultam Pinum, quæ ſuo more floret ſtato anni tempore, euaduntque tandem flores illi in fructus tenellos.

V. Ictus, curſus inimica ſunt. *C. Iactus, curſus &c.*

Non ita in promptu eſt, cur iactus officiat magis, quàm ictus, quo ſolo Principem Virum noui penè exanimatum, ſuccedente hæmorrhagia, breuibus contractis inducijs, hydrope tandē vrgente, vitam cum morte commutâſſe.

V. Quidam etiam contra id ſcalpello aperiunt, ipſam vomicam adurunt. *C. Vltra id ſcalpello aperiunt ipſam vomicam, vel adurunt.*

Contra id, ſcilicet è regione hepatis, ſcalpello aperiunt; verùm illo ignito, ne coaleſcat inflictum vulnus, niſi ad ſtatum tempus.



Cap.

CAP. IX.

V. Intubique, & betæ ex eodem (Aceto) *ex Sinapi asparagus.* *C. Intybiq; ex eadem, & betæ ex sinapi.*

Igitur ex Constantini mente lienoso edendæ sunt tinctæ in aceto Lactucæ, intybique ex eadem, nempè *Lactuca.* Bellum farcimen, & rerum, & verborum.

V. Abstinere acidis pomis *C. Acidis, pomis,*

Haud ratio eadem est abstinentiæ *ab acidis pomis*, & *ab acidis* in genere: sic enim excluderetur acetum, quod dudum extulit.

V. Auxilio quoque his vlceratis sunt (si adhuc vlcera purganda sunt) cucumeris semen. *C. si ad hæc vlcera purganda sūt.*

Vlcus, quatenùs vlcus, solam indicat vnionem; est enim continui solutio in parte carnosa: sin autem præterea sordidum sit, quæ res vnionem remoratur, *purgandum*, quod *extergere* nostri dicunt.

CAP. XI.

V. Is si & ab initio vinum dedit, & metum cruditatis sequutus est, non sine causa fecit. *C. Is si* dele *&. Metum Metas.*

Homo haud assequitur Auctoris mentem, quæ sic habet: *Is*, scilicet Erasistratus, si vinum cholera vexatis statim dedit, veritus cruditatem, laudandus. I nunc tu, & sensum erue accommodum tuis è castigationibus.

V. Paulatim se cibo reficere: somno quisquis facilè acquiescit, *C. Somnoq; qui facilè acquiescit.*

Quid tu? Somnusne facilè acquiescit? Aures mihi commoda. Institutum Auctoris est, calorem reuocare: nam extremæ corporis partes, præ morbi acumine, frigent, postq; inunctionem calidis fomentis *nutriendæ*, allecto calore, magis quàm inducto. Si

qui euit ſtomachus, ſat eſt, ſin minùs, cucurbitulam, & ſinapi proponit. Quibus corroboratus venter, neq; ampliùs excernens ſuſq; deque, ſomnum ſuadet ad vniuerſi corporis ſalutem; poſterâ die inediam, vt debelletur penitùs cauſa moleſtans à Natura, & validiore, & minùs interpellata. Tertia die balneari, vt reuocetur ad munia, calor, & ſanguis: paulatim ali, in locū deperditi, ſurrogato alimento nouo, minimèque tunc impuro ob abſumptos tunc vitioſos humores: hinc ſomno ſe dare, præcipuè vbi quis nullâ controuerſiâ illo potitur, nullaque inquies turbat decumbentem.

V. Itemque laſſitudine, & frigore. *C. Vitataque laſſitudine &c.*

Non vitatâ laſſitudine, ſed potiùs accitâ, quò probi laudabileſque humores ad partes alendas trahantur. Frigus verò præſtabit, ne pereat alimentum, neuè attracti ſpiritus diſſipentur.

CAP. XV.

V. Et ea, quæ vrinam moueant. Si hæc conſecuta ſunt. *C. At ea, quæ vrinam mouent, ſi id conſecuta.*

Diuretica, quæ cauſam materialem dyſenteriæ deriuant ad renes; ſi illud præſtiterint, benè eſt; ſin minùs, malum duplicant: quod medenti præmeditandum.

CAP. XVIII.

Suppudeat ſaltem, ſi non pudeat Cenſorem, carpere Romanum Ciuem, patria lingua, omnium conſenſu, puriſſimè vtentem: diſſimulauimus & aliàs, idemque præſtabimus, forſan, impoſterùm, Grammaticis Viris committentes negotium.

CAP. XIX.

V. Vino non multùm meraco. *C. non multo meraco.*

Hoc

Hoc verò intolerabile, quod valetudini incommodat. Is, qui diarrhæa tenetur, *vino* vti debet, ob inteſtinorum, & ventriculi imbecillitatem; verùm illo non *multùm meraco*, ne ſecum rapiat in venas crudos humores. A Cenſore quantitas meraci extenuatur, præter Celſi mentem, ac ægrotantis indigentiam.

CAP. XX.

V. Si maligna purgatio eſt, ſubijcienda ſunt coercentia. | *C. menſes euacuantia.*

Non coercentia purgationem, ſed malignitatem, per ea, quæ temperant, illinunt, atque eluunt. Quid enim prodeſſet menſes euacuare, vbi mera cacochymia vexat? ſat eſt vijs conſulere, interimque vitium aſſumptis emendare.

V. Cibis opus eſt teneris. | *C. tenuibus.*

Coctu ſcilicet facilibus.

CAP. XXIV.

V. aliaue Verbena ex reprimentibus decocta ſint. | *C. Verbena, aliaue ex reprimentibus.*

Verbenæ nomen hîc genericum eſt, quod & apud nos Hetruſcos frequenti eſt in vſu. Teneros enim plantarum ſtolones, nouelloſq; Veruenas appellamus.

LIB. V.

CAP. V.

V. Huic (arſenico) autem, & Sãdaracæ in omnia eadẽ vis ſed validior eſt ſquãma æris, | *C. Validior eſt ſandarachæ, ſquama.*

Interpunctione apta opus erat, nō inani repetitione: *Huic autē & Sandaracæ in omnia eadem vis, sed validior est, squama &c.* Posuit in fine verbum substantiuum pro basi vniecrsæ phrasis. Idem obserua paulò inferiùs: *Ammoniacum, Bdellium, quod in omnia idem, quod ammoniacum potest, sed valentius est, abrotanum &c.*

V. coagulum, sed maximè leporinum, cui eadem, quæ cæteris coagulis facultas, sed vbique validior est. fel | *C. vtique, & fel taurinum &c.*

Præfertur apud probos auctores semper leporinum coagulum cæteris, non tam in purgando, quod modò inculcat Celsus, verùm & in reliquis, ad quæ coagula expetuntur. — coniunctio intempestiua est. — *taurinum* vacat.

CAP. VII.

V. Cinis Cyprius. | *C. non Cypri arboris, sed arundinis Cypriæ, quæ Dorax vocatur.*

Cur non cinis ab ærifodinis, quibus Cyprus fæcundissima?

CAP. VIII.

V. Corallium, | *C. Sed Corallium nemo (arbitror) vnquam prodidit adurentis esse facultatis, & experientiæ reclamat.*

Vox ambigua est: significat quinetiam leucoion, ex quo Diacorallium Pauli malè ab Auicenna transcriptum, vt notat Hermolaus.

CAP. XVII.

V. Miscentur autem variè, neque huius vllus modus est. | *C. vnus modus est.*

Ad libi-

Ad libitum cuiusque: cur igitur malè arctari debebat?

V. cùm ex simplicibus alia demantur. C. *ex similibus.*

Iam transagit simplicia, quod pollicitus fuerat cap. 1. lib. 5. huius, & titulo 2. c. transit ad mista medicamenta; nam vt ibi, *ac sæpè simplicia opitulentur*, sæpè mista; & in Rubrica c. 17. de *misturis simplicium rerum*, quid ad rem, vel ad chorum illud *similibus*?

CAP. XVIII.

V. Ammoniaci, Thymiamatis, &c. C. coniunge.

Nulla ratione hoc suadetur; nam dicere gummi ammoniacum, cur non & bdellium?

V. Thuris, fuliginis, C. *Thuris pollinis.*

Eâdem ratione naucifac censuram.

V. Fæcis aridæ, aceti, C. coniunctim.

Fæcis (idest Vini) aridæ.

V. Visci, felini stercoris. C. *Visci seminis, ster'oris.*

Benè est, quòd suum damnet Codicem, nilq; immutandum censeat. Vtinam sic aliàs.

V. hisque contunditur. C. *cùm tunduntur.*

Simul, scilicet, & cum ijs tunditur.

V. donec malagmatis crassitudo sit. C. *mellis.*

Quomodo mellis vnquam crassitudo erit, si mel ochræ, & similæ instillatur.

V. Malagmata stomachica ad aperiendum. C. *Anastomotica.*

à stoma, quod os; .s. reserantia, oraq; facientia. Aliud enim est Anastomis, quæ venarum debetur osculis, non tumoribus.

V. chamæleontis. C. *chamæmeli.*

Verùm, quo auctore?

V. Cedri cyathus vnus. C. *Cedriæ, idest κεδριλάιυ.*

Quid opus tot ambagibus, dum phrasi vtitur sibi consueta, & cùm habet *rosa*, pro *rosaceo*?

CAP. XIX.

V. Thuris, fuliginis, *C. pollinis & hîc lego: nam si fuliginis, quæro, quî peruiride, & smaragdinum esse queat.*

Ærugo abundè ex se colorat, quæcunque cum hac miscentur; vt nôrunt periti: magis tamen illa virescit aceti commercio, & olei; quod & obseruabat Plinius, tuque experieris per ocyum in lucernis quibusque præcipuè in orichalcicis.

V. Quo fuligo, & ærugo in vnum cogantur. *C. quo pollen.*

An non hoc est extorquere ab Auctoribus, quæ neque cogitârunt. Oleo, & Aceto optimè vniuntur fuligo, & ærugo, secùs quàm cum thure contingeret, peiùs cum manna, quod substituit nuper.

V. Sunt autem quædam emplastra. *C. Si singula &c.*

Mens Auctoris est, vt iungi possint purgantia pus mouentibus; verũ pro expeditioribus satius esse, si distincta habeantur. At in Vrbe, vbi omnium rerum copia, seu in pace, reijcienda huiusmodi farrago, sed ijs vtendum singulatim, quæ proprium opus ob innatam facultatem consequuntur.

V. Fuliginis. *C. Thuris fuliginis.*

Quid tam veretur fuliginem, illiq; est infensus, quæ tamen pluribus præstat dotibus?

CAP. XXII.

V. Gargarizationes autem aut leuandi causa fiunt. *C. lauandi.*

Leuant, lac, cremor ptisanæ. *l.uant.*

Læuant pro læuigant, quẽ vsũ præstat *lac*, *ptisanæ cremor*, *& furfuris.*

CAP. XXVI.

V. Nec subire speciem — *peremit.*   *C. Suspicionem* — *interemit.*

Cur apposite dicta deturpas?

V. Peius etiam vulnus est, ex quo aliquid decisum est.   *C. abscissum.*

Vbi facta, nempè, fuit substantiæ deperditio.

V. pessimaq; plaga in orbem est.   *C. curua.*

Si curua pessima, qui titulus debebitur circulari, omnium votis difficillimæ? propterea quia nullibi appareat initium coalitûs: præter id, quod curuum, est pars circuli.

V. Sudores frigidi, maliq; odoris, tanquam in rotato corpore oriuntur.   *C. in ægroto, irritato* (codex vetustus, *irrotato*)

Optimè omnium Codex vetustus An. 1493. *irrorato*, tanquam aspergine quadam vdefacto, quod in sudore contingit diaphoretico ijs, quibus mors in proximo.

V. Medulla, quæ in spina est discussa.   *C. percussa, vet. Al. discissa.*

Neutrum sequerentur symptomata, quæ narrantur; vt & ad capitis vehementem concussionem.

V. quòd si musculus læsus videbitur, præcidendus erit.   *C. neruus.*

Cur non & musculus, præcipuè, si in capite sui; vt habet Galenus 3. meth. cap. 9.?

V. quia, quo sæpiùs acus corpus transiuit.   *C. transuit.*

Optima phrasi, nobisq; consueta vernaculo sermone, passare l'ago.

V. quoque plura loca vinculum iniectum mordet.   *C. iniecta fibula.*

V. Neutra etiam vim illam desiderat. C. *vim vllam.*

Probè *vim illam*, ſcilicet quæ mordeat.

V. ſed eatenùs vtilis eſt, quà cutis ducentem, quaſi ſua ſponte conſequitur. C. *quatenùs.*

Separa, & ſic lege inculpatè. *Sed eatenùs* &c.

V. vt ſiquid intùs humoris concreuerit. C. *in pus* ſcilicet, vel lege *coiuerit.*

Neutrum pro elegantia Celſi. Humor namque concreſce ns, pus eſt, quod tibi indicauerat dudum: *Pus craſſiſſimum, albiſſimumq; glutinoſius & ſanguine, & ſanie.*

V. Si varicula intùs eſt. C. *caruncula.*

Parua varix, quid caruncula?

V. quæ his ſanari prohibet. C. *has*, vel *hoc.*

Oris, ſcilicet, prohibet ſanari.

V. Cupreſſo. C. *pro galbulis, vel globulis cupreſſi.*

Scilicet ſucco foliorum *Cupreſſi.*

V. lenticulam. C. *lenticula.*

Scilicet ſubactam, vt ſupra.

V. eas ἰσχαρας. C. ἰσχαρωτικα.

Eas cruſtas à viuo reſoluunt.

V. & intentione quadam. C. *extenſione.*

Vi quâdam, ſcilicet, malefica.

V. vſq; ad ſanũ corpus concidere. C. *excidere*; ſic in pag. præced.

Velut circumcidere; iam enim digiti exemplum propoſuerat.

CAP. XXVII.

V. Linguæ Caninæ. C. *Cynogloſſi.*

Si habet Auctor, *curantur folijs aut lilij, aut linguæ caninæ*, quid erat,

vt

vt Græcum nomen inſuper daret noſter Cenſor?

CAP. XXVIII.

V. Tum deinde vulnus. *C. Vlcus.*

Millies corrigit inani labore, nam, Græco more, ἕλκος genus conſtituit vulneri, & vlceri.

V. niſi imprudentia curantis agitatum eſt. *C. exagitatum, ideſt, irritatum.*

An non ſat eſt agitari cum imprudentia?

V. Et in iecore. *C. è iecore.*

Senſus eſt, non tam extremas corporis partes, quàm viſcera præhendere carcinoma, neque immunia eſſe iecur, & lienem, nam & ſcirrhis frequentiſſimè vexantur.

V. iſque immobilis, æqualis tumet. *C. & inæqualis.*

Quinimò in principio æqualis penitùs, & quod addit Celſus, *interdum etiam torpet.*

V. Tactuſq; is locus, alijs dolorem affert. *C. Tactuque.*

An nodum in ſcirpo hoc eſt quærere?

Vlcus cacoethe, & Carcinoma paſſim inuertit peſſimo conſilio; non enim mentem Auctoris aſſequitur: interpunctio vitiata in cauſa fuit. Quapropter ſic legendum, nihil immutatis: *Quibuſdam etiam ſi idipſum preſſum eſt* (induſtriâ curantis) *quæ circa ſunt, intenduntur, & intumeſcunt* (præ confluo illuc humore ab vniuerſo corpore, improbis redundante ſuccis, vel ob ætatem, vel conſtitutionem). Namq; peſſimum id genus eſt (expanſis ſcilicet morbi finibus, ipſoque irritato) *fereq; primum id fit, quod κακοήθες à Græcis nominatur*; tumor .ſ. mali moris). Deinde ex eo id καρκίνωμα, quod ſine *vlcere eſt* (cancer non vlceratus, atra bile congeſta, ſed non feruente). *Deinde vlcus ex eo thymium* (putreſcente verò atra bile fit eroſio, & vlcus thymium) hinc reliqua plana.

V. quod

V. quod ἕρποντα ἐσθιόμενον Græci vocant. *C. ἕρπης ἐσθιόμενος.*

An solæcum Celso suades?

V. Id vlcus inæquale est, cæno simile. *C. cauo — ouo*

Quæ intemperies hominem agitant? Cæno ob inæqualitatem, nonnunquam ob consistentiam.

Ac primo à victûs ratione ordinandus est. *C. ordinandum est, vt quiescat.*

Restituo ego: *Ac primò à victûs ratione ordiendum est, vt quiescat in lectulo, vt primis diebus &c.* Nam illud, *ordinandum*, hæsito, quàm purè in Latio vsurpari valeat.

V. Medicamētum eius (sacri Ignis) fortuitum est. *C. fortissimum.*

Verùm febris vnius diei, fortissimum non est remedium, *sed fortuitum,* præter expectationem videlicet, atque deliberationem.

V. infra os vlcerum lædi. *C. cædi.*

an qui cædit, non lædit?

V. In altero autem genere. *C. in secundo.*

Præter phrasim Cornelianam, quod obserua vel eodem in capite.

V. & habet oras duas. *C. duras.*

Sat erat dicere, *callosas,* quod fecit, sed duabus oris hiat.

V. Exit sanies, non multa, sed tenuis. &c.

Malè variat interpunctiones, quum sensus Auctoris manifestus sit, *sanies tenuis est*, quia ob antiquatum partis vitium non coquitur. *Odor malus* neque in vlcere, neque in eius tumore est, quia materia non retinetur, verùm per patulas concedit vias actutùm.

V. cum vino adiecto. *C.* oblitera *cum.*

Nempè iubes? At illud sibi vult Celsus, non post triturationem vinum adijciendum, sed dum triturantur; sic enim tenuior euadet farina.

V. cum, si anguem edit, liberari. *C. si viperam edat.*

Genus

Genus est, perq; antonomasiam, non nego referri posse ad viperam, cata exochian, *si edit*, congrua loquutio; vel fatetibus ipsis Grammaticis.

V. Vbi euulsum est pus, eodem modo adparet ventriculus. C. *Vbi diuulsum est, pus eodem modo adparet: ventriculus, qui in furunculo non inuenitur.*

Vnica interpunctione lux redditur: *Vbi euulsum est* (scilicet Phyma) *pus (apparet) eodem modo adparet ventriculus, quod,* non dissimili phrasi à Sallustiana. Melius retentâ priore lectione, scilicet, post remotùm pus, *eodem modo apparet ventriculus*; interior scilicet pars tumoris, quæ sibi est consimilis; secùs quàm contingat in furunculo, vt notauit in cap. præcedenti: *Qui vbi adapertus est, & exit, superadparet pars carnis in pus versa, pars corrupta subalbida, subrubra, quem ventriculum quidam furunculi nominant.*

V. generale nomen trahit latius vitium ad suppurationem spectans. C. *latius vitium:* deest *nomen.*

Magno errore; nam nullus esset sensus: Excludit *minutos abscessus, latos* prosequitur, qui nempè ampliorem occupant locum. Vide infrà: *Siquidem latius aliquid intumescit* &c.

V. magisq; innocenter indolescit, C. *nocenter adolescit,*

Comparat Phygethlo, de quo illud habuit: *Dolor, distentioq; vehemens est, & maior quàm pro magnitudine tumoris.*

V. & sitim, vigiliamq; exprimit. C. *imprimit.*

Vtrumque translatum, sed nostrum retinendum, vtpotè elegantius.

V. & quamuis non rubet, coloris tamen aliter mutati est. C. *& quod quamuis rubet, coloris tamen in altum mutati est.*

Pessundant hæc Auctoris mentem, qui patentissimus. Signa enim recenset suppurati iam ferè tumoris: *Tumor, ruborq; multò ante incipiunt.*

V. Sed si locus mollis est. C. *vt in principio.*

Vbi non penitùs indurauit, reprimentibus vti licet: si durior, resoluentibus, & digerentibus, secùs prioribus, quæ frigida, contu-

max

max fieret durities, & nunquam postea remouenda.

V. Si pro his, quæ alibi tutis ostendit. C. *Si pro his, quas alibi satis ostendit.*

Malè. Sensus est, si pro ardore, distentione, dolore, rubore, duritie, qui affectæ cuti, vt plurimùm, in huiusmodi affectibus superuenire solent, sint punctiones &c.

V. Si vna plaga exigua est. C. *ima plaga.*

Indecens illa correctio, atq; repugnans: habet enim eadem in clausula, *si non altè penetrauit*. Quapropter retinenda prima lectio; sicq; potiùs emendandum: *si vna plaga, eaque exigua est.*

V. nec nisi plaga est. C. *magna plaga.*

Restituo ego, *nec nisi, vbi plaga est*, scilicet insignis, & quæ tale nomen promereri valeat.

V. commodè verò, vel super linamenta, vel sine his imponitur lenticula ex melle. C. *mel.*

Patens est sententia, non nisi refractario controuersa.

V. Aliæ (fistulæ) *rectè.* C. *recta.*

Rectæ intùs feruntur, aliæ, multoque plures, transuersa &c.

V. ab vno ore intùs orsæ, quæ tres fiunt. C. *ab vno ore orsæ, quæ intùs tres fiunt.*

Quæ causa immutandi verba, quibus frequens respondet euentus?

V. Expedita curatio est in fistula simplici recenti. C. *recta.*

Verissima prima sententia: nam & recta, si antiquata, & callo obducta, difficilis curatu est.

V. Si verò os in vicino est, id quod disci potest, si iam neq; eò fistula penetrauit. C. *si iam in osse vitium est, nec ne, id quoque disci potest.*

Rimamur, an os vitiatum, quum vicinum sit fistulæ, fuerit vitiatum.

V. N*am si molle est, quod vltimo specillo.* C. malim, *vltimò.*

At ego veterem retineo lectionem, quæ sapit elegantiam; nam idem

idem valet, quod vltimâ parte ſpecilli.

V. Si non labitur (ſpecillum) *ſed æquali innititur.* *C. labitur ſede, qua.*

Os læue naturâ eſt, ſpecillum nec non læue, præcipuè in cuſpide, quapropter niſi os vitiatum, cuſpis ſpecilli, os contingens, hùc atque illuc elabitur, non hæret. Si modicè vitiatum, nondum perfectè carioſum, hæret, neque diſcurrit ſpecillum. Si inæquale & aſperum quid ſubeſt, iam carioſum eſt. Hæc mens eſt Auctoris, in diiudicando, an os carioſum ſit à contigua fiſtula.

V. Siquidem ex carne pus leue. *C. læue.*

Lego *læue*, ex Hippocrate.

V. Ex neruo pingue. *C. Ex oſſe.*

Nullo Auctore.

V. Sed ſi in carne, & recens (fiſtula) *C. recta.*

Antiqua retinenda lectio.

V. eoq; infuſo ex ærugine colligere. *C. ex eoque infuſo æruginem &c.*

Encheiria eſt, æris raſuram, ſeu farinam in aceto infundere, quo cum habet affinitatem, & rursùs iungere cum ammoniaco ſoluto in aceto: ſic enim æruginis vis vndique peruadit.

V. callum quibuslibet medimentis adurentibus prodere. *C. perdere.*

Nempè in propatulò facere: rectèque annectit:

V. Aut quibus hæc maximè in effectu ſunt erodere. *C. ad hoc maximi effectus ſunt erodere.*

hinc verò erodentibus abſumere medicamentis, ijs ſcilicet, quibus datum, vt hoc maximè præſtent, valida hîc innuens erodentia, ob naturam ſubſtantiæ abſumendæ, quæ contumax.

V. & collyrium vtrinque demitti. *C. vtique.*

Scilicet ab vtroque orificio, poſt inciſionem fiſtulæ.

V. Atque intùs infundendum, quidquid inditum eſt. *C. additum.*

Scili-

Scilicet, impellendum, vt permeet, parteſq; fiſtulæ ſingulas optimè oblinat.

A. Victa (tunica) medicamentis tota exeat. *C. victa tot medicamentis.*

Ne ſeminarium euadat nouæ cutis morborum generationi.

V. Rarò fit niſi in ſcapulis. *C. in capillis.*

At experientia ſtat pro Celſo.

V. Alterum eſt minùs ſuper corpus eminens. *C. ſuper caput.*

At cur ineptè hæc ad ſolum caput contrahuntur?

V. Subuiride, ſubpallidum. *C. meliùs ſubuiride ſubpallidum, i. ὑπόχλωρον.*

At ὑπόχλωρον ſubuiride ſignificat, non ſubpallidum.

V. ad cutem latius. *C. infra ad cutem tenue, ſupra latius.*

At non idem morbus: hîc de Achrochordonibus, poſteriùs de Thymijs.

V. ferèque circa magnitudinem Fabæ Aegyptiæ eſt, rarò maius. *C. citra magnitudinem.*

Quare *citra*, ſi *rarò maius*?

V. & quò minora ſunt, eò magis. *C. & quò maiora.*

An non veriſimilius eſt, minora ſæpiùs per ſe finiri, quàm maiora?

V. aut ſi maius puſtularum genus occupauit. *C. aut ſi malum maius*

V. detractâq; ſummâ pelliculâ, *C. epidermide.*

An aliquid eſt præter ſummam pelliculam? poſt cuius caſum, excreſcens ſenſus partis indicat, mollibus medicamentis eſſe vtendum impoſterùm.



LIB.

LIB. VI.

CAP. VI.

V. aut si simul hæ vtrumque oculum. *C. ea.*

Lachrymæ in vtroque oculo, *ea* cui referuntur?

V. si tumore infinito diu lacryma &c. *C. finito.*

Emenda, *iam finito.*

V. Peius etiamnum est, vbi pituita calida, aut liuida est, *C. pituita candida.*

Vt opponat liuido candidum, nullo candore Celsum emendat. Pituita naturaliter candida est: immo melius quid portenderet, *calida;* cum pituitæ indoli aduersetur, vehementemque indicat causam quæ humorem à statu naturali alienauerit, non secùs ac vbi illius color ad liuidum tendit.

V. ipso. *C. ægro.*

Satius erat pensitare, quî imponi posset dormituro tale lenimen, absq; deligante fascia. Responsio facilis erat, quoniam oculis laborantibus commodus decubitus, est supinus, reliqui incommodi, & perniciosi.

V. ἀνώδυνα. *C. ναρκωτικά.*

Anodina retinendum. Hæc verò sunt, quæ dolorem compescunt, non insensibilitatem inducendo, aut somnum profundum, qualē narcotica; verùm cicurando ferociam humoris fluentis: quod fit, dum contrariam inducunt qualitatem; ita vt ex calidissimo fiat subfrigidus, ex tenui crassior, proindeque ad fluendum minùs aptus, lenique sopore interim Natura se recolligat.

V. Præstare. *C. Præstat.*

Præstare cæteris, idest anteire.

V. donec

V. donec tenerescat. — *C. inarescat.*

At si lachryma Papaueris combusta præcipitur, cur non & priùs inaruit?

Tenerescit ad hoc, vt sit friabilis; secùs præ lentore latè superque reluctatur. Vide proximè superiùs, non idem valere inarescere, & esse friabile.

V. Squama æris, quod στόμωμα appellant. — *C. ferri, aut Chalybis.*

Et chalybem significat: æs namq; velut genus fuit ad armorum materiam, quum diutissimè viguerit æris vsus, quousque inuentum fuerit ferrum. Non dispari ratione, non visi Elephantes Romæ ante victoriam P. Æmilij de Pyrrho, Boues Lucæ dicti sunt, vt testatur Luc. lib. 5.

Inde Boues Lucæ turrito corpore,

Dirimit quæstionem Plinius lib. 34. cap. 11. inquiens: Squamæ est alterum genus subtilius, ex summâ scilicet lanugine decussum, quòd vocant stomoma. Fallitur propterea Delacampius in Annot. loc. cit.

Recreat & nos Arist. in Poetica, cap. 23. in voce χαλκέας; quæ vox (inquit) alioqui fabros ærarios significans, pro ferrarijs sumitur. Et Apollonius, referente ipsius scholiaste, inquit in Primo Memorabilium, ferrum ab Antiquis æs fuisse appellatum.

V. Nucleorum palmarum combustorum. — *C. Nucleos palmarum combustos.*

Cur est, quòd, si cætera ingredientia recensuerit in secundo casu, transferat ad primum? Pari pacto amygdalas, amaras nuces dixit Celsus lib. 6. cap. 7.

V. Quò verò grauior inflammatio est, eò magis leniri medicamentum debet. — *C. medicamento.*

At verò medicamentum est, quod dilui debet, cùm constet ex rebus calidis quamplurimis. Lenitur verò (nota) *adiecto albo oui, vel muliebri lacte.*

V. à

V. à balneo cauere, ne quo frigore, *C. frigore, à flatuue.*
afflatuue.

Verbale nomen est ab afflo, quod Veteribus in vsu; quos inter Plinius lib. 10. cap. 33. vbi ait: *Perdices concipiunt superuolantium afflatu.*

V. cùm secunda vana fuerint. *C. apta & idonea præsidia.*

ab effectu, qui, vt plurimùm, sequi consueuerat.

Difficilis sensus ex verbis, quæ annectit: *Contrarijs adiuuantibus*, nisi intelligat, quod suppressit, *succurrendum.*

V. desinatque sudor, qui necessariò collectus est. *C. necessarius in capite collectus est.*

Ad quid necessarius? colligitur in capite necessariò ex balnei vsu, & à calidæ perfusione in capite, & oculis, ex quibus fusa extenuatur pituita, perque patulos cutis poros per sudorem excernitur.

V. Deinde futurum, vt inarescat is (oculus) *C. indurescat.*

Tabe scilicet tentetur, ob denegatum alimentum, præ vasorum extensione præter naturam, atque conniuentiam.

V. Genus quoq; vitij est, qui inter pilos palpebrarum pediculi nascuntur. *C. quo; vel quum.*

A quo, habet Donatus.

V. Sed antè linitum hoc vngendum est. *C. fingendum.*

Ingredientia arida sunt, ineptaque, nisi humore frientur, vt parti applicari possint, præcedere igitur ipsius vsum debet linitio, vt scilicet ex asperis lenia euadant, quod nostri Pharmacopæi dicunt *fiat puluis impalpabilis.*

V. Euclidis liquidum collyrium.

*Aeruginis, * Minij combusti, atramenti Sutorij.* *C. Mysij. Mysios.*

Prima retinenda lectio est; nimis enim acre medicamentum euaderet. Ex minio verò per calcinationem vberior messis Saturnina Saccharina.

V. exceptis ijs, quæ lenibus nutriũ-tur. *C. curantur.*

Translatione suetâ sibi vtitur: vt enim nutrimentum congruum esse debet nutrito, pari pacto & lene medicamentum oculorum affectibus, qui illo indigent.

V. quantoque minor generis huius impetus. *C. maior.*

Sed malè, nam mens Auctoris est, indicare, vt quò minori vehementia & impetu morbus hic oculum inuadit, eò diuturnior sit futurus, non secùs, ac contingat, penè, & morbis in reliquis.

V. Vbi non sunt autem medicamẽta composita, scabros angulos leuant, mel, & Vinum. *C. læuant.*

At Celsus generica voce, sibiq; non insueta, alleuiari scabros oculos, vino, & melle, docebat.

V. cùm harum acies. *C. horum.*

Refertur ad auium sanguinem, columbæ, hirùndinis.

V. celeberrimèq; hirundinis. *C. celerrimèq;*

Celeberrima est curatio, qua hirundines proprijs pullis consulũt chelidonia, cuius illis tribuitur inuentũ, indeq; nomẽ herba lucrata est.

CAP. VII.

V. commodissimèque per strigilem instillatur. *C. Clystere auriculario.*

Ille remediorum promptitudini incumbit. Nemo verò domi carebat strigili, ad sordes in balneo tollendas.

V. Papaueris lachryma. *C. idest opij.*

At plurimùm interest: nam opium vulgare conficitur ex succo expresso à tota planta, Soleque indurato; Lachryma, vel fluit ex solo capite spontè, vel eo vulnerato, qua de re consule Auctores.

V. cum rosæ succo. *C. rosa succus.*

Nulla necessitate, & quod deterius, nullo sensu. Quid enim illud sibi vult, an rosa solus succus est, vel præter rosam succus desideratur?

ratur? quisnam iste est, qui non exprimitur. At expressus *rosæ succus* opportunè adest.

V. Specillo teritur. *C. Pistillo.*

Lentum, aridumque medicamentum specillo abraditur.

CAP. VIII.

V. dimittendumq; (linamentum) in nare est. *C. demittendumque in nares est.*

At non demittitur; cùm locus superior sit, sed immittitur, vel intromittitur, *dimitti debet*, cui fidem faciunt, quæ sequuntur proximè: *& ab inferiore parte leniter deligandum.*

V. Hæq; imis partibus, quæ carnosissimæ sunt, inhærent. *C. in imis partibus, quæ cartilaginosæ.*

Pinnas indicat Celsus.

CAP. IX.

V. ficus item pinguis, vel in mulso (coquitur) *vel in aceto.* *C. ficu pingui.*

Ex quibus cum ficus decocta est, is humor percolatur. *discocta.*

Quæ, etsi sensum nõ varient, satius tamen est, hærere Veteri lectioni, tum ob structuram orationis, quæ in emendatione corrumpitur, tum ob congruentiam cum encheiria: cuius farinæ est nec non illud:

V. Cornu Ceruinum rasum, *C.* quod restituit, *Cornu Ceruini ramentum.*

Scobs facilè decoquitur, non sic ramentum.

V. ficorum partes. *C. Caprificorũ pulueris, idest cineris.*

Sinapismus instituitur ad reuellendam materiam, dentem infestantẽ. Constat vero hoc medicamentum ex sinapi, & Caricis, diuersa dosi, pro exigentia morbi. Validus hic est; proportio enim caricarum ad sinapi dupla est. Præter id, quòd addit *pyrethrum*, quod ab ignea facultate nomenclaturam sortitum est.

CAP. X.

V. contusa, & in passo, mulsoue decocta.	*C.* dele, *&.*

Cur deleam? an contũditur in passo? sed priùs contunditur: neq; hoc sat est; verùm deinde coquitur in passo, vel in mulso. Has editiones basilicas tibi habeas imposterùm, mi homo.

V. in leni igne coquitur.	*C. in,* vacat.

Cur vacat? quin erudire nos debebat obseruatio, vt nunquam à præpositionibus abstineamus, nisi cùm repugnant.

V. Leniterque quibusdam medicamentis eas (Tonsillas) *illini non alienum est.*	*C. Lenibusque quibusdam medicamentis.*

Modus hîc præscribitur administrandi medicamenti, non illius electio, actutùm describenda: *quæ hoc modo fiunt.*

V. Furfurum cremori ad gargarizandum, paulùm mellis adÿciendum.	*C. ad gargarizandum ex fico paulùm.*

Hoc est omnia turbare, mentemq; Auctoris distorquere suo cum malo. Quî enim potest ficus misceri cremori, nisi priùs, vel simul cum furfure coquatur: mel verò facile dissoluitur, præcipuè si cremori calenti infundatur.

CAP. XI.

V. ἄφθαι.	*C. ἄφθα.*

Quas aphthas Græci appellant, dixit Celsus optimâ locutionis structurâ; Censor verò in solæcum impingit datâ operâ.

CAP. XIII.

V. Παροδόντιδας *Græci appellant.*	*C.* παρουλίδας *legendum.*

Iuxta dentes, inquit Celsus; sicque sonat Græca vox ab illo posita.

CAP. XVI.

V. Parotides. Animaduersionem tantummodò hanc habet necessariam, quia si sine morbo id intumuit, primum reprimentium experimentum est.

C. reprimentibus experiendum est. Et in Parotidibus reprimentium vsus periculosus est; quia glandes sub auribus sunt emissarium Cerebri.

At illud prænotare decebat, quòd Auctor duplicem agnoscit Parotidarum speciem · alteram in secũda valetudine ibi inflammatione ortâ, modò post longas febres illùc impetu morbi conuerso. De priori præcipit, scilicet, si sine morbo orta, vt reprimentibus vtamur; non enim periculum imminet, vt in Cerebrum regurgitet; hoc enim sedes est frigidi, & glutinosi humoris ex Hippocrate: inflammatio verò ex sanguine fit per venas ad ceruicem delato. Neq; igitur pars mandans, neque humor, qui fertur, reprimentibus repugnant. *Sin verò ex aduersa valetudine, illud inimicum est*. Hæc iam complanauerat Celsus.

CAP. XVIII.

V. Isque homo continere se debet. *C. quiescere.*

Non tam pro continere se (domi); verùm & pro coercere cupiditates.

V. Eaq; si non parebit, leuiter sũmo scalpello concidenda erit. *C. summa.*

Scilicet scalpelli apice concidenda, non in summitate, vbi nihil proficiet, sed scarificando cutim tumidam.

V. & Rosæ mollis paulùm. *C. rosæ, & mellis.*

Olei Rosacei tenuioris, quò reliqua ingredientia commodiùs liquet.

V. Tonsillis, vuæ madentiori, nariumque. *C. madenti, oris, nariumque.*

At madentior tunc dicitur vua, quum præ superflua humiditate delabente laxatur, proque varia, quam nanciscitur, figura, aut Co-

lumellam, aut Vuam appellant, qui Medicinæ Practicæ operam nauant.

V. genus ibi cancri —— oriri solet, C. dele, *ibi, ibi oriri solet.*

Nimis insolenter, & pædagogicè disertissimo Auctori Nobili Romano, passim vernaculâ linguâ Medicinæ præcepta tradenti, sciolus hic succenset.

V. quæ ad ora vlceris componuntur. C. *ad oras.*

Primum sustinendum, nam ab os, oris, dependet.

V. Quòd si ex ictu testiculis aliquid desit. C. *aliquid hæsit.*

Quid est illud, qnod hæsit ex ictu, *quod ferè quoq; increuit,* vt ille subdit; an telum infixum pullulat, & increscit?

Scilicet non rectè officio suo persunguntur. Sic Cicero in Tusc. *Corpus à statu cùm est motum, deest officio suo, & munere.*

V. aut hyssopũ recens miscendum. C. *Oesipum.*

Sed malè; non enim mollire, sed recens ortam solutionem in ano vnire mens est. Nec te fallunt verba in fine cap. *Liquida, lenia, pinguia, glutinosa meliora sunt.* Nam de alimentis ibi verba facit; quod ex præcedentibus, nec non subsequentibus constat.

V. Ideoq; curati quidam cum sanguinis exitum non haberent. C. *non haberet,*

Meretur Censor in re leui alioquin multam, quandoquidem neque à solœco præ carpendi æstro, abstinet: Sequitur namq; Auctor: *inclinatâ in præcordia, ac viscera materiâ, subitis, & grauissimis morbis correpti sunt.*

LIB. VII.

CAP. I.

V. Luxata igitur. C. *sugillata.*

Sed

Sed vetus retinenda lectio ,nunquam enim hac voce vsus est Celsus , alia in significatione: nam vbi casum ossis ex articulo nominat, alijs vtitur Vocibus . Quid verò sit luxatio , & quæ luxata dicantur, accuratiori indigent indagine.

In præsenti libro exponit Celsus, quæ manûs operâ fiunt circa morbos , cùm alibi eosdem morbos prosequutus fuerit , & medicamentis consuluerit, quod habet in principio sequentis cap. 2.

Expeditam , inquit , hanc esse curationem : Verùm hoc quidem promptum est.

Insuper per accidens contingere , & ab externâ causâ , collige ex sequentibus : *In his autem negotium est* . Vnde consueuit Celsus parti patienti cucurbitulas in principio,& augmento morbi applicare , vt dicto c. 2.& causam significat; Vnde non mirum , si illud præstet, necnon in affectu cutaneo , præterquàm vbi tunica includitur abscessus.

CAP. II.

V. excidat. *C. excedat.*

Omnis scilicet suspicio inflammationis abeat.

V. Tum pure quoque maturior *C. maturiore.*
hæc interdum esse consueuit.

Scilicet tempore præcedit puris generationem ; ideoque reluctatur cucurbitulæ trahenti.

V. cubantemque ægrum fluens al- *C. exhausit.*
uus exercuit,

Appositè, nempe, vexauit.

V. Idq; perpetuum est . Vbicunq; *C. Idque perpetuum est , vbicunque.*

Nequaquam adimi debet interpunctio : haud enim in alis , autinguinibus , post incisionem , turundis , vel filamentis opus est ; quod & alij Auctores annotârunt.

CAP. III. & IV.

V. oræ carnosæ fiunt. *C. callosæ.*

At malè: nam excrescentiam denotat, haud diuersam substantiæ generationem, à naturali alienam.

V. hi quoque (flexus) *specillo, & ferro persequendi sunt.* *C. persecandi.*

Encheiriæ modum Chirurgorum indicat, nostris quinetiam Chirurgis vsitatum, ne partes sanæ violentur. Immisso namque specillo per cuniculum, desuper incidunt tutò illo ductore. Hoc totum mirâ elegantiâ, & breuitate prosequitur Celsus, cæcutiente Censore, quamquàm iactet; nil *muto.*

V. excidi is sinus debet. *C. incidi.*

Valet findi. Sed congruentiùs in altera significatione, *destrui*, quod indicat fibulæ subsquens vsus, *ori* cutis inijciendę, non *oris*, quod fugit feruidum Censorem.

V. Solent autem inter costas fistulæ subter exire. *C. ire.*

Nempè fieri in propatulo ab internis ad externas, cutaneasque partes repere.

CAP. V.

V. Summa autem vtraque parte ita habenda cura est. *C.* dele, *ita*; vel lege, *ista.*

At retinenda lectio; *ita cura habenda est, ne neruus, ne vena, &c.*

V. si mucro, si arundo inhæret, propellenda est. *C. si mucroni arundo inhæret,*

Diuersa subijcitur confestim Chirurgia. Propelli debet arundo forfice extrahi mucro.

V. forfice. *C. forcipe.*

Verùm nimia cauillandi cupiditas effecit, vt minus attentè chirurgici instrumenti obliuisceretur, alieni prorsùs à fabrilibus. Quandoquidem forfice illo spicula comminui debent, vt circa finem cap. cit.

V. ex-

V. excuti quoq; ictum aliquo fer-ramento poterit. C. *victum.*

Nullâ necessitate, nullâq; congruentiâ. Nam si leui motu locus non laxatur, substituenda tunc percussio lateralis alterna, quod & facimus, dum clauos extrahere studemus è parietibus, vel lignis.

CAP. VI.

V. nisi cum eiecta sunt. C. *execta.*

At non execantur, & auelluntur tumores huiusmodi, verùm educitur, quod in illis coutinetur.

CAP. VII.

V. atque ita cute intenta, scalpello transuersam linea incidere. C. *transuersa.*

Quæ etsi sensum non vitient, loquutionem tamen purissimam corrumpunt: hoc enim sibi vult, vt transuersam cutim secemus, lineâ ductâ scilicet, incisionem molientes perquàm tenuem, ne musculus palpebram constituens vitietur.

V. ac si abscissa est, patescit foramen. C. *patefiet.*

Carunculâ per incuriam ablatâ foramen porusue confestim patefit, patescitque, vt habet Auctor, nempe qui spongiosa illa carnea tegebatur.

V. ne quid ex ipso abscindat. C. *abscindatur.*

Habet Auctor: *hîc quoq; diligenter temperatâ manu, ne quid ex ipso abscindat*, quæ clara sunt, & ad manum operantis referuntur.

V. Vbi intentæ venæ & recuruatæ sunt. C. *æquatæ.*

At venæ in affectu carcinomatis naturam sapiente, non æquantur, sed turgidæ, & inæquales cutim perreptant.

V. color pallet. C. *colore pallent.*

Partis color pallet, venæ autem subliuidæ sunt, non pallidæ, non-nun-

nunquam & violaceæ.

V. eoque cauo continet quiddam. — *C. eaque caua.*

Intra cauitatem, quam illa constituit.

V. Id autem superueniens ab interiore parte membranula includit, sub his gutta. — C. Locus corruptissimus ita castigandus est: *Id autem superueniens ab interiore parte membranula includit (sub his gutta &c.)*

Verùm nulla corruptio, nulla tandem medela, præter superfluam, inanemq; parenthesin.

V. sub his gutta humoris est. — *C. Gutta humoris*, intelligit το ὑδατοειδὴς, siue aqueum humorem.

Verùm, hoc est ex industria errare: habet namq; Celsus, dum prosequitur, *oui albo similis, à qua videndi facultas proficiscitur, χρυσαλλοειδὴ à Græci nominatur*; præterquàm quòd in sequentibus turpiter vitiat χρυσαλλ. in ἀραχνο.

V. à qua videndi facultas proficiscitur, — C. si, vt à causa, falsum: si vt ab Instrumento fermè pręcipuo, verum.

An non instrumentum ad causam reducitur? A Pupilla, & chrystallino humore videndi facultas proficiscitur, si per irradiationem fit visio.

V. interiori potentiæ se opponit. — *C. potentiæ videndi se opponit.*

Quæ necessitas, vbi de oculo ex professo, eius structura, & læsione agitur? indignum eloquentiâ Celsi, qui quartâ ab hac lineâ enunciauerat, *à qua videndi facultas proficiscitur.*

V. si amissâ naturali figurâ, in aliam vertit, — *C. vertitur.*

Meliùs, meo iudicio, *venit.*

V. loco lucido lumine aduerso. — *C. lumini aduersus,*

Quod faciem patientis illustret, tergus operantis.

V. sic

V. Sicut contra Medicus paulò altiùs ſedeat. *C. ſic vt contra Medicum paulò altius ſedeat.*

At inepta eſſet collocatio vtriuſque; nam neq; demittere, neque attollere debet manus Chirurgus in hac operatione, ob metum inconſtantiæ, & abberrationis extra medium ſitum. Igitur æqualis erit oculus ſuffuſus, loco manus Chirurgi ſedendo operantis; ea propter inferiùs neceſſariò ſedere debet, vt notat optimè Celſus.

V. Tum acus admouenda eſt, aut acuta, aut fortè non nimium tenuis, eaq; demittenda, ſed recta eſt per ſummas duas tunicas &c. *C. eſt acuta, aut certè non demittenda, ſed recta eſt per ſummas &c.*

Nullo ſenſu, & Auctoris menti perquàm aduerſo: Ille enim Encheiriam egregiè proſequitur:

Acus debet eſſe *acuta*, ne dilaniet. *Non nimium tenuis*, quò reluctanti humori, inque aliquam duritiem concreto, aduerſari valeat, illumque deprimere. *Demittenda eſt*, vt à ſuperiori parte ad inferiorem deturbet albuginem. *Recta*, ne violet. *Per ſummas duas tunicas*, nempè vbi cohærent, vuea, & cornea.

V. vt inferiori parti inſidat. *C. parte.*

At oculi inferiori parti inſidere debet; quod illicò declarat: *Si hæſit, curatio expleta eſt.*

V. & minùs latè officiunt. *C. latis.*

Concisâ acu, & in plures partes diſſipatâ *quæ ſingulæ, & faciliùs conduntur, & latè*, adde diphthongum, & ſententia clariſſima eſt, *& minùs latæ officiunt*; ob illarum ſcilicet exiguitatem non intercipiunt, aut obſtant ſpeciebus, vel irradiationi.

V. Deinde non neceſſario etiam in his. *C.* non *neceſſaria.*

Reſpondet ſuperiori, *neceſſario manſurum eſt*; vnde antiqua retinenda lectio.

V. lata etiam capita vix Medicinæ patent. *C. parent.*

Nem-

Nempè aditum remedijs præbent.

V. quæ supra os fluunt. *C. supra caluariam.*

Nulla necessitas variandi lectionem, potuit benè elegantia Celsi, qui superiùs caluariæ nomenclaturâ vsus fuerat, generico ossis nomine vti, absq; æquiuocationis, aut obscuritatis notâ, quum ponè caput specularetur.

V. post sanguine fuso. *C. post sanguinem effusum.*

Permitti debet fusio ob periculum inflammationis ex soluta vnitate; qua de re ille alibi: vide infra eâdem paginâ consimile consilium.

V. Valentior tamen medicina est. *C. Violentior.*

Malè: nam expeditissimus modus est, atque tutissimus, quo Aphri vtuntur: Venilegium crudele, tædiosum, fallax.

V. inter ceruicem, & frontem. *C.* inter verticem.

At ceruix, Celso, & melioribus, pars illa est, cuius limes frons est: hinc confestim prosequitur: *deinde ceruice resolutâ.*

V. qui maxillas tenent. *C. maxillam.*

Vnitas tenent, tam superiorem, quàm inferiorem. ne diducantur.

CAP. IX.

V. quod in leui mutatione. *C. mutilatione.*

In qua parùm, scilicet, receditur à naturali statu, sicque leuis fit mutatio in figura, neq; deformantur.

CAP. XII.

V. modò propter gingiuarum arescentium vitium. *C. madescentium.*

Si atrophiâ tententur gingiuæ, flaccescunt, contrahuntur, munimenq; gingiuarum concedit. Madescentibus rarò illud contingit, nam protuberant, ni vitium neruum tentet.

V. ne inflexis radicibus os earum. *C. os rarum.*

Scilicet maxillarum.

V. Quod

V. Quod ſi fractum ſtatim non eſt, indureſcit. *C. fractum intumeſcit.*

Celſi ſententia plana eſt: Si os maxillæ *ſtatim* in euulſione dentis fractum non eſt, ſed leuiter læſum, aut contraxit rimulam, maxilla occludit mentum, nempè in ſe concidit, atque *induratur, vt is hiare non poſſit.*

V. à pituitâ deducta eſt. *C. diducta.*

Vana correctio, non ſecus ac *forcipis* pro *forfice*, ab eo toties repetita, & particularum minimè neceſſariarum adiectio paſſim, quas quiſquilias naucifecimus hucuſque, naufaciemus poſthac.

V. ſuper dentes eam premeret, *C. promeret,*

Sed malè emendatur. Erat quidam, cui, à primo natali die, lingua cum ſubiecta parte iuncta erat, qui ob id nec loqui poterat. Huic frænum ſucciſum fuit, ita vt ad lubitum ſuper dentes eum premeret, quod fit in vocis articulatione, non *promeret*; nemo enim exertâ linguâ loqui, aut exprimere loqutionem obſeruatur.

CAP. XIII.

V. tunica exeditur. *C. exuritur.*

Adurentibus medicamentis aduri, ſi dicas, Romanam haud ſapit eloquentiam. *Exedi*, concinnè dicet Celſus, ex more.

V. Medio tumore vna linea inciditur. *C. medio tumor.*

Incongruè, præterque neceſſitatem. Si quid verò dilucidius expeteres, illud, *inciditur*, deformares in, *inducitur.*

V. oraq; vnâ ſuturâ iunguntur, *C. oræque vnà ſuturâ iunguntur.*

Vna ſutura dicitur, quæ non interrupta, ſed pellionum in morem peragitur.

V. intùs inſpergenda adurentia, linamentiſq; &c. *C. adurentia linamentis.*

Senſus Celſi eſt, vt remoueatur Ciſtis. Quod ni in prima curatione contigerit, abſumatur adurentibus; hinc curetur pars aduſta, quò decidat cruſta; ſimulq; velamentum medicamentis pus mouen-

tibus,

tibus, quæ linamentis excipi debent, vt parti insideant. Quid enim linamentis cum adurentibus, quibus potiùs sunt impedimento?

CAP. XIV.

V. omni frigore comminuitur. *C. non imminuitur,*

Improba emendatio: quandoquidem euidentia contradicit; contrahitur enim tumoris moles in herniosis præ frigore, vt calore laxantur cutis, & peritonæum: hoc verò & inferiùs cap. 18. repetit, inquiens: *frigore omni contrahitur, calore diffunditur.* Censore non refragante.

V. ab imâ parte latus extenuatum in ventrem est. *C. latus, extentus in ventrem est.*

Tumor in inguine ab omento prolapso latus est, dummodò obseruare liceat in ventre non distento. Hæc genuina Auctoris mens congrua obseruationi.

V. vt in vterum, *C. in ventrem.*

Translatitia voce vtitur Celsus, vt quidquid continet, respectu contenti, vterus dici valeat: continet autem Epigastrion omentum, & intestinum. Vide infra cap. 21.

V. vel in media circumsurgente quodam nodo. *C. medio circumsurgente quadam mora.*

Mentem Auctoris assequor, Censoris minimè. Monet Celsus, peractâ sectione in hydropicis imponendam metallicam fistulam. Cauet, ne intrò labatur, *vel recuruatis in exteriorem partem labris, vel.* Quid tu? *medio circumsurgente quadam mora.* At mentem Auctoris obscuras, non explicas. Præter enim suspicionem incongruæ loquutionis, quid sibi vult illa *mora?* An non recuruata labra morabuntur casum fistulæ? Probè igitur Celsus delineat genus aliud fistulæ suo cum retinaculo, ne illabatur in ventris capacitatem.

Cap.

CAP. XVIII.

V. Non nunquam autem stercore accepto. — *C. concepto.*

At minimè hoc fit per congestionem, verùm per detrusionem.

V. Testiculus eâ parte neque visu, neque tactu sentitur. — *C. neque nisu.*

Vt non transluceat.

CAP. XIX.

V. & insuper medicamentum, quo glutinentur. — *C. glutinetur.*

Non vulnus, sed fibulæ glutinari debent in præsentiarum.

V. linamenta super non fulcienda, sed leuiter tãtum ponẽda sunt. — *C. farcienda.*

Non comprimenda, neque arctanda pars duplicatis linamentis, vel consutis.

V. At cum infra incidi oportet. — *C. At cùm inguen.*

Scrotum, non inguen incidendum, quæ mens est Auctori.

CAP. XX.

V. Neque enim cum periculo lædi-tur, — *C. Neque enim nonnisi cum periculo.*

Si violetur membrana illa tantùm, quę mox est exscindenda, nullum adest periculum; nam intestinum sub hâc latitat, nunquàm supra hanc.

CAP. XXI.

V. quod in paruulo non est necessarium. — *C. malo.*

Idest, parùm si elabatur omenti: imò annectit confestim. *Si maius est, potest profusionem sanguinis facere.*

CAP. XXIV.

V. vt maiore vitio vacet, *C. maiore sui parte.*

Nempè præcauendum, ne membrum vniuersum corripiatur.

V. Tum fibulæ oris sic vinciendæ. *C. inijciendæ.*

Oræ Vulneris fibulis constringendæ, modo, quem statim nobis insinuat.

V. vt vnà simul & oras, & venas cicatrix deuinciat. *C. ima simul.*

Congruentior prior lectio; posterior, obscurior, forsanque incongrua. Demerem ego priori accentum,& legerem, *vna simul—cicatrix*, connectat scilicet vasa, partesq; dissociatas.

CAP. XXV.

V. & vltra notari debet. *C. infra.*

Infra, esset pubem versùs. *Vltra* notam, glandem scilicet versùs,

CAP. XXVI.

V. eos quàm maximè possit attrahere. *C. ea, nempè crura.*

At quanta difficultate illud contingeret, quisq; in se experiri valet. Præterquam quòd impedimento essent Chirurgo operanti. Manus igitur vtraque sub poplitibus poni debet, & diuaricanda parumper sunt crura, vt minori sint impedimento secanti, & quò cutis erugetur, magisq; extendatur. Præstabunt & hoc valentiùs manus ministri illius valentis, & periti, cuius femoribus insidet. Hoc explanatiùs videre est in paulò valétiore patiente, qui *super duorum genua eodem modo collocatur.*

V. qui circumstantes leuare, *C. leuari.*

Male; nam noui hi, qui aduocantur duorum præcedentium in adminiculum, his incumbunt, ne puer valétior eos locò dimoueat.

V. in cuius corpore nullum discrimen est. C. Hoc falsum; itaq; legendum, *colore.*

At

At æquè falsum de colore. Supplenda verò particula est, *educendo nullum* &c, nam peractâ incisione ex præscriptâ normâ, si minor, digitis facilè educitur; illis quidem impellentibus, ijs verò extrahentibus; si maior, tutissimis organis.

V. neq; æquè leniter renititur. — *C. æquè, sed leniter.*

Comparatur lapis hic arenaceus molli; ideò antiqua retinenda lectio.

V. compositus indicatur. — *C. iudicatur.*

Indicium præstant squamæ, non iudicium.

V. exiguus calculus, ad plagam vrina postea promouente, excidit. — *C. promouetur, & excidit.*

Nonne hoc est elegantiam Celsi corrumpere?

V. sic vt facilè eum concussum quoque teneat, — *C. concussus.*

At calculus, qui atteri debet, concutitur, non vncus.

V. quia is vrinā in ceruicem non compellit. — *C. quia eum vrina in ceruicem compellit.*

Oppositum è diametro sententiæ Auctoris: *is* ad scalpellum refertur, non ad calculum: *compellit* pro cogit, nam potiùs deuiat.

V. & venter imus, sed & mediocris est cum febre modica dolor. — *C. venter imus sedet, mediocris &c.*

Dixerat, *situs modica, & venter imus*, nempè non elatus, neque turgidus, quæ signa sunt inflammationis viscerum, & partium annexarum.

CAP. XXVII.

V. Is cognoscitur. — *C. his cognoscitur.*

Nempe Cancer.

V. cumque eo. — *C. ea.*

Valet pro insuper.

V. tenuesq; carunculæ lanulis similes. — *C. lamulis: Squamulis.*

Quas & obseruamus in vrinis habentium renes paulò calidiores, ob colliquationem carnium. Squamulæ verò nonnisi ab vlceribus sordidis eueniunt: hîc verò *vulneris oræ aridæ sunt.*

V. pars semper eadem sit. *C. ea sit,*

Scilicet, vt superior esse perseueret, ne admittat confluxum.

V. Vitabiturque eo tempore Ceratum, quod ad recipiendum id malum corpus emollit. *C. ad decipiendum.*

Nullo sensu, immò neque ratione. Mens Celsi plana, emollientia esse vitanda, quæ suapte naturâ partem dum laxant, fluxionem accersunt.

V. Potione opus est non modicâ. *C. non immodicâ.*

Repugnat huic correctioni statim Celsus. *Nam si parùm bibitur, accenditur Vulnus, & vigilia vrget, & vis corporis imminuitur.* Vitandus excessus, sed declinandum ad pleniorem potum, ob enarrata pericula.

V. in ipsum vulnus oriculario clystere agendus est. *C. adigendus.*

Impetu injciendus. *Agere æquos,* apud probatos inuenitur Auctores.

V. hisq; effusis, tum diutiùs pura vrina descendat. *C. supra vrina.*

Annua esset cunctatio. Puræ debet expectari vrinę descensus, quæ futura est signum nullius superstitis labis: Causa insuper, vt familiari humore extergatur vlcus, aut vulnus, quod idem est auribus Gelsi, non Constantini.

V. pedes quàm maximè vincti. *C. icti.* Alij, *iuncti.*

Sapientiùs posteriores: quid enim vult illud, *icti?* Vetus ergo retinenda lectio. Firmanda quandoquidem sunt crura, pedesq; pluribus loris, ne separentur adinuicem, sicque diducantur oræ vlceris, quæ coalescere debent.

CAP. XXIX.

V. donec iterum ad os aperiatur. *C. os adaperiatur.*

Opti-

Optima loquutio, *ad os aperiri*, vbi nempè membri ostium.

V. Ad cuius rei facultatem mul-tùm confert. *C. facilitatem.*

Nempè, vt id præstare, & facere Medicus valeat.

V. hebeti corpusculo. *C. enecti.*

Iam, nempè, marcido.

V. eleuabitur. *C. elabitur.*

Congruè dixisset, *elabetur.*

V. Quidquid protractum est. *C. prolapsum.*

At dum manus adhibetur, non prolabitur, quod vltrò labi significat.

CAP. XXX.

V. aluus acrius ducitur. *C. acribus.*

Valentiùs, quod & acribus, & non acribus fieri contingit.

V. quò magis oræ sic promoueantur. *C. ora.*

Vtraq; vox Celso in vsu est, *oræ, & ora.*

CAP. XXXII.

V. quæ ferè callosa efficit. *C. efficitur.*

Sed malè: nam sequitur Auctor, *vt extendi digitum non patiatur.*

CAP. XXXIII.

V. vt eâ quoq; parte aliquid os nudetur. *C. ossis.*

Aduerbialiter positum rectè.

V. vt in vulneribus, in quibus pus moueri debet. *C. non debet.*

An forsan per primam, quam dicunt, intentionem vniri partes heterogeneæ valebunt? quod indicat pag. 244. præcipuè in Gangræna Serpente.

LIB. VIII.

CAP. I.

V. & quà cute capillum gignente contegitur. C. *cingente.*

Nouum nobis est, quòd cutis capillum cingat; minimè nouum, quòd Capitis cutis capillum gignat.

V. atque ita inferiora ossa superioribus leniter insidunt. C. *infirmiora.*

Profectò inferiora illa ossa, vbi processus mammillares, haud infirmiora sunt, verùm robustiora. Squamosi verò illi processus non serratim iunguntur, sed vt noster habet Auctor, *leniter insidunt.*

V. qui tempora connectunt. C. *contegunt.*

At tempora ijs constant; quomodo igitur, si ipsa conteguntur? Connectere verò appositè dicuntur hi musculi Inferiores partes superioribus: nam extenuati sub processu iugali, rursùs facti carnosi implantantur inferiori maxillæ, nòmenque musculi masseteris, masticatorij scilicet, lucrantur.

V. aut superiorum dentium gingiuis. C. *maxilla.*

Inter dentium loculos visitur sutura illa, neque maxilla Celso dicitur, sed *os*, vt paulò infra.

V. maxillæ facultatem motus præstat. C. *facilitatem.*

Nisi illa intercederet articulatio, neutiquàm fieret motus. Igitur vetus lectio retinenda.

V. Quò fit, vt caput sursùm deorsùm versùs tuberibus exasperetur. C. *versùs moueatur, & tuberibus &c.*

Ridenda correctio planæ sententiæ. Sinus habet prima vertebra, quam

quam summam dicit Celsus, vt excipiat duo tubera, quæ capitis basi adnascuntur.

V. tum infra introrsùs leniter tendunt. *C. extrorsùs.*

At repugnat inspectioni, congruit quod habet Celsus: Nam femora leniter inflectuntur.

CAP. II.

V. aut loco mouetur. *C. luxatur.*

Nunquam verbo luxari vtitur Celsus in hac significatione, vt supra dictum est.

V. aut eradere, donec iam aliquid cruoris ostendatur, qui interioris nota est. *C. integrioris.*

Interioris scilicet statûs est nota.

V. Nam necesse est aridum sit, id quod vitiatum est. *C. cruoris expers, quod cariosum.*

Id quod verè vitiatum, non in via, quale est, dum primò pingue euadit. Qua de re superiùs.

V. caries altè descendens, per terebram vrgenda. *C. coercenda* *purganda.*

Vrgetur igne, scilicet, vt à sana parte morbida separetur.

V. sin autē nigrities est, aut caries. *C. nigrities* tantummodò.

An non & caries penetrat, inuaditque oppositam partem, non secùs ac faciat *nigrities*, quæ tamen vniuersum membrum inuadit; vt habet inferiùs.

CAP. V.

V. extrinsecùs singula in suas sedes. *C. intrinsecùs.*

At Chirurgia illa extrinsecùs administrari debet, quùm cauitas naris iam repleta sit.

CAP. VI.

V. abstinentia primi temporis. C. *primis temporibus.*

Nẽpè principij, quod enucleatè habet proximo cap. 7. Iterũq; cap. 9.

CAP. VII.

V. sub qua casu ferè dens super proxi- um dentem excedit. C. *quo excidit*

Maxillæ transuersę fractę alter dens supereminet; is scilicet, qui cum reliquâ continuatur maxilla, decidit alter, redditurque, respectu sui corporis, inferior, ob casum reliquæ maxillæ. Quapropter, vbi hæc suum in locum restituitur, æquanturque dentes; quibus iunctim continendis suadetur ligatura, donec illa coalescat.

V. Spina coxarum, os tali &c. C. *Coxarum os, tali.*

Costarum os, tali &c. sic emendo ego ex Celso cap. proximo, scil. 8. qui auctor negligit lectionem quinetiam *latum os*, sed reponit cap. cit. *latus, os &c.*

CAP. X.

V. Sæpè enim integra cutis osse abrumpitur. C. *cute os.*

Malè assequitur Auctoris mentem. In magno vulnere ossis ramenta nonnunquam emoriuntur, quæ natura suo tempore separat, atq; eijcit; nihilominùs ars huic opitulatur, extendendo vulnus, idq; *diùtius* præstando, non latiùs tantummodò, vt ille vult, sed in omnem requisitam dimensionem. Nam sæpè contingit, vt maiori incommodo Natura illud tentet, succeditque *protinùs dolor, & prurigo.* Quæ, .s. nuper enarrata, non *quã plagã, maturiùs oportet.*

V. frangi rursùs ossa, & dirigi debent. C. *dirimi.*

Iã fractũ dirimit; nil superest, nisi vt antiquã rectã figurã assequantur.

V. Nonnũquam autem rectè quidem ossa cæperunt. C. *cohæserunt.*

Subaudi, *coalescere.*

Cap.

CAP. XI.

V. Sed vt excidere omnes articuli non possunt. *C. articuli possunt.*

Falsum, præcipuè in ijs, quæ per gomphosim; neque verum in omnibus, quæ per enarthrosim, & synarthrosim.

V. neq; reposita sunt. *C. neq; repositi*, .s. prolapsi articuli.

Ossa non reposita non aluntur astrictis vasis, per quæ deferebatur alimentum.

V. Omniumq; quæ loco suo nõ sũt, caro ea increscit, magisq; &c. *C. caro in ea magis increscit, magisque &c.*

Non assequitur Celsi mentem. Commune est ossibus cunctis, extra proprium locum existentibus, non augeri. Carni verò subiectæ idem contingit, ijsdem de Causis; superiori verò non impeditæ secùs contingit. Hinc sententia Auctoris plana: *Caro ea increscit, magis quæ in proximo membro, quàm in vlteriore.*

Et, quod obiter dixerim ad inustam Celso negligentiæ notam à Constantino, tanquam prætererit curationem luxatæ Clauiculę, rememorare animo debebat, quæ Celsus de Iugulo tam fracto, quàm luxato habuit cap. 8.

CAP. XV.

V. & victus cubitus recedit à latere. *C. ei vinctus eiectus.*

Necessitate adactus cubitus recedit à latere, nam humeri caput illũ propellit.

V. Medicus caput quidem hominis sinistrâ debet repellere. *C. humeri.*

Vt maiori conatu collimet in articuli restitutionem, & ne trahenti infirmus obsecundet, ideò repellitur.

Sic tædiosâ absolutâ lectione, quãquàm non infrugiferâ, iucundioribus auscultandis in posterũ inuitamur nost o à Censore, cui bonã precati NOCTEM, discessimus, festini redituri in crastinum.







NOX GENIALIS NONA.



NOX aderat, festiuiq; conuenimus GENIO litaturi, dum interim nescioquis sodalium educeret è scrinio magnum volumen, instantis VIGILIÆ solidum apophoretum. Inspecto Titulo sciscitabamur, quomodo hùc aduolasset tardigenda lucubratio. Narrabat quidam ex nostris, tentatam olim fuisse editionem, verùm effectu caruisse, Auctoris culpâ. Siquidem, dum nimis cautè scrutatur, quæ futura sit mens Principi Viro, cuius erat cliens, si censura vulgaretur in nouam Methodum, ancipitem intellexit, atq; dubium. Quapropter ad tempus suppressit, inque Musæi angulo delitescere permisit ad instantem vsq; diem. Hanc ego, dicebat, blattis eripui, inque vestrum conspectum è diutinis tenebris in medium adduco, ratus non iniucundam vobis fore, qui Genio indulgetis. Nam deuium Professorem vrbánè in viam reuocat, excitat Medicinæ lumina, transfugæ naufraganti portum indicatura. Vellicat, ludit, illudit, nullum non mouet lapidem, quô moneat erronem Apollineæ Arti iniurium, cunctisque noxium. Præfixerat hic pro Emblemate Pugnam Apum, vnà cum Virgiliano,

Pulueris iactu quiescuntur. Hoc explicabat emendicatus Encomiastes. 4.Georg.

Vt furor, atq; feris apibus crudelia bella
Iactu sedantur pulueris exigui;

Sic

Sic duce Vernichio, quem Marcus porrigit, iras
Succorum, & febres protinus eripiet.

Huic opponit, vt videtis, noster Antagonista elatum dudū puluerem, mox deciduum, simul, & cū inscriptione SPONTE SVA à Flacco mutuata. Nam qui præ ambitionis, vulgiq; fauore in Cælum conscendere videbatur puluis, ventoso patrocinio viduatus, antiquas repetit sedes, calcandus in posterùm, aut in lutum concessurus. Reddit necnon ipsi sua carmina, parùm detorta, sed veritati congruentiora.

In Epod.

Puluere nitrato muris propellitur hostis,
Hoc ægros perdes puluere quot quot habes.
Puluis eras olim, modò viuens, inde futurus,
Aut nil, aut saltem post tua fata cinis,
Ergo nihil, aut puluis eris, qui à puluere viuens
Factus, & à fatis gloria puluis eris.
Puluere nunc vno mortales perdere mille,
Cornacchine tibi gloria maior erit.

Lusit in hominem puluere se necantem D. Stephanus Rod. de Castro eiusdem Pisani Athenei Supraord. Professor; qui misero sibi manus tandem inferenti, sic parentabat.

Nondum puluis eram, puluere pessimo
Demens coniycior puluerem in vltimum.
Quod si non fieret, puluere pessimo
Plures coniycerem puluerem in vltimum.
Euenit misero sic mihi talio.
Si nondum Medicus Puluereus cauet,
Hospes tu Medicum Puluereum caue.
Gaudent Tartareo puluere Tartara,
Hanc escam, moneo, Dæmonium voca,
Quam dat Scammonium, quam Stybium tibi.

Quibus auditis Senex Eudemus, inquit: par est, vt tu, qui conscius, atq; Promotor, recites nobis fideliter, quæ scripta sunt. Assentiebatur homo; quapropter indicto silentio, sic exorsus est ille.

DIA-

DIALOGVS.

CERBERVS.

Prooemium, & Introductio ad Disputationem.



Auarchus. Euigila, surge festinus Vector: adhuc ne stertis? *Vector.* Cur placidissimum inuides mihi somnum? dic, sodes, Nauarche, portumne tenemus? *Nau.* maximè. *Vec.* proh quam fæliciter mare tranauimus. Heus vos, meas exponite confestim in littore sarcinulas. *Nau.* cauesis, mi homo; *Vec.* cur prohibes? *Nau.* An non vmbrarum turbam conspicaris? *Vec.* Dij talem auertite pestem: cõcedamus actutum, quid cunctamur? Myriades irrumpunt fumoso ex antro. *Nau.* insiste conto. *Vec.* insisto: at cur non priùs nauem soluisti à præstigiosa Islandiæ arena? *Nau.* vetuit iratum mare. *Vec.* luctemur, superemus Isthmum. *Galenus,* Cuncta sunt in tuto, procede Præceptor egregie. *Hippocrates.* caue canem. *Gal.* nunquam apparet, secùs nullus sum. *Hipp.* verùm ille æternùm latrat. *Gal.* profectò audire mihi videor è longinquo latratus. *Hipp.* falleris, allidit mare cauis specubus vndas. Fruamur tranquillo animo lucis vsurâ. *Gal.* quis, putas, sæuam abduxit bestiam, an Hercules? *Hip.* præstitit hoc, & aliàs gentilis noster. *Gal.* percunctemur Nautas. *Hipp.* fac vt libet. *Gal.* Heus vos remiges. *Via.* incassum luctamur. *Nau.* compellant nos vmbræ. *Via.* abeant in malam rem. *Nau.* inurbanum est percunctanti negare responsum. *Via.* ecquis percõtatur? *Nau.* vt video per caliginem, Vir est matura ætate, prolixa barba, promissa veste, cuius dextero lateri iungitur Senex quidam pileatus. Græcos dicerem puriori luce. *Gal.* audistis, an non? *Nau.* probè. Quid vobis vultis? *Gal.* hùc accedite

dite parumper. *Via.* cauesis facias, *Nau.* at facit mare, vel nobis inuitis. Satiùs est proindè obsequi, ne iratæ officiant. *Gal.* Dic Nauarche, vidisti ne Cerberum? *Nau.* & vidi, & horrui. *Gal.* latitat, an mare tranauit? *Nau.* ignoro, vbi sit gentium. *Gal.* aufugit ne sponte, an vim aliquis intulit? *Nau.* neutrum, sed Macerrima Cornicula, fulta Patrono, bellum pellexit *Gal.* ædepol sat garrula, quæ trifaucem superauit latratum. Quorsum abiêre? *Nau.* ignoro prorsus: incertæ, puto, per insulam vagantur, Nauclerum dum quæritant. *Gal.* quorsum concessuræ? *Nau.* Hesperiam versùs. *Gal.* iratos habet Deos fœlicissima regio? *Nau.* nunquam tali merce meam onerabo nauem. *Gal.* quæ mens ambobus est. *Nau.* demens, ni fallor: ades dum, Vector conscie. *Gal.* dic tu, quo promotore fugam meditantur? *Vec.* vt audiui, Dynastes quidam Brittannus, non imi subsellij, patriam expurgare satagens, stygium canem incauto cuidam per manus tradidit. Hic bestiæ blandiens, illamque exornans, abduxit non repugnantem. Sed eccum ipsum. *Macer.* Facis ne mihi iniuriam, an non, mendax Nauclere, qui moras dudum nectebas, mareque causabaris feruidum? Naulum obtuli, illudque copiosum; cur nos recusas, hosque introducis? *Hipp.* ira cadat naso, rugosaque sanna. Vmbræ sumus. *Mac.* non ego cum laruis luctor; cuias eras? *Hipp.* Cous. *Mac.* nomen quale tibi? *Hipp.* Hippocrates. *Mac.* Hippocrates ne ille ex Asclepiadarum familia? *Hipp.* ita fui. *Mac.* salue carum caput. At tu qui es? *Gal.* Galeni vmbra. *Mac.* saluos vos esse opto Medicæ artis numina, & lumina: quam opportunè adestis, Præceptores inclyti; statarij ne estis in hac diuisa ab orbe plaga. *Hipp.* laxata orci custodia erupimus è nocte profunda optatam captaturi auram. Verùm tu dic nobis, vbi moratur ingens illud monstrum? *Mac.* cubat hians. *Gal.* aucupatur mellitam offam? *Mac.* non credo, sed nostrum præstolatur reditum. *Hip.* Quod nouum tibi commercium cum Cerbero, circumforaneus ne forsan es, indeque expectas lucrum? *Mac.*

ingens,

ingens, & gloriam. *Hip.* explica nobis ænigma, ſi placet. *Mac.* militaui diù inglorius veſtris in caſtris, pedes, non eques, nunc verò patriam repeto triumphans, opimis ſpolijs onuſtus. *Hipp.* barbam, & pallium video, ſpolia non video. *Vec.* apponet illa forſan Cerberi dorſo. *Mac.* futura ſunt certiſſima, noui curioſa ingenia noſtratium. *Gal.* exhorreſcent, ni fallor, qui vel latrans, exangues nos territat vmbras. *Mac.* Pharmacum hinc paro. *Hipp.* merum virus mortalibus. *Mac.* verùm meâ cicuratur arte. An non & veſtrâ induſtriâ ceſſit in hominũ auxilium quicquid mittit Antycira? *Hip.* at nunquam Aconita dira. *Gal.* mera Cerberi ſputamina. *Mac.* fabulæ ſunt *Vec.* caligat miſer, vel cæcutit comitem diſſimulans monſtrum, cui

—Sordidum
Tabo caput lambunt colubres, viperis
Horrent iubæ, longiuſque torta ſibilat
Cauda Draco, par ira formæ.

Mac. formidoloſos primum confirmo licitatores, *ne ceu pueri voces, quæ ad timorem proponuntur, timeant, ita viriles animo nominibus res, quibus puluis conficitur ſignificantibus auditis terreantur.* *Gal.* Sat eſt ſi etymon Cerberi audiant. *Mac.* explico ego κρεον βόρον; carnem vorans. *Gal.* appoſitè. *Nau.* parcet comiti, ſi dentibus bene vult, nam corporaturam nactus hic eſt cornu aridiorem. *Mac.* Beſtiæ tricipitis, quod nuſquam factum antehac, ſingulæ ceruici nomen aſſigno, Antimonij, Scãmonij, Tartari. *Nau.* papè! quàm appoſitè. *Vec.* & ridiculè *Mac.* ex his noſter cõflatur puluis, qui *ægritudinum humoralium* alexicacos. *Nau.* contundet igitur Cerbero capita: res in vado eſt. *Vec.* niſi mutuam ſumat ab Hercule clauam, haud ſuccedet. *Gal.* quid igitur, ligurit, & ſorbet canis iſte ſcænicus? *Mac.* præſtat vtrumque; parùm dixi, cuncta abſoluit in curandis morbis à repletione obortis. Vin ſyngrapha producam? *Gal.* non vacat tempus. *Nau.* Agyrta homo hic eſt. *Mac.* *Quapropter poſſumus, venia mihi danda eſt, nos puluerem hunc ſuper omnia alia pharma-*

pag. 13. pag. 28. pag. 31.

ca

caextollere. *Nau.* quorſum abijt Cerberus? *Vec.* latitat hominis in cerebro, aut vacua ſpatiatur in caluaria. *Hip.* contrahe quæ dicis, odi longas ambages. *Mac.* dictum, factum. Puluerem poſſideo, quo ſolo morbos generatim pello, cauſas tollo, páco ſymptomata; hunc exhibeo quorumcunque morborum in principio, quin ipſo paroxiſmi articulo. Euacuatio per ipſum facta, illam non parùm ſuperat, quæ vel per venæ ſectionem, vel per cętera medicamenta ſubductoria pręſtatur. Febres putridas pulueris iſtius beneficio ſpeciatim tolli, non ſolùm non experimentis, verùm etiam nec rationi, vel Galeni, nec aliorum Veterum placitis repugnare demonſtrabo, ſi opus fuerit. *Gal.* apagè enorme paradoxum. *Mac.* niſi illud euicero, me tibi mancipiũ do. *Nau.* eueniet quod ſui canunt Etruſci;

Poco guadagno con perdita molta.

pag. 9.

Cautiones in propinando puluere ventilantur.

p. 19. » *Mac.* En opus aggredior: Duo ſunt potiſſima organa iudicandi, alterum eſt ſenſus, alterum ratio, vtrumque accipiendum, ac retinendum. Quamobrem puluerem, de quo loquimur, ſine venæ inciſione, vel alterius medicamenti, ſiue lenientis, ſiue ſoluentis vſu, humorales vocatas ægritudines, humores qui illas excitant, blandè per aluum educendo, & lenire, & finire, innumera ac propemodum infinita teſtantur experimenta, partim ab Illuſtriſs. Comite, partim ab alijs præſtantiſſimis Medicis Florentiæ, ac Piſis publicè Medicinam profitentibus, partim quoque à nobis ipſis experta, atque perſpecta. Qui verò tali medicamẽto conualuerunt, adhuc ſunt inter viuos; poterit vnuſquiſq; ex proprio ipſorum ore, vera ne, an falſa ſint, quæ diximus, accipere; vel ex eorundem chirographis, quæ tum apud Comitem ipſum, tum apud me fideliter ſeruantur, manifeſtè, ac certo deprehendere. Præter modum enim, ne dicam, in infinitum, creſceret opus, ſi vnumquemq; ſingillatim attin-

p 20.

attingere vellem, qui cum aliqua ex humoralibus affectionibus priùs laboràsset, mox sine venæ sectione, aut alterius medicamenti subductorij ingestione, istius pulueris auxilio citò, suauiter, ac tutò, voti compos factus est. *Hip.* an omnes conualescunt? *Vec.* neutiquam: numeraui funera. *Mac.* Si quandoq; contingat, vt semel exhibitus puluis non ea præstet, quæ dicta sunt, is ad memoriam reuocare debet, quæ tu, Galene, obsignaueras, & nos paulò infra subiungemus. Neque ob id Medicus cordatus animo cadere debet, propterea quòd puluis plenè, & perfectè suo munere functus est, & tunc nil aliud sollicitè tentandum. *Gal. si plenè, & perfectè*, cur non euanuit morbus? si nondum euanuit, cur *nil aliud sollicitè tentandum? Mac.* ratio est in promptu è visceribus nostri Hippocratis eruta; nam *quæ iudicantur, & iudicata sunt integrè, neq; mouere, neq; nouare aliquid, siue medicamentis, siue aliter irritando, sed sinere. Hip.* deuiat erro. *Gal.* Ars ne facit crisim, an Natura? *Mac.* sed promouet illa, atq; iuuat. *Gal.* impedit necnon quandoq; inertia. *Hip.* an excidit tibi illud nostrum; *Naturæ morborum medici, nos autem ministri?* quorsum igitur illud, *quæ iudicantur? Mac.* nimis seuerè mecum agitur, lis est de nomine. *Vec.* melius dixeris de re per nomen significata. *Mac.* at nomina sunt ad placitum. *Nau.* nuncupabisne remum gubernaculum? *Mac.* tace præpudiose *Nau.* quod & te dudum fecisse satiùs erat. *Gal.* prosequere. *Mac.* si diminutè, & simul cum doloribus, *atque torminibus. Vec.* quod frequentissimè contingit, vt audio. *Mac.* tunc vel Clystere aliquo defectui supplendum est, vel iterum maiori dosi eundem nobis exhibendum. *Vec.* caue ferulam. *Hip. Pharmaca verò, quæcunque purgant bilem, aut pituitam, in ijs pericula sunt, & culpa medentibus imputãtur, quã maximè igitur ea euitare oportet. Mac.* quemadmodũ cuidã acuta febre laboranti contigit. *Gal.* exulat igitur nonnunquã illa tua securitas. *Mac.* sed artificis vitio, iustam non præscribentis dosim, vel decentem misturã. *Gal.* quomodo decens? *Mac.* ex pelui. *Nau.* coniector est.

Pag.24.

2. de Rat. Vic. in Ac. ca. 11.

li. 1. Aph. 20.

6. Epid.

Pag. 25.

Hipp. lib. de Affec.

Hip.

1.aph.23 *Hip.* an nescis, quòd *deiectiones non multitudine sunt æstimandæ, sed si talia deijciantur qualia conuenit*, signum autem rei euidens est, quòd *confert & leuiter ferunt, sin minùs, contra. Gal. Sermo igitur nunc ipsi est de qualitate eorum, quæ vacuantur. Sicuti autem semper adhortatur, vt quæ rectè à Natura fiunt, etiam in artis operibus Medicus imitetur, sic & nunc idem agit à spontiniis euacuationibus suam exorsus orationem, in quibus, si qualia oportet purgari, purgentur, hoc est ea, quæ corpus infestant, confert, & leuiter ferunt. Quod si aliorum fiat euacuatio, & non eorum, quæ corpora nostra molestant, contrarium euenit: neq; enim confert, & grauiter ferunt ægrotantes. Quare non tam ad vngue m eorũ, quæ euacuantur, oportet qualitatem examinare, sed duas, quæ dictæ sunt notæ, si qualia oportet euacuantur, et si facile tolerant. Hipp. Medicamenta fortia à natura in debilibus morbis dare non oportet, neq; paucitate Medicamenti debilitas ipsius facienda est. Sed fortibus natura, fortibus pharmacis vtendũ est, debilibus verò pharmacis non fortibus.*

1. aph. 2. Gal. in comm. — cit. aph. 2 — Hipp. de l. c. in homine.

Vec. Sat illi tunc est turbâsse vniuersam humorum saburram, vt qui vno calopodio omnes calceet. *Mac.* Transtra preme procax. *Vec.* Vector sum, & Artis Apollineæ orgijs initiatus. *Mac.* decet te proinde silentium, Pythagoræ ad normam præsertim vbi intersunt Medicinæ Præceptores. *Vec.* Verũ tu cur garris, inque illos insultas? *Mac.* Insulton' ego? *Vec.* Tu qui immerentes distrahis, torques, vt extorqueas prẹconium malæ tuæ mercis. *Mac.* Cœcus non iudicat de coloribus. *Vec.* verè cœcutis tu annosa Cornicula, quæ lucem auersaris perfuga. *Mac.* bona verba quẹsò. *Vec.* pro malefactis repono. *Mac.* quis te Censorem constituit? *Vec.* aliorum miseria. *Mac.* quæ miseria? *Vec.* antiqua, & nupera. *Mac.* Miser verè es tu, qui fluctuas. *Vec.* at longè miserrimos reor, quos mergis ægrotos, dum experimenta per mortes frequentissimas agis. Qua de causa meritò explosus fuisti, tuo cum puluere, à Florentino Nosocomio. *Gal.* committamus, si libet, Præceptor, Vectori disputationis onus. *Hip.* erit è dignitate nostra. *Vec.* vide quàm comis tecum

sim,

ſim, nupera examinemus, vetera tibi condono: quid miſerum ægrum excarnificas, duplicaſq; malum iterata pulueris exhibitione? excidit ne tibi, quid *Tormina* ſignificēt in Latio, quidue indicent in Græcia? *Mac.* at fluxus fluxu curatur, ex Hippocrate. *Vec.* verùm inteſtinorum difficultas haud noua difficultate. *Mac. tormina* ſunt mihi in præſens ſæui dolores. *Vec.* hæc proinde tua erit phraſis, & norma, *dolores ſæuis doloribus.* Vlteriùs progredior ſæuitiæ cauſam ſciſcitaturus. *Mac.* plures illæ ſunt. *Vec.* recenſe, ſi libet. *Mac.* obſequor. In primis facultas expultrix ſtimulata, Pharmacum ſtimulans, humor reluctans. *Vec.* cur reluctatur. *Mac.* quia non æquis ſtimulis vrgetur. *Vec.* dic ſodes, familiaritate, an hoſtilitate trahunt humores purgantia medicamenta? *Gal.* caue poſtremum; familiarem nanque tantùm alliciunt humorem. *Vec.* obſecundat proinde facultas, neque trahit, neque trahitur. *Mac.* quid tum? *Vec.* mox audies. Cùm igitur facultas non ſit primum mouens, ſed primo mouenti, nempe, pharmaco, obſecundet, pro ſtimuli modo ad expellendum inſurget, parcè ſtimulatur, parcè expellet, cæteris paribus. Minor virtus minori ſub Medicamenti mole: vix ſupereſt igitur alliciendus humor. Sciſcitor ego, cur rebellis hic, atque contumax nunc renitetur? *Mac.* quoniam ineptus. *Vec.* aptus ne fiet actutùm. *Mac.* cui dubium? *Vec.* mihi, & alijs forſan, quod audies ſuo loco. Duplicis interim criminis te feciſti reum, & quòd purganti miſcueris importunum auxiliare, qua de re in poſterùm, nec non quia Hipp. mentem malè fuiſti aſſequutus, præpoſteram eligens materiam, vt corpus fluidum redderes, immuneque à ſymptomatibus, qua de re conſule Galenum. *Gal. Nobis verò qui extenuante vtimur victu, de quo integrum ſcripſimus librum, nihil horum contingere conſueuit. Vec.* in viam redeo, atque percontor, quo fato ductus repetis purgationem in craſtinum, vbi malè tibi ceſſit, nec abſque vitæ diſcrimine. Noxæ illæ ſunt, vt audiſti ex Galeno, fieri conſuetæ tunc, quum viæ incurioſè

[Margin: C. l.4. Cæl. c.16. — 2.Aph.9.]

præparantur. At repetitum pharmacum duplicabit mala, & corporis æconomiam ſubuertet. *Mac.* grauius nihilominus afficiuntur hi, quibus *puluis* in maiori quantitate exhibitus fuerit, quàm patientis natura poſtulet, nam vacuatio ſupra modũ ſequitur, ex quo, & laſſitudo, ſitis, diarrhæa, dyſenteria, febricula excitatur: vtcunq; tamen ſit; ſi experientiæ eſt ſtandum, præſertim in purgatione, quod placuit Hippoc. & potiſſimùm in ea, quæ per medicamenta purgantia molitur. Hæc enim, Galeno auctore, per experimenta inuenta ſunt, non demonſtratione aliqua. *Vec.* quid ſibi vult tua hæc farrago? *Mac.* probare intendo quòd purgatio benè, an malè ſit adminiſtrata, ex experientia conijciendum. *Vec.* acta agis, farraginem poſthac cribrabimus; proſequere. *Mac.* Poſtea igitur quàm, qui puluere ſeruati, omnibus vſi fuerunt, omnes beneficium receperunt, nullus ferè noxam; conſtat Medicamentum hoc ad quaslibet ægritudines à copia, vel mala qualitate humorum factas, profligandas ſaluberrimum eſſe. *Vec.* vide, quàm diuerteris ab inſtituto. *Mac.* men' rudem in rebus logicis exiſtimas? *Vec.* ſi experientiæ eſt ſtandum, ex tuo præſcripto; aut rudis es, aut obliuioſus, qui paralogiſmum nobis in præſens pro ſyllogiſmo diuendere conaris. Numera terminos, pondera propoſitiones, damnabis profectò, ſi ſapis, inertem inferendi modum. Confundis inſuper purgantis electionem cum quantitate: falſa aſſumis in minore, nectis ſeperuacanea, ridicula inducis, aut Grãmaticorum auribus moleſta. *Mac.* indica poſtremum hoc; ſecùs purus, impiuſque eris mihi calumniator. *Vec.* dicebas dudùm, *quòd experientiæ eſt ſtandum, præſertim in purgatione, & potiſſimùm in ea, quæ per medicamenta purgantia molitur.* Vtra harum purgationem molitur, experientia, an purgatio? *Mac.* neutra, ſciole, adhuc erudiendus à Grammaticis, quorum onus nunc ſubeo. Valent illa noſtra, ac ſi dixeris, in ea purgatione, quæ fit per medicamenta purgantia. audis, an obaudis *Vec.* audiui Grammaticorum auribus incongrua, cunctiſq; ridicula

pag. 25.
pag. 26.

dicula. His te repaſtinandum expone in poſterùm; hinc conſule Dialecticos, qui te docebunt illationem ſequi neceſſariò deteriorem partem præmiſſarum, neque licere impunè ex particulari propoſitione vniuerſalem inferre concluſionẽ. Et quod grauius, nonniſi illam ritè elici, quæ virtute continebatur in præmiſſis, ſecùs quàm præſtet noua tua hæc Logica. *Mac.* pugnabo modò rationibus, vt conſtet, quid valeam. *Vec.* Laudo inſtitutũ; nam elumbis hæc tua, riſum, vel ab Heraclito extorſerit. *Mac.* ſic procedo. Omnibus malis (hoc eſt rebus, quæ præter naturam inſunt) obiectu contrariorum eſt occurrẽdum: Ambigis, ne de eo, quod omnibus eſt in confeſſo, etiamſi primis, vt dicitur, labijs medicinam guſtauerint? *Vec.* non deerunt, qui illud faciant. *Mac.* at bardi ſunt, nebulones frugiperdæ. *Vec.* Parce titulis, aliquid tibi reſerua. *Mac.* Iratos habeant Hip. & Gal. manes, qui non ſemel nobis inculcârunt egregium axioma: *Contraria contrariorum ſunt remedia*. *Vec.* cui tamen refragantur Hermetici, à quibus Cerberum mutuâſti. *Hipp. per ſimilia morbus fit, & per ſimilia adhibita ex morbo ſanantur.* Eſto admittant cuncti: maior tamen illa tua propoſitio nulli non eſt ſuſpecta. *Mac.* quid carpes Cenſor? *Vec.* malè præficis in primis *malum* rebus præter naturam: Synonyma enim ſunt morbus, & Malum. Deinde non omnibus rebus præter naturã impenditur curatio. *Mac.* merum mendacium. *Vec.* ſcilicet illud, cui patrocinaris. Dic ſodes, quod contrarium aſſignas ſymptomati? *Mac. nonnunquã etiam ſymptomatis contraria ſunt adhibenda*, ſuaſore Galeno. *Vec.* at dictũ *de omni* pugnat cũ tuo *nonnunquam*. Et ratio eſt, quia ſequitur ſymptoma morbũ, velut vmbra corpus, ac proinde nulla ſymptomati debetur curatio, niſi quando euadit in morbum, aut in morbi noui cauſam, eodem Doctore, quem dudũ laudâſti. *Mac.* non diffiteor morbis per ſe, & primò deberi curationem per contraria, verùm curatio legitima à ſublatione cauſæ incipere debet, ſitque mi-

pag. 26.

Hipp. de loc. in homin.

De diff. ſympt. c. 2.

 hi pro

pag. 27. hi pro minori propositione. *Vec.* infer., si libet, *Mac.* neque libet, neque vacat. *Vec.* inferam ego: Igitur sublatio causæ debet fieri per contraria. *Mac.* his annecto confestim ego. *Vec.* festina lentè, mi Macer, habeo quæ censeam. *Mac.* stat, te inuito, conclusio. Minori patrocinabuntur Hippocrates, & Galenus; Agè, fare Coe Præceptor, tuque Pergamene, aut saltem committe Hipp. *ad causam deuenire oportet, causarumq; principium.* Tuque Galene obseruâsti, & litterarum monumentis tradisti, *quod sæpè numero vnà cum ipsis, & morbi, qui ab ipsis fiunt destruuntur.* Salua res est, annuunt. *Vec.* teque irrident, *Mac.* an superfluus fui? *Vec.* quin mancus; audi loquentem. *Gal. sed nunc de ijs, quæ adhuc fiunt morbis, sermo à nobis habetur. Liquet igitur, quòd vna cum causis ipsis facientibus necessariò destruuntur.* *Mac.* Iliensis Tragædos conduxit. *Vec.* quid blateras? *Mac.* Galenus à te inductus egregiè nostra confirmat. *Vec.* quin infirmat, meritòq; irridet supinam tuam oscitantiam. Ad nos quod attinet, duplex est genus morborum, in fieri, & in facto esse. Morbi, qui fiunt, præsentem habent causam, quæ tolli debet, idque demũ per contraria; at qui facti sunt, causâ vacant. Contrahe igitur tuam minorem ad priores, inferes tandem. Igitur sublatio causarum in morbis, qui fiunt adhuc, fit per contraria. *Mac.* hâc tuâ censurâ sat meum extenuâsti censum. Annectam tamen, vel te inuito. Sed duæ sunt ex toto internæ morborum causæ, repletio nimirum, & euacuatio. *Vec.* quod nego, & pernego. *Mac.* infestos habebis Præceptores. *Vec.* Immò auxiliares. *Mac.* indicabit euentus. Dic tu, nonne Hippocrates nostris fidem faciet, dum Medicinam dixit *adiectionem, & ablationem.* *Vec.* latiùs hæc patent, quàm repletio, & euacuatio. An putas te circa dolium versari? Curtos quo succo replebis? sextum digitum manus, quo pharmaco euacuabis? Curat tamen Medicina curtos per insitionem, adimit Chirurgia digitum superfluum. *Mac.* verùm tales aspernantur limitatiunculas, quæ idem auctor producit in Aphorismis, *si menstrua plura fiant, morbi accidunt,*

4. Epid. s. 4.

libb. de flat.

cidunt,

cidunt, & si non fiunt, morbi ex vtero contingunt. Et rurſus: *conuulſio fit, vel à repletione, vel ab inanitione.* *Vec.* non eo inficias morbos nonnullos fieri ex repletione, alios ex inanitione, at illud inficior; quod tu aſſumis, duas nempè ex toto eſſe cauſas morborum. Nam cum morbi in triplici ſint differentia, pro diuerſitate ſubſtantiæ, cui contingunt, intemperies ſimilaribus, in mala compoſitione diſſimilaribus, in ſoluta vnitate, vtriſq;, quibuſdam horum vix præfici poſſunt tuæ illæ vniuerſales cauſæ, repletio, & inanitio. *Mac.* cur non intemperaturis? *Vec.* quia nonniſi per accidens; nam intemperatura, vt ſic, ſolis tollitur contrarijs: audi Præceptorem. *Gal. Cauſarum verò facientium abolitio fit ex contrarijs. Si enim ex refrigeratione morbus fiat, curatio eſt per calefactionem, ſi verò ex calefactione, per refrigerationem. Sic etiam, ſi propter repletionem morbus conſtituatur; tunc oportet repletionem euacuare, ſicut & ſi propter euacuationem, reficere protinùs conuenit.* *Mac.* illud ſaltem conſtat, intemperiem, & fieri, & conſeruari ab humoribus. *Vec.* non negamus, & iungi nouum, & foueri intemperaturas à materia, verùm non per ſe intemperiem facit materia, ſed quatenus tali qualitate ornata, tuncq; dicitur per accidens, & non per ſe intemperiei cauſam eſſe, vel fomentum. Diuerſis ſub generibus primis militant hæc; repletio, & inanitio ſub quanto, intemperies qualitatis ſequitur ſigna. *Mac.* Dic mihi Logicaſter, quo ingenio refrigeratum ab interna cauſa, calefacieſne hypocauſto, an ſanginem ad partem reuocabis? *Vec.* vtroq; ingenio, quandoque, & ex his nullo. *Mac.* purus igitur eris ſpectator. *Vec.* minimè, verùm ſedulus Actor. *Mac.* ne patiaris, quæſo, Medicinæ coryphæe, meam in præſens vacillare apud hunc fidem. *Hipp. quæcunque refrigerata ſunt excalefacere oportet, exceptis ijs quibus ſanguis fluit, aut fluxurus eſt.* *Vec.* iam ne tibi factum ſatis pro noſtro ocio? audi modò quid præſtaturi ſimus in negocio. Reuocabimus in refrigeratis calorem omnibus ingenijs, externum non recuſabimus, quoniam internum fouet, illique adminiculatur. His præcepto-

5. Aph. 57. 6. 53.

2. Aph. c. 2.

5. Aph. 15.

ceptoribus, aduocabimus sanguinem, nisi hæmorrhagia immi- neat, quoniam calorem includit, licet per se frigidus sit Coo Præceptori, & Aristoteli, cunctisque rectè philosophantibus, non secùs, ac euenit in aqua calida. Contrahamus igitur vela cominùs pugnaturi; conclusio illa tui paralogismi nostrâ operâ iam emendata, sit pro maiori propositione. Sublatio causæ in morbis, qui fiunt adhuc præstatur per contraria, sed causæ particulares, & vt plurimum per accidens, quorumdam morborum, & intemperierum præcipuè, sunt repletio, & exinanitio, vel euacuatio, vt tibi morem geram; igitur tolli hæc debent per contraria. *Mac.* hucusque non malè. Adde incunctanter. Sed contraria sunt ad inuicem repletio, & euacuatio. *Vec.* condono & nunc tibi abusum vocis contrarij, loco oppositi. *Mac.* inferam, ergo repletio curatur per euacuationem, vt euacuatio per repletionē. *Vec.* At in hipercatharsi, quomodo euacuatum humorem reuocabis? *Mac.* sanguinem generantibus. *Vec.* verùm hæc non respiciunt defectum particularis humoris. *Mac.* sat tibi sit, quòd in sanguine sunt omnes humores. Attende nostrum progressum maiori attentione, quam hucusq; fecisti, neque dicentem interpelles. *Vec.* prosequere, vt libet; *Mac.* At nullum est præsidium pro curandis morbis à repletione obortis salutarius, præstantius, & efficacius, & quod tutò, citò, & iucundè id præstet, quàm puluis noster: consequentia patet. *Vec.* haud supprimam ego: Igitur in morbis, qui fiunt à repletione, noster puluis cunctis est præferendus. *Mac.* egregiè. *Vec.* at quorsum euasit inanitio, seu euacuatio? *Mac.* à puluere nostro auxilium non expectat. *Vec.* Semimedicus igitur es. *Mac.* cur, mi homo? *Vec.* Quoniam abstines ab altera causarum. *Mac.* at prior frequentior est: habes ne, quæ nostro progressui opponas? *Vec.* plurima, eaque grauissima. *Mac.* aures meas do in ditionem tuam. *Vec.* magnum effutisti paradoxum, mi Macer, inuisum nostris Coryphæis, & mortalibus perniciosum. Incassum deducere tentas sanguinis missionem, quam præcel-

Hip. lib. de Corde in fine.

Arist. li. meteor.

pag. 28.

lere

lere euacuationibus quibuſcunq; fatentur omnes, à Medicinæ vſque incunabulis. In acutis morbis celerrimo dum egemus auxilij genere, præ morbi celeritate, vitæque diſcrimine, dic tu, quid celerius adminiſtrari poteſt ſanguinis miſſione? *Mac.* fateor: verùm celeritati haud compar eſt ſecuritas. Abnuis: ſed ſtatim tibi obijciam innumeras illas contra indicationes, quas in præfatione generatim innuimus, & in fine quinti capitis afferemus, quæ quidem ſunt in cauſa, vt vel hoc præſidium multoties adhiberi nequeat, vel non ita tutò, vt mirandum nõ ſit, ſi Galenus propter timiditatem, vel ætatẽ, vel propter alias cauſas permittat, vt à venæ ſectione abſtineamus, & eius loco purgatione vtamur, tamquam præſidium ſalubre, quodue illius vſum ſupplere poſſit. *Vec.* Suæ ſtant quinetiam contraindicationes purgationi, forſanq; numeroſiores; & quod caput eſt, refragaris Hippocrati non ſic præcipienti; *circa principia morborum, ſi quid tibi videtur mouendum, moue*, ius hoc ſoli reſeruatur ſanguinis miſſioni, pharmaca enim apertè excludit in principijs morborum. *Hipp. rarò, idque cum præmeditatione faciendum.* *Vec.* cunctaberis igitur tunc ocioſus, & manus auxiliares in principijs morborum tuis ægrotantibus rariſſimè admouebis. *Mac.* Cur rariſſimè? *Vec.* quoniam turgentia humorum ſola, purgationem in principio ſuadet. *Hipp. plurima verò non turgent.* *Mac.* non ociabor profectò, verùm pro ſanguinis miſſione, vtar purgatione, conſultore Galeno. *Gal.* fugiunt ne te, quæ ſcripſi olim pro dignitate huius tutãda aduersùs Eraſiſtrati ſectatores? An nouã cudis ſectã illã pernicioſiorem? Nã quòd me aduocaſti in patrociniũ, irritũ cedet. Aliud .n. remedij genus debetur dubiæ valetudini; aliud præſenti ægritudini. Et quod caput eſt, cur ſubſtituis tu perpetuo errore purgationẽ ſanguinis miſſioni, ſi contingat, quòd frequentiſſimũ, nil eſſe, quod cõtraindicet præſtantiſſimũ remedium? *Mac.* ſatisfaciã impoſterùm, dũ interim hanc remorã abigo. *Nau.* caue tibi, mi Vect. *Vec.* Sine, veniet malo cũ ſuo. *Mac.* quid ſupereſt? obijcies ne tu nobis

P. cir.

lib. apl.

2. Aph. 22. Hippocratē locis citatis, per repletionem intelligere plethoram, quæ nullo non consentiente auctore per venæ sectionem
" per se, & immediatè tollitur? nam græcè habetur πλησμονὴ, &
" Galenus interpretatur, tali voce Hippocratem voluisse, non so-
" lùm plethoram, verumetiam cacochimiam. *Vec.* Quicquid sit
" de proprietate vocis illius, qua de re consulendi sunt Periti; non is sum, qui contraham latissimè vagantem sententiam ad vnicam plethoram, quanquam, & hanc includi non dubitem. *Gal.* imposuisti mihi mendax, vbi, dic, locorum vocem apto cacochimiæ. *Mac.* in comm. Aph. 22. lib. 2. *Gal.* mastigia, siccine agis? An non rotundo ore hæc protuli: *Vbi verò ea, quæ inest corpori causa, nondum aliquid facit, velut quæ plethora idest plenitudo vocatur ad præseruatiuam artis attinet partem, huiusmodi demolitio.* *Vec.* siccine nos circumuenis? *Nau.* Caue in posterùm tu; nam semel malus semper præsumitur malus in eodem mali genere. *Vec.* vacabit igitur saltem puluis ille tuus in Plethora. *Mac.* nequaquam, quia sanguis bifariàm peccat, & vitia-
pag. cit. tur, vel si quando multitudine creuit, vel quia propriam
" qualitatem ad vnguem non seruat; & Galenus quidem in
" Comm. Aph. 17. 2. lib. affirmat, neque nos id negamus, pro
" tollendo primo sanguinis vitio, venæ sectionem è directo, pri-
" mò, & per se conuenire. *Vec.* igitur purgatio in hoc casu nul-
" lum potest habere locum. *Mac.* negatur. Et ratio negationis
" est, quia cum Galeno auctore lib. de Pleni. c. 10. *fieri nequaquā*
" *possit, vt adeo syncerus in venis reperiatur sanguis, quin illi aliquid*
" *aut bilis, aut pituitæ, aut serosi humoris permixtum sit.* Consequē-
" ter quoque fatendum est, in huiusmodi etiam vitio dari locum
" ijs medicamentis, in quorum censu puluis noster existit, quæ
" tales humores educendi vim habent. *Vec.* quod nunquam fatebor. *Mac.* peruicax es, nisi adducis causam. *Vec.* quia & ma-
Com. cit. lè assumis, & pessimè infers. Ius nobis dicet inductus à te auctor. *Gal.* *euacuatio autem omnium humorum æqualiter, quæ quidem exquisitissima est, fit per venæ sectionem, proxima autem huic*

est,

est, quæ per malleorum scarificationem, ut nos facere consueuimus, & quæ per exercitia, & frictiones, & balnea. *Vec.* mancus igitur hic est, qui purgationẽ præterit, vbi suspicio est cacochymiæ. Tu verò in sanguinis plenitudine cum minima excrementitij humoris copia, audebis, despecto sanguine, corpus agitare, vt educas quod non molestat, neque indicat sui ablationem,& licet indicaret, locum spõtè cedet sanguinis euacuationi? *Mac.* sed redeat illuc, vnde nostra defluxit, & aberrauit oratio. „ pa. cit.
Vec. mens magis. *Mac.* verùm in altero sanguinis vitio, caco- „
chymia nimirum dicta *Vec.* siste gradum, non tam facilè hæc „
deglutio. Quod nam est illud alterum sanguinis vitium? *Mac.* „
adhuc ne stertis? an meministi eorum, quæ dudum diximus, nempe, quòd sanguis bifariàm peccat, vel quia multitudine creuit, vel quia propriam qualitatem ad vnguem non seruat. *Vec.* at sanguis adhuc est, quanquam leuiter alteratus, exulat igitur illa tua cacochymia. *Mac.* non tam facilè assentior. *Vec.* persuadebit tibi, vel ipsa nomenclatura, quæ malum significat succum. At sanguis ille, qui non ad vnguem suam seruat qualitatem, laudabilis succi nomen nihilominus meretur. *Mac.* Verùm si deflectat ab optimi natura. *Vec.* sanguis nihilominus est, probusque succus absolutè, & comparatus ad reliquos excrementitios humores. *Mac.* In hoc tamen sanguinis vitio non „ pa. cit.
conuenit venæ sectio è directo, nec primò, nec per se, sed „
purgatio,& per puluerem præsertim nostrum, quemadmodum „
inferius, Deo dante, demonstrabimus. *Vec.* Cocta numerabi- „
mus exta. Ius nobis dicet idem Præceptor. *Gal. Qui verò vult sermonem de multitudine diligentius perlegere, vnum habet volumen integrum à nobis conscriptum, cui titulus est, de multitudine. Nunc verò hoc tantùm sufficiet adiungere ijs, quæ priùs à nobis sunt enarrata: quod incipere quidem potest ea, quæ ad vires refertur multitudo, absque corruptione: verùm non potest bona permanere: nam omninò necesse est, vt secundùm qualitatem transmutetur, & processu temporis corrumpatur. Verùm etsi istud fiat, inte-* Gal. eõ. cit.

rim

rim multitudinem ipsam nominabimus, donec ex superflui euacuatione residuum bonum fieri possit. Quod enim in vinis accidit acescentibus, tale quiddam, & in sanguinis alteratione contingit. Quod autem in vinis accidit, tale est. Vbi ex toto acida facta sunt, non redeunt rursum ad vini naturam: paruo autē in ipsis facto momento, ita quòd acidum quidem habent saporem, nondum tamen acetum sunt: multa sæpius ex his pristinam naturam recuperârunt: Hoc idem in sanguine euenit: nam & ipse, vbi magna in eo sit facta corruptio, non redit amplius ad statum naturalem, si verò pauca fiat: vbi idquod est superfluum, fuerit euacuatum: quod residuum existit, ad suam naturam restituitur. Et quidem consuetum est huiuscemodi dispositionem, non corruptionem, sed multitudinem nominare: illa, vt dixi, sola vocata corruptione, quæ tam magnam habet eam, quæ contra naturam est, conuersionem, vt non possit iterum per Naturæ coctionem ad primā humoris redire bonitatē. *Vec.* in neutro igitur sanguinis vitio conuenit purgatio, sed vbi corruptus est sanguis, inque nouum euasit humorem, nunquam rediturum in gratiam Naturę, quæ vera est cacochymia: vtrumq; verò malè tu iudicasti, maximo mortalium detrimento. Stat igitur adhuc,
» vel te inuito, pristina dignitas sanguinis missioni. *Mac.* nos etiā
» non raró experti sumus, quàm prosit sanguinem extrahere in
» Synochis putridis vsque ad animi deliquium, exemplo Me-
» dicinæ Procerum, vno excepto Auerroe, nihilo tamen minùs,
2. de diff. fe- » non ob id pulueris vsus improbandus, reijciendus, detestan-
br. c. 2. » dus. *Vec.* tuum est hoc probare. *Mac.* facilè hoc mihi est. Quā-
9. 2. Crif. » do sanguis putrescit ex Galeno, pars eius subtilior, ac pin-
ca. 6. q. » guior omninò in flauam conuertitur bilem, crassior verò in
11. » atram, vnde Medicus ex necessitate cogitur Medicamentum exhibere, humores illos educendi vim habens, in quos ipse sanguis putrescens conuersus est: tale autem noster puluis est. *Vec.* Tam blandus ne es, vt rationem quæras, vbi experimentum reclamat? tam lusciosus, vt non distinguas motum à termino, & confundas id, quod est in fieri, cum facto esse, putre-

scens

ſcens cum putrefacto? Sanguis putreſcens degenerat in bilem flauam, & atram, præuias nanciſcitur diſpoſitiones, non dum tamen eſt in termino. Sanguis vbi *conuerſus eſt*, non amplius eſt *putreſcens*, ſed putridus; quin neque putridus, ſed corruptus, inq;humores nouos conuerſus. Vide proinde quantis irretias te deceptionibus. *Mac.* dic tu, quando ſãguinẽ detrahimus, illius vncias decẽ, plus minus, exire permittimus. *Vec.* ſi in Putrida ſynocho, recedimus à Veterũ laudata nuper norma, neq; ſubſequitur animi ille expectatus defectus *Mac.* vt vt ſit, dico ego in iſtis decem ſanguinis extracti vncijs, quotnam erunt humorũ prauorum vnciæ? *Vec.* nullæ, vel decem. *Mac.* nugaris. Pugnant hæc inter ſe, an non? *Vec.* non credo, nam ſi prauum tibi libet appellare humorem, ſanguinem adhuc putreſcentem, decem ſunt vnciæ praui humoris; ſin verò prauos dicis humores eos, quos genitos ex noua putredine credis; falleris, putreſcit nanque ſanguis, non putruit, illaque putredo eſt mutatio nouæ ſubſtantiæ putreſcentis ad corruptelam, quæ vbi continget, ſubſequitur nouum humorum genus; cui tuum aptabis puluerem *Mac.* hunc ſi exhibemus multorum humorum duntaxat peccantium libras exhauriemus. *Hipp. deiectiones non multitudine ſunt æſtimandæ, ſed ſi talia deijciantur qualia conuenit.* *Vec.* Quid fiet, vbi neque præſens adhuc eſt humor euacuandus? *Mac.* Sed iam ſatis, ſuperque circa primam rationem digreſſi ſumus. *Vec.* tuâ hoc factum eſt culpâ. *Mac.* altera, quam mox ſubijciemus, nos vocat. Habet Galenus 4. *de Valet. Tuen.* hæc verba, *id quod omninò alienum eſt, nulla fieri ratione poteſt, vt naturæ ſuæ gratiam recipiat, ſed educere id quamprimum eſt tentandum.* At vitiati humores ſunt alieni, quippè quia morbos in corpore noſtro producunt, ſiue ſint calidi, ac tenues, ſiue frigidi, craſſi, & viſcidi; pulueris autem ope, tutò, citò, & iucundè foras trahuntur. Ergo rationi quàm maximè conſentaneum eſt, hoc puluere vti. *Vec.* Non magis ſuadetur nouus hic tuus puluis, quàm reliqua pharmaca, longo vſu à Medicinæ Proce-

ribus,

p. 30.

pa. cit.

pag. 31.

„ ribus, iamdiù approbata. *Mac.* Non negamus, quin alia quoq;
„ medicamenta ab Hippocrate, Galeno, cæteris Græcis, Ara-
„ bibus, & Latinis excogitata, & in vsu posita id præstent: at
vel multis indigent, ad hoc vt ipsis tutò possimus vti. *Vect.* Verùm longè pluribus tua egent, si sapis, & indemnitati ægrorum consulis, qui tuæ fidei committuntur, qua de re suo
„ loco. *Mac.* vel ex eorum vsu aluus adeò Styptica sæpè red-
„ ditur, vt nonnisi post multos dies ad naturalem reuertatur mollitiem. *Vec.* quæ res difficilis creditu stimulauit curiosum quendam benè mihi notum, vt rem experiretur. A sumpto puluere lubrica illi fuit aluus pluribus diebus, quod cum diligentiùs attenderet, obseruauit inconfectos egeri cibos, velutque chyli rudimentum, vitio labefactati vẽtriculi, præ pharmaci malitia. His fidem faciebat leuis stomachi dolor, nausea, flatus, nonnunquam & vomitus. Quibus nisi maturè occurrisset succo Cidonij, & oleo ex Mastice chymicè parato, pænas
„ dedisset temeritatis. *Mac.* Vel vsque adeo insuauia existunt, vt
„ multi sint, qui nulla ratione adduci possint, vt ea deglutiant. *Vec.* his benè consuluit hucusque Ars, calletque, si quando opus fuerit, occultare medicamenta, aut speciem fucare: quãquam securitas præferri debeat insuauitati, præsertim ab homine composito, neque effæminato. *Mac.* vel non qualibet æta-
„ te, non quolibet anni tempore, neque in multis alijs casibus,
„ de quibus infra suo loco. *Vec.* quæ prohibent lenientium medicamentorum vsum, vetabunt multò magis tuum electiuè purgans, illudque effræne. An non, & pueris propinare ex lacte nouit pharmacum Galenus? neque fraudauit debito me-
6. de Tu. end. Val. Meth. dicamentorum vsu senio confectos? *Mac.* quapropter possumus (venia mihi danda est) nos puluerem hunc super omnia
„ alia pharmaca extollere. *Vec.* Benè est, quòd veniam precaris,
„ quum tàm malè pensum absoluis, falsa in primis assumpsisti, & quæ vera vitiâsti, incongrua nectis, malè concludis, pessimè syllogizans: veniam ne speras etiam precariò? *Mac.* meræ impo-

posturæ. *Vec.* tuis te graphicè pingis coloribus. Et quoniam tua nobis fides meritò suspecta est, agè, dic nobis, vbi locorum præceptum, quod recitâsti, annuit Galenus? *Mac.in Comm. Aph.* 17. 2. *lib. Gal.* vbi locorum ne my quidem de tali negocio protuli; plurima sunt quæ ibi disserui, vt nôsti, de multitudine, de euacuatione ad mentem Hippocratis, tam per se, quàm per accidens, in quibus iurè prætereo tuam purgationem. Doceo insuper, quod etsi putrescat, & corrumpatur multus ille sanguis; nihilominus sub multitudinis censu est reponendus, ac proinde facilè tibi erat inferre, non per purgationem, verùm per sanguinis missionem oppugnari huiusmodi labem, *donec ex superflui euacuatione residuum bonum fieri posset. Vec.* sat mihi est in præsens Galeni attestatio, quô te falsitatis iurè insimulem. *Mac.* Lapsus fuit memoriæ, forsan. Verùm nonne eadem illi fuit mens 4. *de Tuen. Val. c.* 4. *Gal.* aberras: nam ibi totus sum in curatione affectûs vlcerosi, cuius occasione plurimà trado nouæ tuæ hæresi infesta. *Vec.* falsus igitur es, quid te contorques? *Mac.* an non alicubi saltem Gal. *Gal.* habes de re simili meam sententiam in præcedenti capite. *Oportet igitur excrementum, siue calidum id sit, siue frigidum ipsum, aut expellas, aut certè alteres. Quod igitur omninò alienum est, nulla fieri ratione potest, vt id naturæ suæ gratiam recipiat, sed educere id quamprimùm est tentandum, æquè* (nota) *vt quæ in ventre corrupta prorsus sunt, & vel vomitione, vel deiectione expelli profectò est optimũ: non tamen proinde promptum est in carne, atq; alÿs corporibus imbibitum vitiosum succum educere, vt qui in ÿs, quorũ sensibilis capacitas est, continetur.* In summâ, *communes scopos, qui excrementorum vitÿs medentur, iam diximus vacuationem, alterationemq; esse. Vec.* Vitiasti proindè sensum, supprimens *alterationem*. Mala fide insuper occultasti difficultates, quas proponit idem Auctor in purgatione peragenda, quæ altera erat reprehensio, secunda in ordine; nectere te incõgrua dicet, vel Dialecticæ Tyro, vacat ne illud tuum, pulueris autem ope, tutò, citò, & iucundè forâs

ràs trahuntur. Pessimè tandem concludis. *Mac.* at ego sic infero.
pag. cit. „Ergo rationi quàm maximè consentaneum est, hoc puluere vti. *Vec.* quum tamen, si inferre debuisses, & ex norma dialectica tenearis,
„Ergo humores vitiatos educere quàm primùm est tentandum. Siccine pro syllogismo pudendum paralogismum nobis incautis diuendere sperasti? *Mac.* at conficiam te Hipp. & Gal. gladio. Caue tibi Censor amarulente. *Vec.* Parturient montes,
2. Aph. 29. nascetur ridiculus mus. *Mac.* habet Hippocrates: *cùm morbi inchoant, si quid videtur mouendum, moue.* Huic progressui, tanquam maiori propositioni ego subinfero minorem. At in mor-
pag. 32. „ bis à materia copia, vel qualitate peccante adest id quòd mo-
„ uendum est, nempe materia humoralis peccans: igitur in mor-
„ bis à materia excitatis, ea, quæ mouent, adhibenda sunt. Quid
„ ais Vector? *Vec.* Rursus te cespitare obseruo. Quid sibi vult ibi
„ locorum Hipp. *Mac.* men' tentas publicum Professorem! *Vec.* æquissimo iure: cur nam cathedram magistralem ascendis, nisi vt erudias? *Mac.* benè est, si erudiri postulas. Mens Hipp. est, in principijs morborum à materia, copia, vel qualitate peccante, esse mouendum. Nota illud *si quid tibi videtur*, scilicet, si depræhendas subesse humorem, moue audaciter. *Vec.* igitur in omni morbo cum materia pugnabo in principio. *Mac.* hoc conuincit meum argumentum. *Vec.* malè sit tuæ eruditioni! *Mac.* ingratus es. *Vec.* nempe dum tua putamina auersor? *Mac.* profer tu nuces. *Vec.* generale præceptum profert hic senex, vt si quid moliendum est in morbis, illud fiat in principio, dum vires morbi imbecillæ sunt, & mitiora symptomata, naturæ verò fortes & vegetæ. Quid somnias tu hîc materiam, vbi tempus mouendi præscribitur? *Mac.* at non mouetur nisi corpus, & in casu nostro tale corpus. *Vec.* mobile supponitur, vbi suadetur motus. Dic tu: mensura differtne à mensurato? *Mac.* certè. *Vec.* sed tempus est mensura motûs: cur igitur confundis motum cum tempore, mobile cum Medici scopo? Ex qua tua aber-
ratio-

ratione, non mirum, si emanet erronea illatio: igitur in morbis à materia excitatis, ea, quæ mouẽt, adhibenda sunt. *Mac.* experiamur, quam tu conclusionem ex præmissis elicias. *Vec.* oportet priùs minorem emẽdare, ne ex quatuor terminis syllogizzes. Erit vero talis. Sed in morbis à Materia, aliquid nonnunquam est mouendum: ergo illud fieri debet in principio. *Mac.* at ego inferre volo, in omnium morborum principijs exhiberi debere meum puluerem. *Vec.* Neutiquam hoc probâsti hucusq; : vide, vt abnuant Medicinæ Proceres. *Mac.* noui cur illud faciat Galenus, dubius enim est, an præferat sanguinis missionem purgationi, vtpotè tutiorem. Hipp. *Maximè aũt, & Hepatis dolores, & Splenis grauitates. Et alias inflammationes, & supra septum transuersum dolores, ac morborum collectiones solui non possunt, si quis priùs medicamentis purgare aggrediatur: nam venæ sectio in talibus principalis est. Periculum enim habebis, & nihil opis afferes, & spõtaneas liberationes, ac iudicationes tolles. Mac.* At ego probare nitor in pręsens, notam illam periculi inuri minimè posse nostro pulueri. *Vec.* extra chorum saltas, suo loco hæc reserua, vel nouam confice ratiocinationẽ, enarratis hucusque minùs vitiosam. *Mac.* rationibus hucusque allatis, possumus & aliam, ex Galeni officina depromptam, subiungere. *Vec.* nudas, & singulatim propone propositiones, nectere nanque illas excedit captús tui vires. *Mac.* morem en tibi geram. Concedit Galenus cum Hippocrate, cruda esse purganda in principio, quando turgent. Quid tu? *Vec.* assentior, si videbitur Galeno præceptori. *Gal. Benè autem summus addidit Hipp. plurima verò non turgent. Et discere oportet hoc ab experientia, quòd videlicet humorum transfluxus ab vna parte ad aliam, rarò contingunt, sed frequentiùs quietem habent, & in vna aliqua parte consistunt, in qua etiam concoquuntur toto morbi tempore, vsq; ad eius solutionem. Mac.* Verùm addit insuper Galenus, esse quoq; illa eadem cruda purganda, non modò quando turgent, verùm etiam quando vrgent; inquit enim: *Interim si res vrgeat, etiam purgare,*

Margin notes: „pag. 35. „ „ — P. Aph. 22. — » » »

„ *re*, ſupple tu, oportet à principio. *Vec.* vbi locorum hæc habet?
„ *Mac.* in aph. 22. & 24. 1. lib. *Vec.* Nuſquam reperi in meo codice; melioribus forſan vteris tu. *Mac.* Exactiſſimis, cui dubium. *Vec.* quo tendunt hæc tua? *Mac.* Vis ne tibi enucleem, quid ſit vrgentia? *Vec.* ſcutum petenti haſtam porrigis. *Mac.* aures accommoda nouæ propoſitioni. Vrgens materia maius portendit periculum, quàm materia turgens, ſeu furioſa, ac proinde purgationem magis, quàm materia turgens indicat. *Vec.* quid
pa. 35. ad pulueris vſum hæc? *Mac.* an non percepiſti adhuc? *Vec.* non per Iouem. *Mac.* vel non iurato credo, tam infans es in rebus Medicis. *Vec.* inculpatè repetam igitur, quæ audiui, ne in ferulam incidam. Licere primùm in morborum principijs, & cruda adhuc materia, purgare, quando illa turget. *Mac.* optimè: hæſitaſne adhuc? *Vec.* plurimùm. Vox enim *purgationis*, non minùs complectitur deiectionem, quàm vomitum. *Mac.* at infrequentior eſt vomitùs noſtris in regionibus. *Vec.* nihil ad rhombum; præter id quòd frequentiſſimus Græcis, quorum vteris conſilio in præſens. *Mac.* eſto. *Vec.* non magis proinde ſuadetur medicamentum deiectorium, quàm hæmeticum. *Mac.* at puluis noſter non eſt hæmeticus. *Vec.* infer igitur, dum vlteriùs progredior. Ponderaſti illud κινεῖν, ſcilicet *mouere*, Hippocraticum? *Mac.* maximè, eſt vox explicatiua ſuperioris. *Vec.* Minimè gentium, indignum nanque eſſet Hippocrate, & normâ aphoriſticâ verboſitas illa, prorſuſque inutilis, ſi ſpeciem per genus declaràſſet. *Mac.* cur ergo apponit. *Vec.* vt poſteros moneat, non licere in principijs morborum purgatione quauis vti, neq; modo quouis crudam materiam agitare. *Mac.* mecum ſapis, & ſentis. *Vec.* quin diſſentio, ſi ſapis: dic tu, ſunt ne alij modi commouendi corporis ſuperfluitates, præter vomitum, & deiectionem? *Mac.* hæret mihi aqua; conſulam Galenũ.
4. Aph. 2. *Gal. melius verò fortaſſe fuerit de omnibus euacuationibus, quas Medici moliuntur circa ægrotantium corpora, ſermonem repetere. Fiunt igitur hæ aliquando per medicamẽta totum corpus expurgan-*

tia,

tia, per vomitus, & deiectiones: nonnunquã verò medicina partis alicuius est euacuatiua, veluti quæcunque per palatum, & nares à capite abducunt superfluitates. E genere autem superfluitates expurgantium sunt, quæ per tussim expurgant quæcunque in pectore sunt atque pulmone, & quæ per vrinas abducunt totius sanguinis serosam superfluitatem. *Vec.* hinc assequeris, purgationem genus esse ad deiectionem, & vomitum, quod dudum tibi insinuaueram; superesse nec non alios agitandi modos crudam materiam. Quibus insuper addo diaphoretica exercitia cum Galeno, frictiones, seu quemlibet motum, atque calorem, & balnea calida, præsertim nitrosa, sulphurea, bituminosa, quæ apta nata sunt, quiescẽtes, crudosque suscitare humores, susque deque vertere. Meritò proinde hæc interdicit noster Dictator. Viden' quàm excedat vnici tui pulueris vsum adductum à te Hippocratis oraculum. Præterea in turgentia, non magis fauet ridiculo tuo Cerbero, quàm medicamento cuilibet purganti, quod & de vrgentia, à te secundo loco allata, verissimum comperies. Habeas insuper hæc à me, qui turgent humores, perpetuò vrgent. Nugaretur igitur Hippoc. si turgentiæ vrgentiam iunxisset, non secùs, quàm si virium meminisset, quarum tonum firmum esse debere in qualibet euacuatione, exploratissimum cuique est. Apta hæc excitatæ olim à te dubitationi, malèque solutæ. Hucusque pro materia futuri tui syllogismi, quem tamen asyllogisticè ex more construes, nisi noua accedat propositio vniuersalis, cuius aduentu exulat altera ex particularibus. *Mac.* rationibus iam allatis hanc pro coronide addimus, quam à Gal. accepimus 1. aph. 24. & est, quod *Quãdo maiorem expectamus ex noxiorum humorum euacuatione fieri vtilitatem, quàm id, quod necessariò consequitur ex purgantibus medicamentis detrimentum: est autem vtilitas maior, si absque molestia omnis humor noxius, & infestans sit euacuatus, tunc moliendam esse purgationem.* At verò per puluerem nostrum pluries, si opus fuerit, exhibitum, & seruatis seruandis,

loc. cit.

„pag. 38.

„ abſque moleſtia, quemadmodum innumera iam experimenta
„ nos docuerunt, omnis humor noxius, & infeſtans euacuatur.
„ Vtcunque igitur à noxijs, & vitioſis humoribus corpus hu-
„ manum infeſtetur, dummodo, vt dictum ſupra ex Galeno eſt,
„ deſperatus non ſit caſus, & vires nõ omninò proſtratæ, ad pur-
„ gationem cum puluere noſtro, tanquam ad ſacram quandam
„ anchoram, confugere licebit. quid ais? quid opponis Cenſor?
Vec. ceſpitas rurſus & mentem auctoris diſtorques. *Gal. paulò*
1. Aph. 24. *antè dictum erat. Concocta medicari, & mouere non cruda, neque in principijs, ſi non turgeant, plurima verò non turgent. Nunc autem, quod circa principia acutarum ægritudinum tantùm aliquando contingit, purgare vtiliter, nos docet Hipp. Nam in longis morbis ſemper oportet expectare coctionem: in acutis verò, cùm turgent, etiam ab initio poſſumus vti medicamentis purgantibus, & hoc ipſum cum multa cautione, & præmeditatione facere. Vnde mihi videtur Hipp. rectè adieciſſe, & hoc cum præmeditatione faciendũ. Siue enim per hoc verbum, diligentem intelligat examinationem, ſiue ægroti præparamentum, ſiue recti iudicij expectationem, ſiue horum aliquid, ſiue omnia vnius vocabuli ſignificatione comprehendantur: quantùm ſit circumſpectus circa huiuſmodi purgationes, manifeſtat. Neque enim periculum minimum in morbo acuto malè vti purgante medicamento, cùm omnia id generis ſint potentiâ calida, febris verò, quatenus febris eſt, & ſui ratione, non modò non calefacientibus, atque exiccantibus, ſed contrarijs, hoc eſt humectantibus, & refrigerãtibus egeat. Non igitur ob igneam febris caliditatem purgationem adhibemus, hanc enim ſcimus ſui ratione nocituram, ſed propter humores illam efficientes. Quare maiorem oportet ex noxiorum humorum euacuatione fieri vtilitatem, quàm id quod neceſſariò conſequitur, ex purgantibus medicamentis detrimentum. Eſt autem maior vtilitas, ſi abſque moleſtia omnis infeſtans, ac moleſtans humor ſit euacuatus. Mac.* iam Galenus, vt audiſti, pro me ſtat. *Vec.* quin contra ſtat; audiſti quòd circa principium acutarum ægritudinum tãtùm, *aliquando* (nota)

con-

contingt purgari vtiliter. Insuper, quòd in longis morbis semper oportet expectare coctionem. Postremò, quòd hoc ipsum cum multa *cautione, & præmeditatione faciendum*. Tu verò, nullo delectu habito, in principijs quorumcunq; morborum, absente etiam turgētia, nullâ præuiâ pręparatione, tuum exhibes purgans. Hæc pro tuo Gal. cōsensu ad rem. Fateris igitur in hoc tuo ratiocinio, & puluerem tuum calidum esse, & detrimentum acutis morbis inferre posse. *Mac.* hoc perquam alienum est ab animi mei sensu. *Vec.* nolens volens affirmas, medicamenta purgantia necessariò detrimentum inferre, sed puluis tuus medicamentum est purgans, ergo necessariò detrimentum inferet. *Mac.* at puluis noster neque calidus est, neque detrimentum infert, purgat enim absque molestia. *Vec.* quod est necessarium, est de omni; cautius proinde assumere, atque recitare debebas Galeni effatum, quod procedit per comparationem damni, & vtilitatis. Argumentum igitur tuum, aut nihil probat, aut damnum excusat. Leguleis verò *excusatio non petita, est accusatio manifesta*. *Mac.* valeant hi suis cum paspalis, tuque tua cum Dialecticâ. *Vec.* iniquè te geris. Abstinui nanque hac vice à censura deformium tuarum præmissarum.

De apparatu necessario ad Purgationem.

Mac. Eximis ne à purgandi molestia nostrum puluerem, an controuersaris? *Vec.* controuersor. *Mac.* quo iure? *Vec.* omnibus. *Mac.* duo sunt nobis criteria, experimentum, & ratio. Primum pro me stat, vt audîsti sæpius. *Vec.* audiui puros educi Ichores, crudi humoris sobolem frequentissimâ nihilominùs molestiâ, dum educuntur, longèque maiori reliqua post peractam purgationem, amici obseruatu. *Mac.* vna hirundo non facit Ver. *Vec.* verùm illa superstes alui lubricitas, qua de passim gloriaris, nihil aliud est, quàm diarrhæa, aut lyenteria recenti stomachi vitio. Sit ne verò purgatis molesta, an non, aliorum

esto iudicium. *Mac.* vtilitas tamen ex noxij humoris euacuatione controuerti non potest. *Vec.* non semper abundant Ichores; incommodat verò, & corporis humani œconomiæ aduersatur, si educantur innoxij; suos enim habent vsus. Igitur neque *confert* tunc *purgatio*, neque *leuiter ferent*. *Mac.* hæc si admisero, euincam tamē tunc esse purgandum absolutè. Docuit hoc me Galenus *lib. quos, & quando purgare oporteat.* Tenues humores purgandos nullâ expectatâ coctione. *Vec.* tua fuit illatio hæc, non Galeni, qui ad hoc, vt molestans humor absque molestia educatur, monet plurima esse necessaria. *Mac.* Crambem recoquis: nam ego singula recensui. *Vec.* sed diminutè, & negligenter. *Mac.* Vector caue ab impostura. *Vec.* fidem faciet noster
1. Aph. 24. Pergamenus. *Gal. vt absque molestia omnis infestus humor educatur, primò oportet considerare, nunquid æger idoneè se habeat ad huiusmodi purgationem. Nam quicunque multâ cruditate laborant, vel qui tenaces, ac crassos cibos assumpserunt: sicuti etiam quibus hypochondria distenta, atque inflata sunt, aut supra modum calida, atque ignea, existunt, & hoc ipso in loco aliqua est viscerum inflammatio: omnes ij haud quaquàm sunt apti ad purgationes. Hæc itaq; abesse oportet, & humores, quàm maximè fieri potest, esse fluxui paratos, hoc est tenues, & nullum lentorem participantes, & aperta esse foramina, per quæ debet purgatio fieri, & nullam habere obstructionem. Nam & nos ista antea paramus, cum quempiam sumus purgaturi. Et hoc est, quod ab ipso Hippocrate dicitur in illo aphorismo: Corpora vbi quis purgare velit, oportet fluida facere.* *Mac.* Ast ego in portu nauigo: nam fluida semper reddo corpora. *Gal. Verùm in acutis morbis circa principia statim, non datur facultas ista præparandi.* *Mac.* Succedit nihilominus mihi ex voto. *Vec.* quibus? *Mac.* Tartari cremore. *Vec.* quanto? *Mac.* ad grana quatuor. *Vec.* quando? *Mac.* cum ipsis purgantibus. *Vec.* malè omnia. In primis erras cum Empiricis, qui Tartarum venditant pro summo humorum digestiuo. Chymicis solertioribus non Tartarum solitarium est vniuersale digestiuum, sed vitriola-

tum

tum, cuius tamen ad drachmam vnam pro preparandis humoribus ad purgationes pluries exhibent. Neque, enim, actutum præparantur illi, quod tu nimia simplicitate credidisti, etiam vbi turgent. *Gal. Quare non sine ratione dixit Hipp. raro circa principia morborum acutorum nobis venire in vsum purgationes: quoniam ferè non turgent humores molestantes in principijs: neq; etiam si quid istorum adsit, satis æger est ad purgandum paratus, neque etiam morbus dat nobis otium illũ idoneè præparandi.* *Vec.* Proh infelix sæculum, compendiosam, facilemque ignorans viam, qua vnico haustu preparationi, & purgationi satisfit. *Mac.* artes fiunt per additamenta, Philosophi monitu. Repeto, quòd quatuor sat sunt grana. *Vec.* adiungis ne illis directorem, & veredarium *Mac.* nugaris. *Vec.* Nugari licet cum nugiuendulo. Audi mi Macer. Portio illa superstes tui pulueris, cui purgatio committitur, vt incaluit à stomacho, non differt proprio perfungi munere, trahere, nempe, familiarem humorem. Finge tibi intra horam illud succedere. *Mac.* plus, minusuè. *Vec.* si trahit neque propellit, absens igitur est tractum, non præsens. *Mac.* haud repugno. *Vec.* viam igitur insistet. *Mac.* quorsum puerilia hæc? *Vec.* audies mox inuitus. Quis expediuit vias? *Mac.* Tartarus. *Vec.* Verùm hic pari, aut maiori egebat ventriculi operâ, vtpote frigidus. *Mac.* puluis noster frigidus est. *Vec.* discutiemus hæc in posterùm: illud saltem euincam in presens, Scammonium, & absolutè, & Tartari comparatione, calidum esse. *Mac.* Quid inde? *Vec.* Præuertet igitur frigidæ substantiæ alterationem. Præter quam quod nullo suo incommodo, temporisue dispendio stans, munere suo fungetur, secus quàm euenit in Tartaro, cui post diutinam moram necesse est ignotum metiri spacium, ni Mercurius occurrat illi in via. *Mac.* naturam habet ducem, atque auxiliarem. *Vec.* tota est in expellẽdo noxio humore pharmaci ad libitum, cuius actio, vel præcessit, & superflua est Tartari opera, vel eodem fit tempore, & nulla, vel corpori perniciosa euadet, inuicem oc-

loc. cit.

cursantibus attracto humore, & subeunte Tartaro. At viæ nisi ritè præparentur in purgatione, multarum calamitatum sunt in causa. *Gal. qui verò istud neglexerint, & vomitus atque alui subductionem procurauerunt, ijs difficiles veniunt purgationes, non sine torminibus aliquando* (nota pro tuis purgandis) *& quadam vertigine, fastidio multo, & malo pulsu, imbecillitate, & difficultate. Vec.* mutato nomine de te fabula narratur.

Com. 2. Aph. 9.

De Putredine nonnnulla, deque opposito multitudini Sanguineæ.

pag. 39. cap. 4. *Mac.* spretis minimis, maiora meditor. Febres putridas pulueris istius beneficio speciatim tolli, non solùm experimentis, » verùm etiam nec rationi, nec Galeni, nec aliorum Veterum » placitis repugnare, demonstrabo. Experientiæ primùm, » quoniam inter medendum quotidiè passim videmus ex con- » uenienti huius pulueris vsu, non aliter ac ignis ex superin- » fusa extinguitur aqua, sic febres ipsas putridas finiri. *Vec.* » neque, vt puto, deerunt tibi exempla domestica, tuoue Pro- » motori, quibus propositum euinces de extinctione febrilis » caloris vnà cum subiecti extinctione. *Mac.* accipio compositi- » uam, & resolutiuam Methodum *Gal.* 11. *Meth.* debere eum, » qui febres putridas radicitus euellere in animo habet, auferre multitudinem, crassitiem, viscositatem, obstructionem, » prohibitam transpirationem, putredinem. Hæ nanque ex toto » sunt causæ, quæ ad febrem putridam excitandam concurrunt. *Vec.* Nempe frequentiores. Elimatiùs nanque Galenus causas febrilis caloris alibi prosequutus est. Neque, enim, febris pestilens, aut mali moris per contagium contracta, seriem illam causarum admittit, quod & absq; contagio contingit Galeni obseruatu. *Gal. fit nonnunquam & ab humoribus ad putrescendum paratis, quum leuem aliquam occasionem ab aere nos ambiente habuerit. Mac.* At verò *apparatus* ille includit enuncia-

2. de Different. febr. c. 4.

ciatas caufas. *Vec.* negatur; fat enim illis eft difpofitio ad putredinem concipiendam. *Mac.* at quænam eft hæc difpofitio, ne pura nomina pro rebus nobis diuendas. *Vec.* difpofitio illa eft alienitas, parcant mihi Tullij manes, humorũ à propria natura. *Mac.* Rurfus interrogo, quid eft formaliter ifta alienitas? *Vec.* eft proxima difpofitio ad corruptionem. *Mac.* idem per idem declaras. *Vec.* falleris; aliud enim valet, effe difpofitionem, & proximam difpofitionem ad putredinem, vel ad corruptionem. *Mac.* an non putredo eft corruptio? *Vec.* Medicis nequaquam: confule Galenum. *Gal. Putredo eft mutatio ad corruptelam totius corporis fubftantiæ putrefcentis à calore extraneo.* 11.Meth. cap.8. *Mac.* Tu medicus parùm facies Medicis in præfens. *Vec.* quin egregiè terminos Medicinæ præfcribit: non enim omnis putredo eft confiderationis medicæ fed quæ nondum deuenit ad corruptionem. *Mac.* At putredo eft corruptio Ariftotel. *Vec.* cuiufnam? *Mac.* fubiecti. *Vec.* obliuiofus es. *Mac.* cuius igitur? *Vec. putredo eft corruptio propriæ, & natiuæ caliditatis.* *Mac.* at hoc Arift. 4. Mete. eft fubiectum quod tibi dudum affignabam. *Vec.* minimè, fed vicem formæ fuftinet. *Mac.* tandem quodnam affignas putredini fubiectum. *Vec.* præ manibus habes. *Mac.* vbi locorum? *Vec.* progredere in Ariftotelica putredinis definitione. *Mac.* habet *in vnoquòque humido.* *Vec.* en tibi fubiectum. Sat ne tibi factum? *Mac.* reduc me in viam. *Vec.* faciam libenter. Apparatus igitur ille humorum ad putredinem excellentem concipiendam, non à ferie tuarum caufarum pendet, quas dixifti *ex toto*, verùm à proxima difpofitione ad corruptionem propriæ, & domefticæ caliditatis, quod aliàs difputatum fuit: efficiens verò fi quæris, dat tibi Arift. *calorem extraneum*, puta Phyf. Lac. *ambientis*, quibus & nofter Galenus non inuitus fubfcribit. Anal. Stat igitur meum effatum, non omnes febres putridas feriem illam caufarum admittere, rurfus tamen longior tibi, frequentiores effe, quæ admittunt. Profequere tuum probare Paradoxon *ex Galeni & Veterum omnium mente*: *Mac.* facilè hoc mihi pag.40. »

erit, postea igitur quam hæ oẽs causæ rescindendæ, & auferendæ sunt: auferuntur autẽ per sua contraria: ergo à multitudine indicatur paucitas. *Vec.* haud assentior. *Mac.* adfer causam. *Vec.* quoniam vtraque vitia sunt, Medicus verò vitia emendat, non facit. *Mac.* quid igitur? *Vec.* si physicè, mediocritas terminus est; sin medicè, multitudini euacuatio respondet. *Mac.* haud subscribo. *Vec.* audi, magnum, & paruum, multum, & paucum, nonne eorum sunt, quæ ad aliquid? *Mac.* fateor, si inter se comparentur. *Vec.* verùm ista consideratio mathematica est, ac in abstracto, non physica, neque Medica. Apta terminos humoribus contẽtis in animali, tunc emicat mediocritas. *Mac.* micantem non video. *Vec.* inuisa te feriet. Cur macer diceris? an collatus ad obæsum? *Mac.* minimè, sed ad consuetam hominum corporaturam. *Vec.* vitia igitur sunt, macies, & obęsitas, naturæque aberrationes. Nam semper illa aberrat? *Mac.* non quidem, sed vt plurimùm inculpatè pensum absoluit. *Vec.* igitur status ille corporis, cui comparatæ macies, & obæsitas, vitia dicuntur, medius est inter vtrasq;. *Mac.* non adhuc tua concoquo: hoc calleo, vnum vni tantummodo opponi. *Vec.* egregiè: illæ vero quanquàm opponuntur inter se per excessum, & defectum, medio si comparẽtur ex æquo aduersãtur eidem, nempe vt immoderatum moderato. *Mac.* permitto hæc tibi. *Vec.* igitur quemadmodũ datur corporis habitus debitus animalibus, sic & quantitas sanguinis in sanguineis, quibus hic est vltimum alimentum Aristoteli. *Mac.* Assentior, non vltimum tamen, sed futurum alimentum. *Vec.* Vt lubet in præsens; haud enim nostrum hæc vitiant progressum. Finge tibi, deberi homini benè constituto libras sanguinis viginti confer huic Athletam, cui sunt triginta, accedat ñec non corpus neutrum ex ægritudine, puta hæmorrhagiâ, cui vix supersint sanguinis libræ decem, medius dubiò procul ille est, qui viginti sanguinis libras possidet. *Mac.* arithmetica supputatione constat, forsanque & Physica. *Vec.* excedit in Athleta, deficit in reuale-

scente

ſcente ſanguis, collatus tamen ad naturalem ſtatum, qui medius eſt, & mediocris, ambo huic ex æquo opponuntur: ſic ſtat mediocritas. *Mac.* modò tuo te conficio gladio. Athleta ille tuus, cui præ ſanguinis copia periculum imminet; ne calor ſuffocetur, aut vaſa diſrumpantur, nonne ſanguinis expetit paucitatem? hinc eſt quod Præceptor monebat, *quapropter bonum habitum ſtatim ſoluere expedit*, ac proinde multitudo paucitatem indicat, quod tantopere euitaſti. *Vec.* Verùm vlteriùs te progredi in lectione contextus par erat, & deprehendiſſes, cauere Hipp. illam tuam paucitatem, quæ vitium eſt, repetat quæsò ille præſens. *Hippoc. neque compreſſiones ad extremum ducendæ, periculoſum enim, ſed qualis natura fuerit eius, qui debet perferre adhoc ducere. Sic & euacuationes, quæ ad extremum* (nota) *deducunt, periculoſæ & rurſus refectiones cum extremæ fuerint periculoſæ. Gal. vt igitur corpus rurſus habeat locum, quo nutriatur, bonum habitum oportet ſine mora ſoluere, eius autem ſolutio eſt euacuatio, vt liquet, & hanc quoque oportet non vltra modum* (nota) *facere: cum ſit immodica euacuatio, non minùs immoderata repletione periculoſa. Mac.* parũ curo, quomodo cedat hæc: nam lis eſt de nomine. *Vec.* non quidem, ſed de re per nomen ſignificata, quæ niſi attendatur, tuæq; oſcitanter ſtaremus aſſignatæ nomenclaturæ, venas exhauriremus, quum tamen minus ſanguinis detrahere teneamur ex iuncto nobis à Pergameno officio. Hæc pro repudiata *mediocritate*, & ſubſtituta abs te adulterina *paucitate* in ſanguinis abundantia. Medicè loquentem audiſti Galenum opponere plenitudini athleticæ *euacuationem*, multitudini euacuationẽ opponi millies docuit, neque deerit tibi Hipp. noſter. *Hipp. morbos quos facit repletio, curat exinanitio, & aliorum contrarietas. Mac.* Sat declinaui telum, & cacochymiam includi dixi ex Galeno. *Vec.* Abnuere hunc, teque malæ fidei hominem damnare audiſti dudum, plenitudinis, ſeu multitudinis nomen ſanguineę tantùm deberi redundantiæ, rurſus & audies. Verùm includat cacochymiam,

Hipp. p. Aph. 3.

loc. cit.

Gal. in Comm. Aph. cit.

de opt. ſecta ca. 25.

Aph. 2. 22.

11. meth. c. 13.

miam, non excludes, puto, plethoram. *Mac.* absit. *Vec.* Plenitudo igitur, seu multitudo sanguinea curatur per euacuationem Hipp. monitu, hoc sat est mihi in præsentiarum. *Mac.* admitto. *Vec.* at contraria contrarijs tantùm curantur, eodem Præceptore postremis in verbis aphorismi, ergo euacuatio sanguinis, multitudini illius est contraria. *Mac.* auersor Logicas istas quisquilias. *Vec.* immo Logicam vniuersam, quanta quanta est, quæ supinitas cogit tè sæpissimè caligare, neque discernere verum à falso, non dum illius sacris initiatum. Coronidis loco accedit Galenus in ordinem te redacturus. *Gal.* *quod quidem plenitudo morbum efficiat, antea dictum est, quod autem euacuatio sit eius curatio, non opus est dicere, sicuti neq; de omnibus alijs causis, quæ morbos committunt, quod per contraria curentur. Sic & si propter repletionem morbus constituatur, tunc oportet repletionem euacuare, sicuti et si propter euacuationem, reficere protinus conuenit.*

Comm. Aph. cit.

Parùm congruere Antiquorum placitis nouam Methodum.

Mac. haud vacat mihi testudineo isto progredi gressu. *Vec.* matura igitur. *Mac.* malè sit tuæ *mediocritati.* *Vec.* habes ne quid simile tuæ *paucitati?* *Mac.* audies, si permittas mihi progredi. Totus in hoc sum, vt Auctorum etiam consensu, vallem nostri pulueris dignitatem in febribus putridis tollendis. Medicus enim, cui hoc curæ est, debet causas illius rescindere, & auferre per contraria, multitudinem paucitate, seu tua mediocritate, vel euacuatione; crassitudinem attenuatione, tenacitatem detersione, obstructionem apertione, prohibitam transpirationem, inhibitione ne retineatur, putredinem inhibitione, ne fiat, & vt facta euacuetur. Immunia ne sunt hæc à tua censura? *Gal. Septem à nobis præter naturam posita sunt, à quibus in-* dica-

pag. 40.

11. Meth. cap. 13.

dicationes sumuntur, humorum multitudo, crassitudo, lentor, obstructio, transpirationis retentio, putredo, & febris, atque hæc contraria omninò esse adhibenda docebant. *Vec.* excideret Macro indicatio à morbo, cuius in gratiam tantam molitus est struem. *Mac.* homo sum: humani nihil à me alienum puto, in reliquis egregiè me gessi. *Vec.* Sto Galeni iudicio. *Mac.* non refragor. *Gal. ergo indicabit, vt dictum est, præcedentium causarum quælibet proprium aliquid: multitudo ipsa, quæ ex eorum est numero, quæ sunt ad aliquid in prædicamento quantitatis euacuationem.* *Vec.* audi cursor, non fui tibi iniurius. *Mac.* facesse remora. *Gal. lentitia verò & crassitudo, quæ sunt in qualitate affectus sanationẽ, quæ per contraria perficitur.* *Mac.* Et ego attenuationem crasso opposui. *Vec.* non benè. *Gal. quippe crassus succus ex opposito habet tenuem.* *Mac.* quid interest, vtro dixerim modo? nodum in scirpo quæritis. *Vec.* illud interest, quod inter indicationem, & opus præstandum. *Mac.* carpe, si vales, par nostrũ, *tenacitatem detersione.* *Vec.* hæres tuæ tenacitati. *Mac.* iustũ, & tenacem propositi virum laudat Flaccus. *Vec.* Glutinosum dixit Galenus. loc. cit. *Mac.* At gluten tenax est. *Gal quòd si glutinosi humoris naturam sub ea ratione intelligas, quòd quicquid attigerit huic ægrè dissolubilis adhæret, non immeritò arbitror, eum qui nec adhæret, & ea quæ hærent deterget contrarium ipsi statues. Et antecedentium quidem causarum contrarietates abundè sunt dictæ. In Instrumentali verò morbo, qui est obstructio.* *Mac.* apertionem laudo. *Gal. contraria ei est ecphrasis, quam reclusionem, puto, dixeris. Symptomati verò, quod est transpirabilium retentio?* *Mac.* inhibitio, ne retineatur. *Gal. excretio ipsorum contraria est.* *Mac.* at synonyma sunt. meth. med. Fe. *Vec.* quæ? *Mac.* non audis? *Vec.* obaudis tu miser. *Gal. At verò in humorum putredine?* *Mac.* inhibitio, ne fiat, & vt facta euacuetur. *Gal. Excretio, & refrigeratio, & ventilatio, & semiputridorum concoctio, ex aduerso respondent. Pugnantibus igitur his, sicut diximus, aliàs aliæ tum indicationes vincent, tum materiæ. Indeque factum est, vt quidam cùm ignorassent vnam semper dari ex*

ri ex re quaque indicationem, ac, si præter naturam sit, quod indicet, contrarium id semper indicare: sin secundùm naturam se habeat, non contrariũ, sed simile: nec medendi hi, nec sanitatis tuendæ methodum constituere potuerint. Siquidem, cum in primis ipsis indicationibus sunt lapsi, multò profectò magis in ijs, quæ sequturæ erant, decipi debebant: debent enim, arbitror, ædificijs fundamenta iaci firma, & scaphis poni idonea carina, si quid ædificandorum, pangendorumque in ijs futurum est firmum: vbi enim prima ipsa basis statim ab initio debilis fuit, quĩ fieri potest, vt quod superstruxeris, futurum infirmũ non sit? *Mac.* En Pergamenum, vbi descripta accuratiùs est luculentissima tabula ad mentem Auctorum. *Nau.* dic sodes Vector, homo hic nauta ne est? *Vec.* non credo, sed nauticus. *Nau.* pyxidem non video, neq; bolidem. *Vec.* littus radit, non profundum nauigat. *Mac.* heus vos, quid mussatis clanculum. *Nau.* vix mutimus. *Mac.* dic si quid habes nunc, alioqui lauda nostram industriam. *Vec.* quam industriam? *Mac.* quam vides, vnica membrana explicantem sensus omnes Auctorum in curanda febre putrida. *Vec.* Sat vidi: non est, quod limen transcendam. *Mac.* hæsitas forsan? manu ducam te ego. *Vec.* quò, in foueam? *Mac.* ardua profectò primâ fronte sunt hæc, verùm complanabo ego iter posthac, modumque procedendi per diuisiones tibi Neofito communicabo. *Vec.* renuncio eruditioni, donec tua emendes. *Mac.* quæ nam? *Vec.* præsentis tabulæ exordium. *Mac.* quid obijcis? *Vec.* improbam seriem, malèque partitam euacuationem, & euacuantia præsidia. *Mac.* quo ordine procederes tu sciole? *Vec.* hoc pacto rem absoluerem: Euacuantium præsidiorum, alia æqualiter id præstant, non æqualiter alia. *Mac.* quid tibi vis cum ista æqualitate, & inęqualitate. *Vec.* æqualiter euacuant, quæ quatuor humores euacuant; inæqualiter, quæ vnum, aut duos, tresue ad summum educunt. Insuper quæ humores æqualiter euacuant, vel id præstant manifestè, & sensibiliter, vel insensibiliter, idque vel per se, vel per accidens.

dens. Priorum sub censu ponuntur primo loco, Venæ sectio, deinde scarificationes crurum, hirudines, &c. æqualiter insensibiliter, & per se, frictiones, exercitationes, balnea &c. Æqualiter insensibiliter, & per accidens, inedia. Superest alterum membrum eorum, quæ non æqualiter euacuant, eaque, aut corpus vniuersum, aut illius partem. *Mac.* hîc statio saltem erit nostræ purgationi. *Vec.* sed stataria. Obserua interim (quod facio, vt quis præ incuriâ hæc te commisisse credat) *paucitatem illam* de industria fuisse introductam, & æqualitatem præteritam, quô purgationi indebitam conciliares dignitatem. Prætereo reliqua errata, & mendosas marginales tuas locorum citationes, non indicta tamen abibit ridicula illa, bisque repetita *cap.* 14.7. *meth.* quum tamen liber nonnisi tredecim contineat, nilque tibi fauentia, capita. Ab Asino proinde decidisti tu properans, pedes prosequere posthac inceptum iter.

Vtra præstantior, sanguinis missio, an Purgatio per puluerem.

Mac. hæc sunt ex toto præsidia à Galeno, & cæteris Medicis pag. 41.
„ hucusque excogitata, pro rescindendis singillatim causis excitantibus febrem putridam: modo ad lancem, ac trutinam, quæsò, pedetentim ipsa cum puluere nostro examinare incipiamus, ad hoc vt perspicere valeamus, vtrum puluis iste hæc eadem præstet, nec ne, & an efficacius. *Vec.* hoc opus, hic labor. *Nau.* præstat & alia. *Vec.* quæ? *Nau.* emungit crumenas, libitinam fatigat, medicum impinguat. *Mac.* Igitur quod ad venæ sectionem pertinet, negare non possumus, quod tale præsidium non sit exquisitè euacuatiuum, & statim etiam. *Vec.* quid igitur ambigis toties, importunèque, de eius dignitate? *Mac.* verùm ex altera parte, quot habet contraindicationes, illius vsum impedientes? *Vec.* hæc tamen illius præstantiæ non derogant, neque minores habet tua purgatio. *Mac.* illas nunc

omit-

omitto, quòd proprio loco afferentur. *Vec.* veh tibi à ferula! Ades dum, tarditas, & procrastinatio ista tua odiosa est: quam nactus es Spartam, hanc exorna in præsens. *Mac.* secùs facere decreui; quid tua interest? *Vec.* tuâ causâ hoc facio. *Mac.* non curo. *Vec.* tam citò ne vale dixisti tuæ existimationi? Tu qui nouam *methodum* cudis *in puluerem*, amethodus audies? reuoca dispersas vires, iunctisque copijs propugna tuam purgationem, aut oppugna sanguinis missionem. *Mac.* flexilis sum, nolens volenti animo tibi obsequar. Vin' prosequar numerosas contraindicationes sanguinis missionis? *Vec.* Prosequere. *Mac.*

pag. 59. „ octo illæ sunt, Ætas, Anni tempus, Grauidatio, Alui fluxus, & „ Vomitus, Cruditas, morbus frigidus, Vitiati humores in primis vijs, Timiditas tandem. *Vec.* an non & hæc purgationi cuilibet incommodant. Hipp. *nosse porrò oportet eos, quibus caput dolet ab exercitationibus, aut cursibus, aut profectionibus, aut venationibus, aut ex alio quopiam intempestiuo labore, aut ex re venerea: decolores item, raucosos, splenicos, exangues, spirituosos, & siccam tussim habentes, ac siticulosos, & flatuosos, & venarum interceptiones, & eos, qui intenta habent præcordia, & latera, & dorsum, & torpefactos, & obscurè videntes, & quibus aurium sonitus incidunt & qui vrinariam fistulam vrinam non continentem habent, & morbo Regio laborantes, & quorum alui cruda eijciunt, & quibus ex naribus, aut per sedem sanguis vehementer erumpit, & qui tubercula habent, & quibus vehemens dolor incurrit, Et non superauerint, ex talibus nullum medicamento purgandum esse.* *Mac.*

Hipp. li. de Vic. Ratione in Ac.

pag. 60. „ Cætera, quæ aliorum remediorum euacuantium, tam Chirur- „ gicorum, quã Pharmaceuticorũ prohibent vsum, huic pulueri „ haudquaquam repugnant. *Vec.* festina lentè, mi homo, neque „ signa purgationis desere. *Mac.* præfero ego hunc puluerem sanguinis missioni, & omnibus purgantibus: percepistin'? *Vec.* percepi, sed purgans est. *Mac.* quid inde? *Vec.* fruetur igitur commodis, & incommodis proprij generis. *Mac.* transcendit proprium genus. *Vec.* congrua loquere, & congruo procede

ordi-

ordine:prętulisti dudum purgationem sanguinis missioni, mox prohibentia octo adduxisti. *Mac.* quæ tamen nostro pulueri haud incommodant. *Vec.* Sat erit, si horum quamplurima purgationi parum faueant, præter dudum recensita nostro ab Antesignano. *Mac.* esto. *Vec.* vulnerabunt igitur hæc & tuum puluerem, qui purgans est. *Mac.* non patiar. *Vec.* arma ergo capesse. *Mac.* totus sum in armis, proque purgatione pugno. *Vec.* optimè; descendamus in arenam, experturi quid valeant illi tui obices. Ætas, prima in ordine, vel tuâ confessione, non admittit purgantia, saltem in Lactentibus, forsan & in senibus. *Mac.* Trãseat. *Vec.* Non secùs fit in anni temporibus, vbi squallor, & rigor dominantur. Vtero gerentes vix sunt medicandæ, si materia turget à quarto mense, vsque ad septimum, sed hæ minùs, à iuniore autem fætu, & seniore abstinere oportet. *Mac.* egregiè. *Vec.* in vomitu, & fluxu alui purgationem excludis; pari pacto in cruditate, & frigido morbo, ambigis in vitiatis humoribus, & timiditate. *Mac.* fideliter exposuisti. *Vec.* eximã modò pro virili sanguinis missionem ab obiectis sentibus. Nã quantum est de Ætate, religiosiores, quàm par erat, fuêre Gręci (pace illorum dixerim) in huius administratione. Nouit posterior ætas, firmo puero, robustoq; seni, tali euacuatione mederi. Quin filiolo suo trimo Auenzoar venã tudit innoxiè: cordatiq; Medici apud nos, si quãdo huius remedij ingruat necessitas, viresq; illud patiantur, nõ abstinent. *Mac.* at reclamant sẽper vires in vtrisq;. *Vec.* petis quod controuertitur. *Mac.* Pueri insuper habent iugem, copiosamq; euacuationẽ ex perspiratu. *Vec.* quæ tamẽ aut impedita aliquãdo, aut insufficiens est, secùs morbis ex plenitudine, vel ex putredine nũquã tentarẽtur. Sat parcit Medicus ætati, si minùs sanguinis detrahit, futurarũ viriũ in gratiã, quod & facit in alijs ætatibus, sæuiente brumâ, aut latrante Syrio astro. Prægnantibus, præq; sola sanguinis abundãtia fætum perdentibus, sanguinis detractione consulit, quòd & facit, si laborant hæ acutis morbis, sintque in vitæ discrimine.

4. Aph. 1.

C. Cel.

Non

Non defuêre superiore sæculo, qui Dysentericis consuluerint Venam salubriter tundi, fides sit suos apud Auctores. Neque cruditas obstat, si necessitas vrget. Quid dicam de frigidis morbis? præfulget in his tollendis Hipp. industria. *Gal. nemo* de Ven Sect. c.5. *alter in tremoribus æque, atque hydropisi, alioue frigido affectu vllo, sanguinem detrahere vnquam ausus fuit. Vec.* timidos tandem despicimus, qui præstantissimæ euacuationi haud officiunt, sed ipsismet damnum irreuocabile atimia inferunt. Hæc vindicant p.41. sanguinis missionem à tuis contraindicationibus. Profer, si quid habes solidi, contra illius dignitatē. *Mac.* Ad hęc sanguinis missio per Gal. ipsum non euacuat absolutè id, quod putrefactum est, neque etiam obstructionem curat, non refrigerat, nisi per accidens, vacuando scilicet succos excalefactos. *Vec.* an præstat hæc beneficia purgatio? *Mac.* non credo, sed prestat noster puluis. *Vec.* secedat parumper puluis. Dic tu, vbi locorum Gal. illa protulit. *Mac.* in *cap.* 14. *lib.* 11. *Meth. medendi.* *Gal.* hæc nostra sunt: *Verùm quoniam nec obstructio, nec putredo curari per sanguinis missionem potest, vt quæ alia remedia, ceu priùs monstratum est, desiderent. Vec.* plurimùm interest, ni fallor, non curare putredinem, & non euacuare putredinem, mala fide proinde nobiscum agis. *Mac.* non incuso, quod poteram, memoriæ lapsum, sed apud me nihil interest, vtro dixeris modo. *Vec.* felix ingenium, cui tam facilè licet cuncta complanare. Verùm edissere nobis, cur sanguinis missio non euacuat absolutè id quod putrefactum est? Paruo enim negocio contrarium elicere mihi non negatur ex illo capite, & sequenti, vbi locorum habet, *si vires eius, qui ex putredine humorum, vt positum est, valentes sint, mittendus statim sanguis est.* At sanguinis missio æqualiter euacuat omnes humores: ergo & euacuabit putridum humorem. *Mac.* at non absolutè. *Vec.* cur non absolutè, si æqualiter. *Mac.* Ius nobis dicentem expecto. Interim tamen illud saltem, vel inuitus fateberis, quòd sanguinis missio nō curat obstructionem. *Vec.* & hoc cū mica salis. Sanguinis missio, vt re-

vt remedium euacuatiuum, tollit multitudinem. *Mac.* Concedo. *Vec.* concedes pari pacto, Galeno monitore, aliquam obstructionem fieri à multitudine. *Mac.* non auersor. *Vec.* igitur sanguinis missio curabit aliquam obstructionem. *Mac.* Verùm quam mentem habes in reliquis obstructionum generibus, quæ frequentiores sunt? *Gal. conuenit sanguinis missio in parua quinetiam obstructione, etiamsi plenitudinis signa non adsint; præstat enim vitiosi succi maiori parte emissa ad detergendas obstructiones accedere, cum alioquin metus sit, si obstructionibus liberandis, priusquam euacuaueris, studeas, ne ipsas magis impingas.* *Mac.* habes igitur à Galeno, quòd peracta Sanguinis missione, obstructio proprijs extirpanda est remedijs. *Vec.* assentior, & regero vitiosum succum eductum. *Mac.* igitur multitudine sublata, non tollitur obstructio, sed alijs opus erit præsidijs, quod minùs attentè dudum considerabam. *Vec.* πρῶτον, & hoc negari. Exemplo tibi rem patefacio. Sit obstructio in carotidibus à copioso sanguine; tundatur vena, statim soluitur obstructio. *Mac.* repugnant hæc Galeni doctrinæ. *Vec.* immò congruunt egregiè: nam in cæteris obstructionibus factis ab humorum crassitie, & viscíditate, post sanguinis missionem necessaria sunt extergentia, & dissecantia, in ea, quæ fit ex multitudine, superuacanea sunt. *Mac.* cur inquam? *Vec.* quoniam multitudo est causa continens, qua sublata, statim tollitur effectus. *Mac.* sed quid ad Galenum nostrum? *Vec.* obstructio ex multitudine, & multitudo, re idem sunt, ratione autem differunt. Cæteræ obstructiones vtraq; differunt. Ecphrasis, seu reclusio, obstructioni opponitur, multitudini euacuatio. Ablatam multitudinem consequitur reclusio: hæc pro vindicanda dignitate sanguinis missionis in obstructionibus curandis, dũ cætera præterit, breuitatis amore. *Gal. siquidem eorum qui ex sola obstructione febricitarunt, nemo in putridas febres incidit, qui prius sanguinem miserit.* *Vec.* habes ne aliquid solidius Macer? *Mac.* non refrigerat nisi per accidens, vacuando, scilicet, suc-

10. Meth. c. 2.

8. Meth. c. 2.

9. Meth. c. 4.

pag. 41.

cos excalefactos. *Vec.* seriò ne hæc dicis? *Mac.* men' putas nugari? *Vec.* aut hoc, aut asciam proprijs cruribus infigere: si euacuat sanguinis missio Succos excalefactos, cur non euacuat, per se, putridos? an detrectant hi per patulam egredi viā? Deinde si non refrigerat per se corpus vniuersum missio sanguinis, an illud præstat purgatio? *Mac.* nequaquam. *Vec.* cur igitur illa obijcis sanguinis missioni, quæ nihil fauent tuæ purgationi? *Mac.* At nostrum puluerem commendant. *Vec.* sed non erat hic locus. Insuper indicantur non minùs, quæ per accidens refrigerant, quàm & quæ per se: non credis, en Gal
11.Meth. c.2. adhibeo testem. *Gal. sed nec si diuidentes id, dicamus aliquando, sanare nos febrem per ea, quæ actu, aliquando & per ea quæ potestate, aliquando & per ea, quæ ex accidenti refrigerant: aut etiam ista coniungentes: nulla pugnantia cum ijs, quæ dicta sunt, in sermone erit. Pari modo nec si quis dicat, quæ actu, vel potestate, vel ex accidenti calfaciant, ea febres deteriores reddere, quàm priùs fuerant: contra quæ actu, potestate, vel ex accidente refrigerent, ea febres sanare. Mac.* Coronidis tandem loco præoccupabo quod obij-
P.32. cere poteras ex Gal. qui primas tribuere videtur sanguinis
„ missioni *c. 29. 2. Aph.* nam inquit: *sunt autem hæc* (supple ma-
„ iora remedia) *maximè quidem venæ sectio, nonnunquam verò,*
„ *& purgatio*, vbi per particulam *maximè*, venæ sectionem ma-
gis extollere videtur, per particulam verò *nonnunquam*, pur-
„ gationi detrahere videtur. *Vec.* res in vado est. Quid tu modò?
„ *Mac.* Verùm enimuerò, Galenus alio in loco (2. Acutorum
„ 11.) aliud agens, cùm eadem de re disputationem instituisset,
„ quæstionem hanc dirimit, in hunc modum, *Venæ sectionem*
„ *minus quidem auxilium esse, quàm purgare, securius tamen, contra verò purgationem, maius quidem auxilium esse, sed minus securum. Vec.* Stat igitur primum Galeni decretum, quòd
2. Acut. t. 10. 11. si duo remedia maiora conferantur ad inuicem, *maximè* primatus debeatur sanguinis missioni, *nonnunquam* & purgationi, nempe perquam raró. Contigit verò in Pleuritide do-
lorem

lorem excitante in partibus sub septo tantùm, vt opportuna prædicetur ab Hippocrate purgatio, qui casus infrequens est, frequentior, si ad clauiculam dolor pertigerit; in qua pleuritico internam cubiti venam secat, permittitque copiose effluere, donec color mutetur. Non controuersum habeo auxilij genus quod fecit Gal. sed tuam carpo inscitiam, ne dicam malitiam, qui ab vno particulari, illoque infrequentissimo, arma mutuares, quô vniuersale, frequentissimumq; deijcias. Quid somnias tu illud *aliud agens*, dum totus est Galenus in pensitandis viribus vtriusque euacuationis. *Gal. considerare igitur hæc, atque in memoria tenere nos oportet, sed non perpetuò in pleuriticis vti debemus, ad memoriam reuocantes aphorismum illum, vbi dicitur: In acutis morbis raro, & in principijs, purgantibus medicamentis est vtendum. Vbi igitur, inquit, non solum acutus morbus fuerit, cuiusmodi est pleuritis, verùm, & cum febre vehementissima, multò magis vitanda est purgantis medicamenti administratio: atque per sectionem venæ vacuandum magis, etiam si ad hypochondrium dolor pertingat. Nempe etsi minus quidem auxilium, quàm per purgationem, sequatur, securiùs tamen multò existit; immo nullum ex eo, quod per venæ sectionem fit, periculum impendet, eo descrimen maximum subeunte, quod per purgationem tentatur. Vec.* an percipis, non absolute, sed per fiduciariam operam, minus auxilij expectari à sanguinis missione, deberi tamen illam eligi ob securitatem? *Mac.* at nonnisi ex perspecta natura ægrotantis. *Vec.* potissima illa est, sed non sola. *Mac.* optimè calleo calorem medicamenti. *Vec.* aliud est, quod veretur. *Mac.* explica tandem. *Vec.* febris vehementiam, quæ sanguinis missionem indicat. *Mac.* haud credo hanc fuisse Galeno mentem. *Vec.* ipsa canas. *Gal. cùm igitur febris vehemens non fuerit, naturamque laborantis expertus fueris, ad medicamenti purgantis potum, te conferes, ijs quæ ab Hipp. dicta sunt, vel etiam alijs, similis naturæ, vsus. Vec.* Vt igitur receptui canam, ex quô tela, quæ in sanguinis missionem vibrâsti, aut irrita experti sumus, aut

purgationi, cui patrocinaris, non minùs infesta, multiſque illã nominibus anteſtare, vtpote quæ eſt euacuatio omnium humorum æqualiter, & *exquiſitiſſima* dicitur à Gal. (quanquam à te extenuetur, celerrimum inſuper auxilij genus, & quod in noſtra penitus eſt poteſtate, ſecus quàm ſucedat in purgatione. *Gal. Nam quod ſemel deuoratum in ventrem eſt medicamentum, quò minùs deuoratum ſit, fieri non poteſt: neque poſſibile eſt, vbi plus, quàm conueniat iam purgetur homo, partem oblati auferre. At in ſanguinis miſſione ſummum id bonum eſt, euacuationem, dum voles, poſſe ſiſtere, ac rurſus quo videtur tempore fluere ſinere, quoaduſque rectè habere appareat. Vec. præferenda igitur erit* ſanguinis miſſio purgationi. *Mac.* vltrò concedimus: habent enim medicamenta ſuas contraindicationes, ſunt ingrata, inſuauia; & ſi de ſoluentibus ſit ſermo, ſunt calida, eodem Galeno auctore, non poſſunt quotidiè exhiberi, aluum aſtrictam relinquunt, magnam corpori moleſtiam inferunt, ex quo debile admodum reddunt, ita vt antequam priſtinas recuperet vires, longum tempus requiratur, *Nau.* hic homo ore calidum, & frigidum ſpirat.

1. Aph. 17.

de Cur. perſ. m. c. 12.

pag. 42.

1. Aph 24.

Puluis Alexipyrethros extollitur, & deprimitur.

Vec. quorſum tandem euadet tantus apparatus? *Mac.* obliuioſus es, noſtrique inſtituti immemor? quibus in votis eſt Puluerem febrifugum cęteris preſidijs præferre, quod dudum præſtitimus, ſi benè animaduertiſti in ſanguinis miſſione, & purgatione. *Vec.* probè noui in te animaduerſum. *Gal. adeo indelebile vitium vehemens ignorantia eſt, præſertim ſi cum ſuperbia ſit coniuncta. Vec.* dic ſodes, puluis iſte tuus, eſt ne vniuerſalis illa Medicina toties ab Hermeticis decantata, & tanto diſpendio à nonnullis quæſita, quæ corporibus metallicis, & humano mirabiliter medetur? *Mac.* habet, quæ corpus humanum depurant, auri ad inſtar, qua de re opportunius. *Vec.* quid igitur

13. meth. c. 15.

tur,est ne è familia purgantium? *Mac.* fateor. *Vec.* Repeto rur-
sus,pace tuâ, huic igitur omnia competunt, quæ suo generi
tribuũtur? *Mac.* excedit illa proprium genus: retines ne modò
Obliuiose? *Vec.* Quin repudio,neq; existimo æqualiter illũ om-
nes humores euacuare è venis,neq; actutùm. *Mac.* Verùm san-
guinem defæcat,*Vec.* esto,sed non euacuat,neq; multitudinem
tollit, non reuellit ad determinatam partem, neque deriuat.
His ergo nominibus sanguinis missio præibit tuum puluerem.
Audisti tandem, tuque dudum recensebas, quot, quantisque
criminibus obnoxia sit purgatio. *Mac.* contra verò puluis ab » pag.42.
illis contraindicationibus est immunis, quemadmodum suo »
loco demónstratur. *Vec.* ad Græcas Kalendas. *Mac.* non est in- »
gratus, non insuauis. *Vec.* sed feralis. *Mac.* non est calidus. *Vec.* »
actu, præ tua frigiditate. *Mac.* potest pluries, si necesse sit, assu- »
mi. *Vec.* An non & alia pharmaca? *Mac.* aluum astrictam non re- »
linquit. *Vec.* immò vltra quod par, & æquum, laxam. *Mac.* cor-
pus non debilitat, ita vt vires citò reassumantur. *Vec.* auget »
proinde vires, à quibus nil deperierat. *Nau.* appositè; nam est »
Cerberi contusum. *Vec.* an Capum, vel Gallinam, Cerberum »
existimas? *Mac.* quod verò ad inediam spectat. *Nau.* expecto
non vulgaria à tanto cliente. *Vec.* quid reuocas importunè hãc
in quæstionẽ: *Mac.* mens mihi est probare, nullum ex remedijs »
multitudini tollendæ laudatis, æquè conducere, ac nostrum
puluerem, quod si euicero in posterùm, dubiò procul alexy-
terium præ manibus habebimus febrium putridarum: hæc
(inedia) per Galenum, cui omnes assentiuntur,euacuat per ac-
cidens, hic autem puluis per se. *Vec.* cætera verò præsidia idem »
præstant. *Mac.* quid ad me? *Vec.* plusquam satis. Tuum est in »
præsens,ventoso eloquio, non tam puluerem extollere, quàm
deprimere singula remedia; balnea proinde, frictiones, exer-
citationes, purgationes sanguinis missio tuum eludent cona-
tum. *Mac.* deprimam mox & reliqua. Iam verò efficacius, & »
præstantius esse agens, quod aliquem producit effectum per »

„ ſe, & primò, quàm id, quod per accidens, & ſecundariò, nemo
„ eſt qui neſciat. *Vec.* nempè, cæteris paribus. At in caſu noſtro ſubſtituitur ſæpè inedia, illaque præſtat, quæ reliquis aſſignantur auxilijs. *Mac.* Non controuerſor. *Vec.* benè eſt. Sapiamus modò cum paucis. Inedia, cibi abſtinentia eſt, atque priuatio. *Mac.* cui dubium? *Vec.* at priuatio nihil agit, aut patitur, neque per ſe, neque per accidens, neque primariò, neque ſecundariò. *Mac.* ſuperuacanea igitur eſt, fruſtraque imperatur in morbis. *Vec.* vtraque nego; neceſſaria enim quandoque eſt, confertque per aliud. *Mac.* nil igitur ipſa præſtat. *Vec.* an neſcis, quod qui per aliũ facit, per ſe ipſum facere videtur? *Mac.* quidnam eſt illud aliud? *Vec.* totius corporis euacuatio per inconſpicua effluuia. *Mac.* at ſerum eſt genus auxilij, paucique momenti. *Vec.* tutius eſt, maximique emolumenti, quo natura cõſuluit viuentium indemnitati. Et quoniam conſueuiſti tu euacuationes multitudine æſtimare, illud nôris, euacuationem hanc æquare, aut ſuperare excreta reliqua, vel ſimul iuncta. *Mac.* quis ponderauit aerem? *Vec.* non defuere noſtro hoc ſæculo curioſa ingenia, quibus effluuia illa conijcere licuit, non abſque laude. *Mac.* quot aiunt pendere vncias? *Vec.* ad libras
Sãctorius Sanctor. tres, præter propter, ſingulis diebus à ſano corpore decidere, affirmant, fides ſit ſuos apud Auctores. Quapropter non eſt, cur deducas inediam, quæ opulentiſſimæ ancillatur euacuatio-
pag. 43. „ ni. *Mac.* mitto exercitationes; non enim cum puluere iſto com-
„ parandæ ſunt. *Vec.* nempè in febribus, ne Prodici in morem ægros tuæ fidei commiſſos, luctâ, & curſu, conficias. Vide,
„ quàm ſim in te æquus. *Mac.* balnea, frictiones, ante totius cor-
„ poris euacuationem non eſſe adhibendas, conſtat; puluis autem
„ ſtatim ab initio vſurpandus eſt. *Vec.* contraindicat tua hæc illatio: quin petis, quod controuerſum eſt, vitio tibi perquam familiari. Mirum eſt te non animaduertiſſe, & hæc euacuare per accidens. De tua verò *eu acuatione in principio*, niſi conten-
„ tus hucuſque es, habebis & alia ſuperpondij loco. *Mac.* ecce

igitur,

igitur, quòd iã patet, puluerẽ in paucitate, quę erat primus scopus, præstãda, nõ solùm æquare, verùm & nõ parùm etiam alia superare præsidia hucusq; administrari solita. *Vec.* explosa illa *paucitas*, cur in scænã redit, an locum cessura euacuationi? Cur præteris Diuretica, Diaphoretica, Clysteres, & similia, suo tẽpore profutura? *Gal. at Hipp. ille Medicus te, (ò Macer) nulla ex parte inferior, nõ sic de Venæ sectione pronũciauit, sed quæ tu verbis saltẽ admiraris, ea illa opere palam est exequutus. Admiraris tu siquidẽ naturã ipsam, vt artificiosã, simulq; prouidã animalis gubernatricẽ, nullibi tamen eam imitaris. Aut, cùm illam plurimis morbis sanguinis euacuatione medentem frequenter animaduerteris, cur ne in vno quidem vnquam hoc idem tu ipse fecisti? Cur etiam naturæ, quam laudas, opera silentio supprimis? Cur præterea, quando apud Hipp. reperisti multa huiusmodi scripta, mulieri sanguinem vomenti, menstruis erumpentibus solutio; & ab atra bile habitis similem effectum hæmorrhoides præstant. Sanguinis item fluxus copiosi per nares soluuntur: apud te nihil tale, sed vnico solùm verbo laudata natura, opus autem illius nullibi scriptum reperitur. Porrò mihi sufficiebat, vt opera illius antea ad perfectum addiscerem, à quibus postea initio sumpto ad inuestigandum, reperiendumq; id, quod æquum putabam, idoneus euasi. Mac.* hactenus de multitudine demenda, quæ remotissima erat febris putridæ causa; accedamus ad alteram, nimirum ad crassitudinem. *Nau.* erit illi ex vsu, ni renes æmuletur. *Vec.* cur ita? *Nau.* perenni obuoluuntur pinguedine, neque pinguescunt. *Mac.* Quæ remouent crassitudinem, ex Galeno, attenuantia sunt, & dissiccantia; sed puluerem nostrum, talem possidere vim, tam certum est, vt demonstratione haud quaquam indigeat. *Vec.* eãdem facilitate negatur, qua tu illud affirmas: neque enim res, neque mora aliud patiuntur: quod & de tua detersione suspicamur. *Mac.* sequitur obstructio, quæ inhibetur, si humorum obstruentium affluxus compescatur; compescitur autem, per euacuationem adhibitam, per sanguinis missionem, medicamenta, & ine-

11. Meth. c. 8. 9.

De Ven. Sect. ad Erasistr.

Pag. 44.

" diam *cap.* 14.*lib.* 11. *Meth.* Iam verò puluerem nostrum in va-
" cuatione præstanda primas obtinere, supra demonstrauimus.
Vec. tentâsti incassum magnâ imposturâ, quod & facis in præ-
De Ven. Sect. ad Erasistr. c.2. sens, mala fide Galenum aduocans, non sine tuo magno malo.
Gal. Non meus Auditor homo hic est, *sed Chrysippi Gnidij, quo primùm auctore de explodendo venæ sectionis vsu, dogma suscitatum est. Iam verò obstructionum ipsarum alia est, quæ ex abundantia, alia quæ ex qualitate succorum, scilicet, qui aut lenti, aut crassi sunt, incedit. Præfertur autem inter remedia, in ea, quam copia facit, sanguinis missio, in ea, quæ ex humorum qualitate consistit, attenuantiũ vsus.* *Vec.* vacat igitur puluis ille tuus in vtraq; obstructione curãda. *Mac.* quin in posteriore appositissimus ad deturbandã materiã priùs obstruentẽ. *Gal. vbi autem, quæ obstruũt, detersa, dissectaq; sunt, per aluũ, vrinas, & sudorẽ ea vacuare tentandũ,*

10.Meth. c.2.

11.Meth. c.10.

" *Mac.* egregiè conspirat in nostra cõmoda. *Vec.* prosequere tuã
" cantilenã. *Mac.* pro illius verò facti ablatione Galenus propo-
loc.cit." nit apertionem, vel reclusionẽ per incidentia 11. *Meth.* 10. *Gal.* *Cuius rursum ipsius, quod iã factũ est: sanandũ est: quod futurũ est, inhibendũ. At curabitur quidẽ, quod obstructionis iã factũ est, per ea, quæ obstructa liberant: inhibebitur, quod futurũ est, si affluxum obstruentium succorum compescas. Ergo quod vltimum in ipsa resolutiua methodo est inuentum, id primùm omnium in curatione est peragendum. Ostensum, enim, in prioribus libris est, si ijs auxilijs, quæ obstructione eximant, vti non vacuatâ priùs abundantiâ velimus, fore, vt non modò nihil proficiamus, sed etiam affectum maiorem reddamus, pugnantibus scilicet inter se indicationibus. At si vacuata priùs multitudine ad curandam obstructionem accedamus medicamentis ijs, quæ obstructiones expediant, erit opus.* *Vec.* mirabar, si hac vice saltem verba Auctoris fideliter recitâsset Cor-
pag.45. nicula. *Mac.* Verùm puluis noster, ratione Tartari, & Antimo-
" nij, incidit, ac detergit, & ex consequenti aperit sine calore, &
" multitudinem demit. *Vec.* omnia falsa, illorum ad instar, quæ
" pro perspiratione à tuo puluere præstanda te iactare audio.

Mac.

Mac. putredo tandem, immediata febris putridæ cauſa, à noſtro puluere tollitur, & fiens, & facta. *Vec.* papè, magnum Bezaarticum. *Mac.* inhibetur primo loco putredo per hæc tria. *Vec.* at vnicam recenſet Galenus ibi locorum adiapneuſtiam. *Mac.* dirimat ipſe litem. *Gal. duæ rurſum à putredine erunt indicationes, vt, & quod putredinis factum eſt, ſanes, & quod in generatione adhuc eſt, ſiſtas. Porrò quod in generatione eſt, id adiapneuſtia, ideſt perſpiratio impedita, facit, à qua duæ indicationes naſcuntur, tum, vt quod retentum eſt, vacuetur, tum vt quod retinendum eſt, prohibeatur. At ea cum varijs generibus eſt orta, & defatis exiguis meatibus, & conſtrictis corporibus.* *Vec.* quæ tu recitans præterîſti. *Gal. & humoribus, tum abundantiâ, tum craſſitudine, tum lentitiâ ſua obſtruentibus, ſingulæ harum affectionum curandæ per contraria ſunt.* *Mac.* ambigis ne de refectione virium, vt ipſæ ſuperantes putredinem *ſuccos* concoquant? *Vec.* Neque Perſarum Numen illos concoquet, ſed abſumet. *Mac.* Quidni? *Vec.* quoniam Lignei apud nos ſunt: nil verò quod lignoſum ſit, facilè coquitur Galeno. *Mac.* Proh quàm imperitus es? Lege *ſuccos* *Vec.* ita faciam. Igitur quî vires roborat puluis iſte tuus? eſt ne alimẽtitius, & humidus, qui victus febricitantibus omnibus confert, teſtimonio Senis. *Mac.* neutrum, ſed vacat. *Vec.* appoſitè: nam recolliget fractas, præ tot laboribus, vires. *Mac.* Alterum inhibens putredinem eſt, ex Galeno, per ſpiritum refrigerantem, per pulſum, & reſpirationem. *Vec.* non hæc ſapiunt Galeni latices. *Gal. Tanquam igitur in ijs corporibus, quæ non viuunt, ac putreſcunt, primum, quantum eorum iam computruit, ſeparant, dein ei quod reliquum eſt, in frigidum aerem ſublato perſpirationem refrigerantem moliuntur: ita vtique, & putredinem, quæ in viuis eſt orta, ſanabimus, id ſcilicet, quod iam corruptum eſt, omni ratione vacuantes: quod reliquum eſt, moderatis motibus, & refrigerante perſpiratu, ad exactam ſymmetriam reducentes. Ac vacuationem quidem illius per vrinã, deiectiones, vomitum, ac ſudores moliemur: poſt hanc dimotiones*

medio-

11. Meth. c. 10.

pag. 46.

1. de Alim. fac.

11. Meth. c. 8.

mediocres, vnà cum ambientis bona temperie, adhibebimus. Vec. quid igitur minutulus ille puluis extenuatur ampliùs in ſpiritum refrigerantem, aut in frigidum aerem euadit? *Mac.* diuinâſti Vector; puluis nanque iſte, qui frigidus exiſtit, refrigerare profectò & ipſe poterit. *Vec.* ſinamus quæsò rurſus & ipſum
„ vacare, alacrior prodibit in poſterùm. *Mac.* non patiar: cumq;
„ rurſus ſit etiam ſiccus, putredinem abſumere, & prohibere, nõ
„ aliter, ac ſal carnes, & piſces à putredine per multum tempus
„ præſeruat. *Nau.* grata erit ſalſamentarijs compendioſa hæc ſa-
pag.46. „ litura. *Mac.* quî fit, vt videamus puluerem hunc abſq; vlla va-
„ cuatione ſenſibili, febres ſuſtuliſſe putridas. Id quod nulla alia
„ ratione factũ putamus, niſi quod ſua ſiccitate putredinẽ, vel ab-
„ ſumpſerit, vel ſuccos à putredine immunes reddiderit. *Vec.*
„ Rumor fuit, accitum te fuiſſe morbis facillimis curandis, quod ex tua narratione confirmatur, quum per ſe deſierit febris.
„ *Mac.* quiſque ſuo abundat ſenſu. Tertium proponam inhibens
„ putredinem, & eſt ventilatio: Hanc præſtant, inquit Galenus
„ 11. *Meth.* 8. *&* 13. frictiones mediocres rarefacientes; ita ol.
„ Chamom, Anethi, vel amygdalarum. *Vec.* Qua de re, ne verbũ quidem Galenus in locis à te citatis. *Mac.* Confert quoque vinũ albũ, & cętera per vrinas, aut aliter vacuantia. *Vec.* ea te re-
„ cenſere oportebat. *Mac.* ſic & pulſus, & reſpiratio. *Vec.* iterum
„ malè, *tranſpiratio*; apta poſthac ſpecilla. *Mac.* quamobrem cum
„ puluis eam vacuandi, & refrigerandi ſimul vim obtineat, ven-
„ tilationem quoque ſatis abundè afferre valebit. *Vec.* per tran-
„ ſpirationem nempe. *Mac.* non hoc volo, ſed per deiectionem. *Nau.* qua ventilatione tepeſcat, apponendum tibi vis. *Vec.* Vt video, malè conſulis futuræ putredini, peſſimè inhibes, vtinam meliùs iam factam cures. *Mac.* audi, & obſtupeſce, mi homo.
„ Ab eo quod iam putruit, quum ſit omnino alienum, indicatur
„ euacuatio. *Vec.* ablatio. *Mac.* confundo hæc. *Vec.* & alia pluri-
„ ma pariter. *Mac.* at euacuatio per hunc puluerem ſuperat om-
„ nes euacuationes, vt ſupra indicauimus. *Vec.* Satis infæliciter.

Mac.

Mac. tollit igitur putridum omne noster puluis, quid ais Ve- „
ctor? os ne tibi occlusi probè? *Vec.* adhuc diduco. Dic tu, ob- „
seruastin' Galeni progressum, & quibus auxilijs putridum iam humorem eliminet? *Mac.* men' veteranum tentas? *Gal. putredinem quæ in viuis est orta, sanabimus, id scilicet, quod iam corruptum est, omni ratione vacuantes, quod reliquum est, moderatis motibus, & refrigerante perspiratu ad exactam symmetriam reducentes. Ac vacuationem quidem illius per vrinam, deiectiones, vomitum, ac sudores moliemur; post hanc dimotiones mediocres, vnà cum ambiẽtis bona temperie, adhibebimus. Quemadmodum autem horum quodq; rectè administratum sit, paulò æstimabimus.* *Mac.* Nostris fauet dictis, prout dudum tibi significaueram. *Vec.* in hanc horam distuli responsum, quod dabit oretenùs idemmet Auctor. *Gal. Ergo quemadmodum singulis sit opitulandum, id postea pro conueniente sermonis ordine disquiremus: cuius initium à putredine, quæ totum corpus occupet, quæ ipsa continentes quoque febres, quas synochos vocant, excitet, faciemus. Ergo à corporibus, quæ sic afficiuntur, expellenda, quæ putruerunt, per vrinas, & aluũ, & sudorem sunt: quòd si ad os ventriculi aliquando sua sponte impetum capiant, etiam per vomitiones: aliter autem non est, quod ea præter naturam irrites. Ac eorum quidem, quæ iam dictas vacuationes promoueant, non parua materiæ copia est. Sed maior eorum portio cum calida, siccaque facultate sit, febrem auget. Itaque deligenda Medico sunt ea, quæ citra calfactionem, siccationemque valentem supradictas vacuationes præstent: cuiusmodi sunt? cremor ptisanæ, & aqua mulsa, & oxymeli, & apomeli, & apij radix in aqua, quæ potui datur, incocta. Hæc autem ipsa quoque ventri sunt idonea: qui si nihil reddat, inijcienda per Clysterem aqua mulsa cum oleo est.* *Vec.* audîsti, quam deiectionem expetat Galenus, & quibus remedijs illam promoueat? Quod superest, enuclea
tu nobis modò, sit ne diureticus, aut diaphoreticus tuus iste „
puluis? *Mac.* si eo modo paretur, quo à principio diximus, su- „
dores, & vrinas eliciendi vim propriè non obtinet. *Vec.* super- „
fluus

11. Meth. c. 8.

c. 9. l. c.

fluus igitur erit: præterquàm vbi purgandum eſt. *Mac.* etiam vbi craſſiores ſuperſtites humores poſt ſudorem, & vrinarum copiam, malum minantur. *Vec.* anguſtis igitur finibus coercetur ditio tui Cerberi in febribus putridis fugandis, quum neque putredinem inhibeat, neq; putridum euacuet humorem, niſi per ſeceſſum, neque hoc ſine nota, grauique diſcrimine, vt audies in poſterùm.

Confectura Pulueris examinatur.

Nau. Potis ne es, vt confecturæ modum enuclees, quò ſiccâ tuâ muriâ condire in poſterùm piſces, compendiò rei familiaris, aſſueſcam? *Mac.* Sacra ſacris. *Vec.* heus vos pallentes Erebi vmbræ vagantes, quotquot Nouæ Medicinæ nomen dediſtis, hùc adeſte ocyùs, magnum, recenſque excepturæ hodiè arcanum. *Paracelſus* Quid hoc eſt? age, fare. *Vec.* cuias es tu? *Par.* Helueticus, nomine Paracelſus. *Vec.* opportunè veniſti Hermeticorum Anteſignane, en tibi commilitonem, maria, & montes nobis pollicentem, neſcio quo ſuo puluere. *Par.* Mendicus eſt, cui deeſt quod polliceatur. *Vec.* aſſentior. *Par.* *hoc ergo ſedulò deinceps vobis cauebitis, ne cuiquam quicquam ſine experientia propria, aut credatis, aut adſtipulemini.* *Vec.* erit ex vſu. *Par.* heus tu, Alchimiſta ne es? *Mac.* non quidem, ſed Galeniſta. *Par.* Quid igitur noſtra tractas? *Mac.* communicauit mihi nouum, & mirabile hoc arcanum Dynaſtes quidam Anglus, cuius eſt inuentum. At ego vſu edoctus, nouam methodum excogitaui. *Vec.* & verè, METHODVS IN PVLVEREM abitura. *Mac.* non inuideo poſteritati arcanum: quapropter publici feci illud iuris. *Par.* ſi confert, laudaberis; ſin minùs, culpaberis; ſatiùs enim eſt noxia ſupprimere. *Mac.* quid in controuerſiam vocas rem veriſſimam? multis hæc paraſangis antecedit quælibet Medica præſidia, quæ tamen nonniſi manus Dei appellatur. *Gal. Medicamenta velut Deorum manus ſunt,*

Paracelſ. lib. de Phlebot.

6. de Med. Comp.

sunt, quod iuuent maximè, si is, qui eis vtitur, in rationali methodo fuerit exercitatus, & cum hoc natura prouidens. Vec. actum est de ægrotantibus. *Mac.* dum nouam hanc ego mihi cudo methodum, sub signis Hermeticorum, mereor interim dici, Veteris, nouæque Medicinæ famigeratus caduceator. An nescis, quòd vulgi teritur ore, omnia noua placent? *Par.* Hermeticus igitur es? *Mac.* non refugio. *Gal.* à *Sectis nominari volunt, qui neque eas norunt.* *Par.* quid præstat tuus iste Puluis? *Mac.* purgat. *Par. sunt autem præposteri illi Medici, qui vnicum tantùm emunctorium quærunt, vel solos sudores, vel solas sedes, vel solum vomitum. Quod enim natura vult, id etiam Medicus velle debet. Omnis purgatio in hoc instituta, & ordinata est ab ipsa natura, vt stercora tollat, & nihil aliud. Nam vbi causa materialis non est in Ventriculo, sed in alio loco, id non debet purgari; purgatio enim non est emunctorium eius, & sic purgatio fieret illo in loco, vbi non delitesceret morbus, & morbus potiùs confortaretur hoc modo. Mac.* At puluerē nosterū omnes humani corporis ægritudines, dummodo à materiæ copia, vel qualitate peccante excitentur, generatim profligare, experimentis, & rationibus iam demonstraui. Febres insuper putridas pulueris istius beneficio speciatim tolli, & euacuationem per ipsum factam, illam non parùm superare, quæ vel per venæ sectionem, vel per cætera medicamenta subductoria præstatur. *Par. in phlebotomia consistit arcanum febrium adeò potens, vt sine purgatione sufficiat. Phlebotomia procedit, ac instituitur ex cognitione cæli, faciens ad morbos cælestes. Purgatio procedit ex cognitione corporum terrenorum, & huiusmodi etiam morbis demendis impenditur. Iam vide, quæ horum inter se ratio sit: vnum est supernum, alterum infernum, vtriusque est Medicina suum seorsùm morbum respiciens, non alienum; Cælum enim morbos terræ non adimit, nec terra Cæli: suos priuatim vtrumque tollit. Vec.* Iliensis tragædos conduxit. *Par.* ex quibus constat Puluis? *Mac.* ex Antimonio, Scammonio, & Tartaro. *Par.* triuialia sunt hæc, & obsoleta. *Mac.*

Gal. lib. de Plenit. c. 9.

Parac. li. de Gradibus.

Parac. de modo Phar.

pag. 11.

Par. lib. de Purg. in Phlebot.

at di-

pag.15. „ at diuersus præparandi, & vsurpandi modus eſt,qui non ſolùm „ nouitatem, præſtantiam, ac nobilitatem, verùm etiam muta- „ tionem ſecundùm ſubſtantiam huic remedio affert. *Par.* *ſciendum eſt, proceſſu tali Antimonium tractandum eſſe, vt nihil in ſua illud forma diſſoluatur; forma enim ipſius arcanum eſt.* *Vec.* at mutatio ſecundùm ſubſtantiam non fit abſque veteris formæ abolitione: nõ igitur erit amplius Antimonium, ſed terra damnata. *Mac.* nec Hercules contra duos. *Par.* Dic mihi, quomodo præparas Antimonium? *Mac.* accipito Antimonij optimi vnciã vnam, Salis Nitri vncias duas: triturentur, & in crucibulo ſuper carbones ignitos collocato, quouſque calcinentur, quod ter iteratur. Hoc pacto Antimonium paratum mutatur ſecundùm ſubſtantiam; quia quæ vruntur, Galeno authore, ſecundùm ſubſtantiam mutantur; quemadmodum infra ſuo loco demonſtrabimus; nullam adipiſcitur caliditatem; & copioſè quidem, ſed iucunde, non enim moleſtiam infert; ſuauiter, non enim prauo odore, non ſapore præditum eſt, corpus noſtrum à frigidis, & craſſis humoribus, veluti decem menſium ſpatio ſum expertus, purgat ſine vlla ferè virium iactura, non aliter ac aurum omni admixtione liberum, ac purum abſque propriæ ſubſtantiæ imminutione, eiuſdem Antimonij beneficio redditur: id quod metallici aurifices, & alij omnes, qui aurum tractant, in eo defæcando, mundando & depurando benè nôrunt. *Par.* procedis ne vlteriùs? *Mac.* non per Iouem. *Par.* neque lotionibus iteratis adimis ſalis nitri recrementa? *Mac.* integrum ſic propino. *Par.* farcimen eſt ridiculum, inquinatum *Mac.* fateor, cinis eſt. *Vec.* quid cinis? calx eſt, inque Antimonium rurſus reuiuiſcit, prout ego non ſemel expertus ſum. *Mac.* quid intereſt? *Par.* plurimùm. *Nam vnum eſt mortuum, alterum mortificatum. Cinis eſt volatilis, nec in metallum reduci poteſt, tantùm in vitrum, vel ſcoriam. Calx verò metallorum eſt fixa, & in ſuum metallum reduci poteſt,* *Mac.* cinerem rebar, ac proinde frigidũ naturâ, & ſiccum, quoniam nullam mordacitatem participat, ſi guſta-

Parac. lib. de Vita longa c. 6.

pag.16.

Parac. de Re. rerum.

gustaueris. *Vec.* infida est coniectura in metallicis, & vegetabilibus quibusque, quorum cinerem si lambas, nil acre percipies actutùm. *Mac.* nosti causam? quia partes calidæ præ crematione abiêre; si qua verò fuit superstes, nouo incendio profligatur. *Vec.* precor veniam, Proceres, dic tu Macer, & eris mihi Magnus Apollo; partes illæ reliquæ, quid sunt, volatiles, an fixæ? *Mac.* volatiles, quod dudum monuit me Præceptor. *Vec.* at mihi fixæ, nam euanuêre volatiles. Volatilis nihilominus cinis est, si calci conferatur, vtpote ignem diutiùs expertus. *Mac.* perseueras adhuc nobis esse molestus tuis cum limitatiunculis. *Vec.* igitur ad sensum te prouoco, tibique reluctanti empyreuma ob oculos ponam, simulque euincam vlteriori calcinatione nonnisi acui posse, inq; sua qualitate exaltari. *Par.* non difficile illi erit. *Mac.* sine quæsò experiamur. *Vec.* quilibet cinis producatur, vel tuus etiam ex Antimonio. Dissoluatur in aqua fontana, bulliant simul ad ignem, colentur curiosè, iteretur opus, donec nulla supersit in cinere pars calida, quod in vlceribus experieris. Euapora aquam, remanebit tibi in fundo sal mixti cremati. Hunc si ignjueris semel, aut bis, euadet in salem acerrimum. *Par.* consona hæc sunt experimentis, nam ea arte tertium nostrum principium in lucem prodit. *Vec.* sic steti promissis; tu verò si à suspicione caloris, calcem hanc, seu Cinerem Antimonij eximere curabas, eluere debebas, eademque arte salem abstrahere. *Par.* conducibile nec non fuisset abigendis recrementis Salis Nitri. *Mac.* parcat mihi dominatio vestra, nam totus comburitur versoque accuratè, ac diu puluerem carbone, aut ferro ignito. *Par.* haud sufficit. *Vec.* cuius rei in confirmationem produco, quod dudum obseruaui, nempe, post calcinationem superesse pulueris plus minùs vncias tres. *Par.* Iure proinde hæc præparatio damnatur, vtpote rudis, inepta, atque incongrua. *Mac.* quænam ergo erit inculpata præparationis norma? *Par.* Audi. *Si cum ipso Antimonio morbus alius curatur, alia semper præpara-* Parac. lib. de Præpar.

tio

tio requiritur, secùs esset maximum erratum. *Mac.* obruis me Præceptor difficultatibus; an non est aliqua compendiosor parandi via? Adiuua nostrum Tyrocinium. *Par. mortificatio Antimonij est sublimatio, hoc est, vt cum Sale, & Vitriolo sublimentur, tunc vita ipsorum, quæ est spiritus metallicus, vnà cum spiritu Salis ascendit, quicquid autem in fundo sublimatorij remanet, lauetur, vt resoluatur ab eo sal, & habebis terram mortuam, in qua nihil est virtutis.* *Mac.* nullus sum. *Vec.* Tu, qui ignaua methodo tantum ocij nactus eras, vt muliercula, vel mulio Nouæ tuæ Medicinæ exercendæ commodè sufficerent, hæc meditari, & experiri debebas. Sed nimia docilitate, ne dicam simplicitate, omnia deglutisti. Neque præterea is sum, qui tam puerili metaphora vsum Antimonij admittã; ita vt si Aurum repurget, & humanum corpus depuret. Nam longè dispar, quantùm video, est auri temperamentum, ac hominis. Præterea, esto vtriusque eadem ratio, plurima nec non alia, quæ aurum defæcant, vt nôrunt Chymici, illudque exaltant, in vsum corporis humani cederent, quod tamen falsissimum est, & erroneum. Quid enim magis depurat Aurum, atque examinat, quàm ignis? Hæc tu, si sanus, non negabis, secùs indiges pænâ sensûs. Inauditum tibi, atque paradoxon forsan videbitur, Antimonium, quod tanti facis, tamque familiare homini prædicas, sola sua hostilitate depurare aurũ, non perficere, sed deprædari. Verùm adest opportunus qui certiorem te faciet. *Par. in conseruatione metallorum, primùm cognoscendi sunt hostes ipsorum, vt eo melius à damno conseruari possint. Sunt igitur præcipui hostes metallorum, omnes aquæ fortes, omnes aquæ Regiæ, omnia corrosiua, omnia salia, sulphur crudum, Antimonium, & Mercurius. Vt autem specialiter sciamus, quomodo ista omnia suam inimicitiam exerant, dico Antimonium suam inimicitiam in hoc ostendere, quòd omnia metalla, cum quibus in igne liquefit, & cum quibus miscetur, spoliat, aufert, & prædatur & præterea non absimiliter sulphur suo fumo metallis genuinum,*

De more rerum.

Paracelſ. De rerũ Gener. l. 3.c.7.

& na-

& naturalem colorem furatur, & alium substituit. *Nau.* Equidem tibi obstructum nunc est os probè misera Cornicula. *Vec.* vide proinde, quanta inertia inseras tuo pulueri Antimonium, malè paratum, multiplici vstione acrius redditum, recrementis Salis nitri infarctum, proq; prædicata iucunditate, malè tutum pharmacum, nullo habito patientis discrimine, quacunq; ægritudine tentato offers. *Mac.* Antimonium, quomodocunque aliter paratum, efficacius quidem, negari non potest, vacuat, at quanta cum molestia, & quanto cum periculo, miseri illi, qui tale medicamentum sumpserunt, quiq; hos miseros viderunt, referre possunt. *Vec.* neque tuæ fidei commissi quærelis carent. Quid igitur anceps auxilij genus in re non desperata experiris? habenas ignarus tractas, neq; effrænem vim bestiæ nôsti. *Par. Antimonium venenum est; quod si sumatur, tussis arida, & sicca oritur, & punctura laterum, dolor capitis, suppressio sedum, vel exiccatio, apostemata splenis; ardor sanguinis,* & quod mireris, *scabies, & fœditas cutis siccatæ, Icteritia flaua.* *Vec.* An hoc est splendorem inducere, atq; depurare? *Mac.* concedo, si crudum assumatur, nostra verò arte cicuratur; indicio sit, quòd aluum lubricam in posterùm reddit. *Vec.* crudum est, reditque in corpus pristinum, prout conuincit euidentia. Laxitas verò illa ventris inducitur vitio Scammonij malè correcti, qua de re tempus est nos facere sermonem.

pag. 17.

Parac. pag. de morbis Metallicis.

De Scammonij præparatione per ignem.

Mac. Scammonij nostra præparatio, & eius vires sic habent. Accipitur Scammonij electissimi certa quædam quantitas, eaque crassiusculè trita, super chartam, exugentem appellatā, extenditur: mox sulphure super ignitas prunas iniecto, super fumum, qui ex sulphure attollitur, charta iam dicta eo vsque detinetur, quousque Scammonium liquari, & chartæ adhærere incipiat; nam tunc statim à fumo charta remouenda est; aliàs

pag. 15.

si diutius ibi permaneret, vim ex toto amitteret. *Vec.* Nemo tibi inuidebit posthac tale parandi artificium. *Mac.* Mirabar, ni Theonino dẽte omnia arroderes. *Vec.* permitto tuis labijs has gustare lactucas. *Mac.* quid sugillas Censor? *Vec.* pessimum parandi modum: *Mac.* ita nobis placet. *Vec.* sed non ægrotis; infirmas Scãmonium, non corrigis. An nescis, quàm mala bestia, Macer, sit Scammonium? *Mac.* opprimunt me Vmbræ; parùm
.4. f.6.t. secedite quæso. Quæ noua accedit phalanx prædonum? *Auicen.* Arabes sumus Medicinę instauratores. Princeps ego agmi-
.c.6. & tr.1. c.6. nis huius moneo te deuium, *venenum esse Scamoneam, damnaque inferre non dissimilia Euphorbio, & Lacti Tithymalorum: est nociua stomacho, & inimica ei. Non ergo audeas dare ipsam, nisi cum necessitas adest. I. Mesues.* Et rectè; nam *Scammonium est medicamentorum purgantium maximum, vt purgatorij nomine simpliciter pronunciato, per antonomasiam Scammonium intelligatur. Calidum est, ac siccum ordine tertio, acre, minùs tamen quàm planta ipsa, bilem flauam ex sanguine attrahit, etiam à remotissimis par-*
pa. cit. „ *tibus, tanta eius est, ceu furiosi, vehementia. Mac.* at si, vt dictum
„ est, paretur, medicamentum redditur sine odore, ac sapore ef-
„ ficacissimum quidem ad bilem, cæterosque calidos, & tenues
„ humores blandè, placidè, & absque caliditate, ac molestia,
„ contra ac faciat Scammonium cõmuniter paratum, educen-
„ dos, quemadmodum in sexcentis ferè ægrotantibus fęlicissimè
„ sum expertus. *Vec.* & infælicissimè sæpius. Quid præstat fumus ille pulueri? *Mac.* corrigit Scammonium. *Vec.* quin infirmat, sique diutius illo vtaris, perit vis vniuersa illius purgans. Cur abnuis? reddam tibi tua verba, dum satisfacere objiciẽti posse te ijsdem ingenijs, ignis, & fumi sulphurei à vulgaribus me-
pag.89. „ dicamentis caliditatem auferre, respondebas tu. An non ne vi-
„ dent, quòd si his ingenijs sua medicamenta tractent, quod sol-
„ uendæ alui vim ab eis simul cum caliditate prorsus auferent? *Mac.* ijs rursus subscribo. *Vec.* quid eximit Scammonium ab hac labe, aut quo priuilegio exonerat se caliditate connata, vt au-
disti,

disti, nouamque ex ignis contubernio non adipiscitur? *Mac.* eandem repetis cantilenam; vsta frigida sunt, & dato etiam quòd fierent calida, dico quòd repetitis vstionibus caliditatem abijcerent. *Vec.* plura effutis absurda, quàm verba. *Gal. duo sunt capita communis orationis ita proponendę. Alterum est, an sponte nascentium medicaminum, quæ combusta sunt, calidiora arbitrari oporteat, an frigidiora? alterum de medicamentis astringentibus; nam facultas aduersissima est astringentibus cum acribus: perinde ac si malo cydoneo Scammonium intùs miscueris: quòd vtique interdum facimus, partes mali, quæ circùm semen sunt, excalpentes, deinde cauitatem Scammonio implentes, deinde circumlinentes ac assantes, atque ita malum mandendum exhibentes. Quod nanque hunc in modum præparatum est, absque stomachi subuersione aluū subducit, facultate, nimirum, purgatrice, quam malum ipsum à Scammonia acquisiuit; in ipso vincente, propria autem ipsius mali manente: alioqui nec iucundum, nec astringens, nec stomacho esset vtile. Transibo verò ad secundum schema, siue speculationem, haud etiam de nomine, & significato eius habendum, verùm de rei natura. Nam pleriq; existimant, combusta omnia se ipsis effici frigidiora, alij contra, combustorum omnium augeri caliditatem existimant: vtrique sanè errantes. Conspiciuntur enim liquidò quædam calidiora reddita, & ad gustum, & ad tactum, & ad eam quæ in vsu cernitur facultatem, velut suprà dicebam de acribus, & astringentibus. Quædam contra ab vstione minùs apparent calida: idq; clarè discernimus, tum tactu, tum vsu. Dico autem vsum, ceu ante dixi, cùm cuti imposita, alia calidiorem, rubentioremque partem efficiunt, alia exanguem, & frigidam: & alia molem attollunt, alia contrahunt. Igitur Acria multùm caloris amittunt vsta: at quæ eiusmodi non sunt, assumunt. Sanè combustorum omnium nullum planè est frigidum: relinquitur enim in illis velut ἐμπύρευμα hoc est, ignitio quædam, nam ita vocabat Aristoteles. Atque id est, quod per ablutiones detergitur, ex combustorum substantia subtilissimum: quod vbi cum aqua abierit, quod vsti reliquum est, substantia terrena*

5. de Alim. fac. c. 1.

9. de simpl. c. 1.

est: siquidem humidum omne combustio absumit, reliquum autem terrenum est vnà cum Empyreumate ab Aristotile vocato. Hoc ergo vbi per lotionem ablatum, ac semotum fuerit, aqua in qua medicamen ablutum est, calidam adsciuit facultatem, eamque tenuiũ partium: quod reliquum verò est, terreum simul, & frigidum est, desiccare citra mordacitatem potens. De his quidem & supra diximus: caterùm nihilo deterius est in memoriã nunc ea reuocasse, vt repetita illorum memoria, simul quæ dicenda sunt, exactius quis assequatur. Mac. habeo quæ regeram, nempe vltima illa Galeni

pa.86. " verba, ne tantillum quidem caliditatis pulueri nostro frigido " afferre: nam loquitur ibi de vna duntaxat, eaq; simplici vstio- " ne, nos verò de multiplici, & eiusdem rei, & permixtæ cum " alijs rebus. *Vec.* proh bellam euasionem! *Nau.* meliùs dixeris? " turpissimam fugam. *Vec.* ignis igitur ignem destruit. *Mac.* maximè. An non audisti, quin improperâsti dudum? *Vec.* & improperabo in posterùm. Simile igitur tibi agit in simile? *Mac.* quid tum? *Vec.* Physicam vniuersam eliminas, motum tollis, & mutationes quaslibet, quæ fiunt inter contraria. *Mac.* scilicet opposita. *Vec.* an opponitur Ignis igni, an verò congener est? *Mac.* euolant calidæ illæ partes. *Vec.* quomodo euolant, si fixæ, quod tibi ad sensum superiùs demonstrabam? *Mac.* hanc tibi

pa 87. " repono irrefragabilem rationem, Quæ calida iam sunt, igne " tractata caliditatem deponunt, Galeno auctore: sed per te ca- " lorem acquirit mixtum, dic Antimonium, in prima, vel secun- " da calcinatione, aut combustione: igitur in postrema totam " amittet: percepisti? *Vec.* negatur maior propositio. *Mac.* Tuum est Galene tua tutari, nam tuæ me credidi fidei. *Vec.* non est cur hunc interpelles, cuius dicta vitiasti, habet enim, *Acria*

loc. cit. *multum caloris amittunt vsta. Mac.* vide quàm faciant, vel te inuito, ad nostrum Scammonium. *Vec.* Longe dispar vtriusq; est ratio. *Mac.* verùm acria omnia calida sunt. *Vec.* infer. *Mac.* ergo acria multum caloris deponunt. *Vec.* iurè igitur etiam in hac parte propositio tibi fuit negata; nam sola acria ex calidis,

non

non omnem, ſed multum caloris amittunt. Verùm nihil hæc ad Rhombum. *Mac.* dic cauſam. *Vec.* tuũ erat probare, Antimonium deponere empyreuma tertia illa calcinatione: ſi tua eſt maior propoſitio, petis principiũ; falſa eſt, ſi pro Galenica nobis eã diuendis. Proinde nõ mirùm, ſi nupera tua cõcluſio tam exorbitet ab inſtituto. *Mac.* Abominor tua iſta ſophiſmata. *Gal. is mos inter medicos hac ipſa tẽpeſtate in primis inualuit, vt de decretis maximis audacitcr ſtatuant, quũ verò redarguũtur, moleſtè ferũt, eos à quibus fuerint redarguti, Sophiſtas appellantes.* *Vec.* Stat igitur Empyreuma, quia noua calcinatione magis acuitur. *Mac.* nonne animaduertis proprijs in dictis repugnantiam? Acria vſta multũ amittunt caloris, eadẽq; lucrari calorẽ vſtione. *Vec.* non pugnant hæc, ſed benè conueniũt. Dic mihi, febris nonne nouũ calorem accendit in corde, & antiquũ, innatumq; diſſipat? *Mac.* quid inde? *Vec.* inſuper ignitio, ſeu Empyreuma, non ſolã mihi dicit qualitatem ab igne communicatam, ſed nouæ ſubſtantiæ generationem, in qua fundatur recens hæc qualitas, præcedenti materiæ aduentitia, & ob id facilè diſſolubilis, illi verò familiaris, diùque duratura. *Mac.* quorſum diuertis? *Vec.* proram in te conuerto, neque percipis. Exuitur Myſi, Sori domeſtico calore, ignis operâ, at nouus introducitur ſimul, & cum nouæ ſubſtantiæ generatione, quam tibi ob oculos poſui. *Mac.* Combuſta igitur, per ſe, erunt, & non erunt, calida. *Vec.* ita eſt. Si priſtinam ſpectes materiam, minùs calida ſunt, ſin recentem, calida abſolutè. Neque enim te ignorare puto, quantùm inter ſe ſe diſtent cineres, nec non & calces: redolent enim ſemper antiquæ materiæ naturam, ita vt Sal Flammulæ e. gr. vrat, & inſigne ſit cauſticum, Sal Abſynthij expediat obſtructiones Iecoris, purget Rhabarbari Sal, & ſic de ſingulis. *Mac.* redarguet ſaltem tuam hanc doctrinam euidentia; deberent enim inſignem conſeruare adhuc mordacitatem combuſta, quæ tamen in hunc vſum comburuntur, vt ſiccent ſine morſu. *Vec.* depoſuêre mordicantem ſubſtantiam, liqueſcente ſale, præ iterata

de Plen. c. 3.

lotione. Non ignorauit euentus Pergamenus, atque idest (empyreuma) quod per ablutiones detergitur ex combustorū substantia subtilissima, quod vbi cum aqua abierit, quod vsti reliquum est, substantia terrena est: hoc ergo vbi per lotionem ablatum, ac semotum fuerit, aqua, in qua medicamen ablutum est, calidam asciscit facultatem, eamq; tenuium partium. Neglexit verò Galenus aquam illam exiccare, vtpote sibi inutilem: quod si fecisset, nonnisi Sal ibi deprȩhendisset. Habes igitur ex Galeni doctrina, in combustis substantiam generari liquabilem, subtilissimam, eamque calidam. *Mac.* hæret adhuc mihi aqua. Ignoro nanque penitùs vnde huc aduolârit noua hæc substantia *Vec.* nuperrimè fuit genita. *Mac.* at ex quo? *Vec.* ab igne, tanquam promotore, à congenito mixti humido, tanquam materia. *Mac.* reluctaris Galeno dicenti. *Siquidem humidum omne combustio absumit*. *Vec.* absumit omne illud quod combustibile est; præoccupat verò substantia, de nouo genita, & igni reluctatur: quapropter non ineptè Chymici, Sal dicunt Aquam Siccam. *Par.* cur non illi obijcis, reuelari tunc nouum principium, tertium in ordine, causam omnis coagulationis? *Vec.* pace tua dixerim, vestris principijs non acquiescam, donec euidentiâ duce monitum me reddideris, æquè prima singula esse, ac proinde non fieri ex alterutris: qua de re disputatum est aliàs. *Mac.* hanc tuam doctrinam nec adhuc concoquo. *Vec.* ducam te ad fornacem calcariam, ibique per ocium scrutaberis saxum, ignem diù expertum. Pristinam adhuc conseruat figuram, frigidum tactu est, penèque innoxium, si humidum arceas: secus si contingat, ferueſcet actutùm, acrem expirat fumum, dumque præstò sunt fomenta, flammam accendit. *Mac.* rem notam narras, & vulgo, & scholis; fit enim per antiperistasin. *Vec.* haud officiosus es, si perfunctoriè, tamque è longinquo, Naturam salutas, cominùs indagandi sunt euentus huius causæ. At neque prior illa, forsan, satisfaciet omnibus: quandoquidem circumuentio nonnisi à

con-

contrario fieri poteſt,atquè verò turgeſcit calx à frigida,quàm à calida, immò feruente. *Mac.* malè ſit tuis obſeruationibus. *Vec.* tuæque ſocordiæ. *Mac.* quid igitur illud eſt, effare. *Vec.* ſiccum ebibit humidum naturali propenſione, hoc verò Sal liquat, in quo Empyreuma. Quapropter ſupernatat ille aquæ, poſtquam deferbuit. Satiſne tibi factum? *Mac.* Percepi: ad rem modò. *Vec.* breuibus me expediam. Vitioſæ ſunt tuæ præparationes, quoniam empyreuma non arces; inanis eſt opera per iteratas calcinationes, quibus acuitur magis ſubſtantia illa, in qua Empyreuma: præteris lotiones, quarum operâ liquatur Sal, Empyreumatis ſolium. *Mac.* etiam de Scammonio hæc credis? *Vec.* vſtione illa tua deperit nonnihil de innata Scammonij caliditate, hancq; pari paſſu ſequitur vis purgans; acquiritur verò nouus calor ex combuſtione, longèque à priore diuerſus. Infirmas igitur, non corrigis Scammonium, quod tibi prædixeram. *Mac.* an non ſatis eſt temperare medicamentum, illudq; ſuaue reddere, vel ſaltem non abominabile? *Vec.* Innoxium reddere primò ſtude, quòd vſque adhuc tibi non contigit, magno ſumentium cum diſcrimine. *Io. Meſ. Noſtris corporibus valde noxium eſt Scammonium, quod flatu mordaci vētriculum ſubuertit ad nauſeam, & moleſtè turbat. Id quod ne contingat, coquitur in pomo, præſertim cum dauco, galanga, ſemine apij, fœniculi, & ſimilibus. Iis enim coquitur vapor eius flatulentus, ſerranſque, & mordens diſſipatur, & noxæ præterea eius aliæ miteſcunt. Deinde quòd calore vehementi corpus accendit ſitimque inexpletam. Ea autem noxa tollitur, miſtis coquendo refrigerātibus, & acrimoniam eius flammeamque caliditatem frangentibus, mucagine pſyllij, ſucco, & carne prunorum, ſucco, & aqua roſarum, violarum recentium, cydoniorum acidodulcium, rhois, ſpodio: oleo quoque roſato, aut violato ante coctionem eadem ratione inuoluendum. Tertio loco, vehementer attrahendo, venarum ora immodicè dilatat, vnde fluxus ventris ferè fit immoderatior. Quod incommodum vitamus mixtis coquenda, quæ partium harum vires tuen-*

tur, & laxam substantiam cogendo roborant: qualia sunt styptica, quæ præterea Scammonij acrimoniam superficiariam tollunt, tenuitatem, & penetrandi facultatem reprimunt, vt mastiche, succus, & caro cydoniorum, cydonium ipsum, myrabolani citriæ, aloe. Quartò dolores punctorios visceribus rodendo affert, ac intestinis rodendo excoriatis, dysenteriam, vel tenesmum excitat. Hæc ne fiant, medicamenta illi miscemus, quod tum citò, ac clementer ipsum velut furiosum deturbent, & corpore expellant, tum virtutem eius serrantem, & acrem obtundant. Prioris generis sunt lubricantia, vt muccago psyllij, caro prunorum, adstringentia, vt mastiche, cydonia post ipsum sumpta, præsertim vbi iam purgare cœpit ipsum, eũ celeriter descendere, ac egredi compellunt. Aqua quoque calida pota aliquandiu post ipsum sumptum, furiosam eius vehementiam frangit. Idem psyllij muccago cum aqua calente, extracta cum oleo rosato sumpta horis quatuor, vel quinque post Scammonium, efficacissimè præstat, Rufo autore: addito horis post duabus myrabolanorum infuso, hæ enim ipsum citò deturbant. Secundi generis sunt humida, pinguia, & lenta, vt tragacanthum, bdellium, oleum rosatum, & amygdalinum, & similia. Postremò substantiæ suæ totius proprietate lædit cor, ventriculum, hepar, facultatum quarundam nos gubernantium, ceu fontes quosdam. Quibus noxijs per quædam, proprietate, & facultate contraria resistimus. Nau. ab Asino decidisti Magister Macer. Satiùs erat olera te scrutari.

Dictorum Epilogus. De Tartaro nonnulla.

Ver. At verò, qui tantis nominibus Antimonium tuum efferri audiebat, vix sustinebit pharmaco polycresto, aut panchresto inutilem adiungi sarcinam, ne dicam frustratoriam, atque suspectam. Eam nanque, si credis Stibio insitam facultatem, vt corpus humanum, non secùs ac metallicum, ab omni recremẽto depuret, atq; repurget, quem vsum pręstabit Scammonium, alterum tui Cerberi infestissimum, atque execrandum caput?

Nam

Nam quod comminiſceris, purgare Antimonium, craſſos, frigidoſue humores tantùm, ſuppetias verò ei ferre Scammonium, hincque reſultare pharmacum panchimagogum, neq; rei veritati, neque Spagiricorum placitis, neque tibi cohæret. Valde exturbat vniuerſos corporis humores Antimonium ritè paratum, vixque familiari pituita ex ſtomacho reiecta, ſubſequuntur tenues, ac bilioſi ſucci, qui præ potentis pharmaci impetu, mirabili pernicitate deiectionem moliuntur. Hinc Noua medicorum Schola tot encomijs vniuerſale hoc prædicat, atque extollit arcanum, neque diffitetur vnico Antimonio corpus renouari humanum, innatum ſuſcitari calorem, ſpiritus, & radicale humidum ab omni inquinamento depurari. Quô te vertes, miſerrime transfuga? vix calonum tyrunculus, mox ſalutata deſeris ſigna. Quum etenim nullum ſubſequi prouentum ex farcimine illo vſus tandem edocuiſſet, tantùm abfuit vt reſipiſceres, veramque Antimonij præparationem meditareris, vt malo malum congerens, Scammonio purgationem mandares. Et quanquam ſit Paracelſo in tertia claſſe purgantium, atque vehementibus æquiparet pharmacis, imò efficaciſſimum inter laxantia prædicet; tu inaudito, ac nefario auſu, prægnantibus, atque lactantibus crudum propinas medicamentum, quod tamen iuuenis, & robuſtus, ex arte paratum, vix admitteret. Iniquo fers animo me crudum appellâſſe Scammonium ſic paratum, at non crudum tantùm, etſi ignem expertum, verùm incorrectum, & antiquis nominibus humano corpori infensũ ipſum prædico, atq; abhorreo. Quantùm ab Hippocratica, tutaq; parandi norma aberraueris, abũdè, niſallor, in ſuperioribus, te nõ reluctante, probatũ, quàm verò diſſentias à chimicorũ placitis, explicabit Nouæ Medicinæ toties inductus Coryphæus. *Parac. ad compoſitionem receptorum, quæ pro laxatiuis præſcibuntur, duo ſunt neceſſaria, quę aduersùs laxationem digeruntur, aliud quod confortat & aliud quod mitigat: his igitur ad hunc modũ diſpoſitis, citra omne periculũ exi-* *ſtit*

P. de Cõ. tr. Tr. 2. P. Poterius Crollius &c.

cap. 3. 3. de Entibus & compoſ. c. 7.

Parac. l. 5. c. 2.

stit recepti descriptio. Principiò igitur quod ad confortatiuum attinet, recipe aromata, cinnamomum, caryophillos, nucem muscatam, cæteraque id genus; quòd autem ad mitigatiuum attinet, recipe anodyna, idque ad minimum pondus. His duabus rebus erumpit correctio eorum quotquot in recepto sunt. Vec. Resipisces ne Macer, aut oscitantiam discuties? Audistin' Theophrastum tui pulueris fortuitam congeriem sugillantem? Quòd si obstinato animo
Parac. Arch. dex. 7. particularem Scammonij exhibēdi formulam à Paracelso adhuc exposcis, profert ipse latis à se legibus tam consonam, quàm tuis dissimilem. Hinc tertia tui Cerberi inutilis excluditur ceruix, Cremor nempe Tartari, quòd neutri satisfaciat functioni, etsi Paracelso sit specificum curatiuum, quod ex sua natura, proprietateque putrefactiones omnes tollit, & non inclinatur ad choleram, nec melancholiam, nec phlegma, nec sanguinem, sed omne quod inutile est corpori, nec non huic inferre damnum potest, aufert. Verùm tu indebita dosi, atq; superflua congerie, laudatissimum alioquin pharmacum euirâsti.

Perpenduntur obseruationes pro Pulueris vsu.

pa. 27. 11. Meth. c. 14. „ *Mac.* Tempus est, obseruationes, seu animaduersiones, quas „ Galenus tum scopos, tum capita vocat, repetere, primùmque „ in quibus ægritudinibus conueniat puluis, de quo est sermo. „ *Vec.* Abnuit Galenus, quod mihi haud nouum contingit in
loc. cit. præsens. *Mac.* En vobis elaboratissimam tabulam. *Vec.* an non & aliàs hoc reuoluisti saxum? *Mac.* diximus supra, idem quoq; nunc repetimus, verisimile esse, puluerem hunc, quia corpora humana ab humoribus, copiâ, vel qualitate peccantibus, tanquam à fæce purgandi facultatem habet, tutò, & cum certa, quantùm tamen res humanæ patiuntur, spe, vsurpandum; & primùm in intemperiebus omnibus, dummodo cum materia illæ sint cuiuscumq; sortis: quapropter non mirum, si efficacissi-

mus

mus sit in febribus humoralibus finiendis, prout proposito capite demonstrauimus. *Vec.* non alios expecto effectus, præterquam illos, qui ab incorrecto Scammonio emanant. Totus enim puluis hic, Scammonea est. *Paulus Aegin. Quòd si fieri possit, vt citra Scammonium ex Aloes copia, magis ipsos euacues, meliùs feceris, propterea quòd Scammonea est stomacho infesta. Purgat similiter, vt Veratrum, & magis flauam bilem, verùm magis, quàm ista purgatoria, stomacho noxia est. Detur itaque non febrientibus, & stomacho benè affectis.* *Mac.* quisnam es tu? *Pau.* Paulus patriâ Aegineta, Galeni assecla, meumque sentiunt quotquot adsunt Græci Medicinæ periti: en tibi in proximo Oribasium, mox subsequitur Aetius. *Orib. Scammonium nulla parte superatur ab ijs, quæ agitant, & commouent, in acrimonia, neque in viribus, stomachi doloribus confert, graueolens, insuauis, & valde siticulosa est, copiosos vomitus, ventriculi morsus, & vertigines excitat.* *Aetius. Vitanda igitur est ijs, qui debilem stomachum habent, & febricitantibus. Quum enim leuissimum sit, facilè abripitur in corpore, & omnem in ipso immunditiam commouet, prohibetur autem à febrili calore, vt ne superfluitates ad excretionem ducat. Dandum igitur est ijs, qui bonum stomachum habent, & non febricitant, atque non facilè vomunt, & non facilè animo linquuntur. His subscribit nec non noster Actuarius.* *Rasis. Non sumendum igitur calidis, & siccis naturis, & febricitare paratis.* *Vec.* Vide proinde, quantâ incircumspectione puluerem tuum passim exhibeas, illiusq; vsum celebres in curanda intemperie, præcipuèque febrili. *Mac.* at facit nostra præparatio Scammoneam immunem ab illatis censuris. *Vec.* abi in malam rem tua cum præparatione ignauissima, consule modum apud Medicinæ Coryphæos, Galenum nempe, P. Æginetam, Rasim, & reliquos, quos breuitatis causâ prætereo. De intemperie verò, quæ tibi mens est? *Mac.* tolli hanc euacuatis humoribus. *Vec.* an potest id, quod est posterius, causa statui sui prioris? *Mac.* haud te teneo. *Vec.* Valetne frigida intemperies,

l. 3. c. 37.

Orib. Symp. l. 1. c. 17. & Tetr. 1. serm. 3. c. 25.

Ætius 4.

l. 5. c. 21.

Gal. de Alim. fac. c. 1. P. Æg. l. 7. c. 4. Ras. tr. 8. c. 54.

v.g. ventriculi, tolli euacuatione poſtgenitæ pituitæ? *Mac.* non quidem ſimpliciter, verùm confouente ablato, non difficilis ſternitur via Medico curanti. *Vec.* non curat igitur intemperiem euacuatio tua. *Mac.* cui dubium? curatur enim intemperies illa per ſua contraria. *Vec.* cur igitur Lectoribus fucum feciſti? *Mac.* at ego aliàs rem patefeci, ſimulq; teſtatus ſum, aliud genus intemperiei ab humorum affluxu inductum, tolli noſtro Cerbero. *Vec.* vacillas mi homo. Si fit adhuc, intemperies non eſt, ſed paſſio, ſi facta eſt, paſſibilis iam eſt qualitas, & redit in idem cum ſuperiori. Non enim ſat eſt inhibere materiæ affluxum, aut in vacuitate contentam euacuare, verùm neceſſe eſt per contraria corrigere diſcraſiam. *Mac.* Ambigis ne de euacuationis vſu in Tumoribus? *Vec.* ratione cauſæ antecedentis nonnunquam admitto, coniunctæ improbo, Hippocrate Præceptore. *Hipp. quicunque autem ea, quæ inflammantur ſtatim morborum inter initia, medicamento ſoluere conantur, ij nō ſolùm ab intenta, inflammataq; parte nihil adimunt, cùm non cedat, obſequaturq; quæ adhuc cruda eſt affectio, verùm quoque, & quæ morbo reſiſtentia, & ſana ſunt, abſumunt, colliquantque; vbi autem corpus imbecille fit, morbus præualet, vbi autem morbus corpori præualuerit, remedium non habet. Potiſſimum verò, & Iocinoris dolores, & Lienis grauitates, atque inflammationes aliæ, & ſuperiores ſepto dolores, morborumque collectiones, quas σύστροφας dicunt, ſolui non poſſunt, ſi quis primùm medicari aggreſſus fuerit.* *Vec.* Vide proinde quàm cautè te geſſeris, quamue ſecuritatem in conſimilibus affectibus polliceri valeas à tuo pulueris vſu, quo inſolubiles reddentur in poſterùm. *Mac.* valet præterea in morbis in mala compoſitione. *Vec.* actum eſt de Chirurgia. *Mac.* quid ſubſannas noſtra? conformationi, in primis, te inuito, conſulit. *Vec.* quapropter ſuadeo tibi, meliori corporis habitu egenti, eximij huius pulueris vſum. *Mac.* nugaris. *Vec.* quid, igitur puluis iſte tuus figuram reſtituit, læuigat, aut exaſperat? *Mac.* non, ſed meatus expedit replet os, vel obſtructos

[Margin notes: p.50. 51. — de V.R. in Ac. c. 4. t.22. — t.25.]

ab

ab humoribus, tam cum flatu, & vermibus, quàm ſine, & cauitates pariter. *Vec.* quid ſi conniueant. *Mac.* in ſimilibus puluis non valet. *Vec.* Sat anguſtis limitibus ditionem tui pulueris coerces, & quod deterius, nonniſi per legatos munera illa conficit. Quid in *magnitudine imminuta?* *Mac.* nihil præſtat, ſed in *adaucta*, nempe in tumoribus. *Vec.* hos iam exploſimus. Quid igitur, partium *Numerum* deficientem, aut ſuperfluum emendabit? *Mac.* in his puluis partem non habet, ſicut neque in *Situ*. *Vec.* Neque in *communicatione?* *Mac.* nil præterea. *Vec.* laudo ſolertiam, quod Athletam viribus integrum, arenæ reſerues. *Mac.* quid tibi vis deriſor? *Vec.* irrideo ampulloſas tuas pollicitationes. *Mac.* an non præſto, quæ polliceor? *Vec.* minimè hucuſque; nam Intemperies cum materia, vix adoriris, morbos partium organicarum, nec à limine ſalutâſti. Siccine nos decipis, appenſa hædera? *Mac.* quid ſi euincam illius beneficium in *ſolutione continui*, tam à cauſa externa, quàm interna? *Vec.* Conclamatum eſt, Chirurgi. *Mac.* quæ ſolutio eſt, aut ſenſibilis, vt eſt vulnus, & vlcus, aut inſenſibilis. *Vec.* nempe vel in ſuperficie corporis, vel in meditullio. *Mac.* vt libet. *Vec.* quid præſtat tunc puluis? *Mac.* confert vnioni partium diſſolutarum. *Vec.* eſt igitur medicamentum Epuloticum. Qua norma Saucijs applicas? *Mac.* in potione, vel bolo. *Vec.* ludis me ludo tuo. *Mac.* non quidem cuiuſcunque, ſed quod fluxione tentatur. *Vec.* fluxioni igitur per ſe debetur, per accidens verò continui ſolutioni. *Mac.* hoc mihi ſat eſt. *Vec.* verè fælix es, qui tua ſorte contentus viuis. Sunt ne tibi aliæ obſeruationes conſimiles? *Mac.* maximè. Secunda in ordine obſeruatio eſt de tempore exhibendi puluerem. *Vec.* nempe hora matutina, aut veſpertina. *Mac.* non quidem, ſed de vniuerſali anni tempore in primis. *Vec.* rem contrahe ad morbos. *Mac.* vt lubet. Igitur conſtituo in principio morborum, tã vniuerſali, quàm particulari exhibendum eſſe puluerem. *Vec.* primum controuerſum eſt in Scholis, ſecundum inauditum.

Gal. de D. Morborum c.4.

*Mac.*par eſt, te ratiocinium noſtrum & audire, & admirari. De tempore particulari certa regula aſſignari non poteſt, cùm tamen certum, ratum, ac firmum ſit apud omnes, humores faciliùs, ac promptiùs educi, quando ſunt in motu, quàm quando ſunt firmati. Cùmque qualibet diei, vel noctis hora ſui motus principium habere poſſint, hac de cauſa qualibet diei vel noctis hora poterit aſſumi, ea ſcilicet ipſa hora, qua humores moueri incipiunt, veluti fit in fluxionum, & acceſſionum ipſarum febrium initijs. Secundò auctoritate Galeni Com. Aph. 2.29.30. *Gal. Circa initia verò illorum morborum, in quibus ſperatur ægrotus conualiturus, tentanda maiora ſunt remedia: de quibus Hipp. dixit. Si quid videtur mouendum, moue. Sunt autem hæc præcipuè quidem venæ ſectio, nonnunquam verò & purgatio: quorum neutrum oportet morbo iam conſiſtente adhibere. Vt enim in libro de Criſibus manifeſtauimus, coctiones morborum tunc maximè fiunt. Vt igitur hæ citius eueniant, meliùs eſt circa principia euacuare, quò minorem iam factam materiam, faciliùs natura poſſit concoquere. Mac.* quæ ſi vera ſunt, quemadmodum veriſſima, tunc erit ad puluerem dandum tempus opportuniſſimũ, quando morbus humoralis incipit, principij nomine accepto, non ſolùm de principio vniuerſali, verùm etiam particulari. Cur rident omnes? *Vec.* tibi obſecundant, admirantur. An neſcis riſum prolem eſſe admirationis? *Mac.* benè eſt. Cur non rides, & tu, Vector? *Vec.* excutit riſum tui commiſeratio. Præſente igitur paroxiſmo, tundetur vena, ſcarificabimus crura? *Mac.* talia non ſuadeo, neque permitterem meis ægrotantibus. *Vec.* at maiora remedia tentanda ſunt in principijs, *ſunt autem maximè quidem venæ ſectio, nonnunquam verò & purgatio*, vt audiſti nuperrimè: igitur venæ ſectio conuenit in principio: ſed per te principij nomen non ſolum de vniuerſali, verùm etiam de particulari dicitur: igitur & in principio particulari, nempe in febrium acceſſione, conuenit ſanguinis miſſio. Hanc eruditionem ex tua Academia lucramur. *Gal. multa inſuper alia partim*

de Tot. morb. tẽp. c. 2.

tim Hipp. partim alij Medici omnes veteres memoriæ prodiderunt: quibus non primæ accessiones impetum, sed longum magis tempus principium esse, nobis persuadent, nempe quo sanguinem detrahere, & Clysterio vti possimus: interim si res vrgeat, etiam purgare. Præterea ridiculum esse, morbis, qui intra diem septimum finiuntur, & ijs, qui annum durant, quemadmodum interim quartana, æquale principium statuere. Multa sanè de hoc principio etiam in primo de Crisibus libro diximus, ostendentes quomodo primum hoc tempus quispiam cognouerit. Erat autem eius summa morbi cruditas. Vec. quem locum tibi indicatum *p. de Crisibus c.6.* tuo cum commodo visitabis. *Hipp. Qui à febribus fortibus corripiuntur, his medicamenta purgatoria dare non oportet, donec remiserit febris.* de Med. Purg. *Mac.* Cur hoc quæsò? *Hipp. Carnes, enim, ipsorum, & ventres cum calidi sint, medicamentum assumunt, & nihil depurgantur, & febris maior fit &c. Mac.* nihil officit hoc præsenti quæstioni, de particulari tempore exhibendi puluerem. *Vec.* Quinimo plurimùm, si attendis; Nam vbi ventres calidi sunt, medicamentum assumunt, & quæ audisti sequuntur. *Mac.* transeat hoc. *Vec.* sed in principio febrium quarumcunque ventres calidi sunt. *Mac.* hoc verò negatur. *Gal. accessionis principium fit, calore omni toto ex corpore ad cor, thoracemq; concurrente. densata est hoc tempore, contractaque & cutis ipsa, & quæ ab hac habetur carnea substantia.* de V.Ac. 1.t.46. *In febrium accessione, sopore, & comate grauantur ægrotantes, quòd hoc tempore cerebrum vehementer refrigeretur; clarissimè enim recedit in plerisque initijs de tota superficie externa sanguis, confluitque in viscera, vnde compressiones, & obstructiones fiunt, distentionesque arteriarum præcipuarum, propter quas initijs talium accessionum coniuncti sunt pulsus inæquales.* 10.meth. 10. 3. de I. aff. c.vlt. 3.de Præsag. ex Puls.c7. *Vec.* Concludam proinde; si ventres in accessione calidi sunt, vt testatum nobis reliquit Galenus, fidemque faciunt recensita experimenta, igitur medicamentum assumenti ea damna sequentur, quæ dudum enarrabat Hipp. Ampliùs vbi deterrimè se habent partium facultates, tunc nulla vis inferenda est Natu-

Hipp.l.4. de morb. ræ. *Hipp. Et siquis iam turbatum adhuc magis perturbet medicamento immisso, nihil miri est ex talibus hominem perire.* *Mac.* quid cunctaris annectere minorem? *Vec.* mei vicem subibit Galenus. *Gal. deterrimè autem habent in accessionum principijs thorax, & vēter & remissio pulsus peculiaris est accessionū principijs. Qui languor fit ob stomachum, & facultatem affectum.* *Vec.* inferam liberè: igitur in accessionis principio nulla vis est inferenda Naturæ. *Mac.* nil hæc nostra tangunt: auxilium enim paramus, non autem noxam. *Vec.* expecta parumper. *Gal. Siquidem remedia, cùm in primis omnia præter naturam sunt; necessariò etiam facultatem adhibita vexant.* *Mac.* nunquam proinde remedijs vteremur. *Vec.* negatur; sed tempus illud eligendum, quando minùs vexatur, qualis est declinatio. *Gal. modestissime se habent in declinatione.* *Vec.* & interuallis. *Mac.* neque de hoc controuersor, sed motu humorum suadeor. An controuersaris, an humores sint in motu? *Vec.* quin & calorem totum, sed ad partem determinatam. *Gal. in principijs siquidem accessionum calor naturalis totus, & humores in profundum corporis remigrant, quemadmodum Hipp. docuit, & magis in quibus horror, vel rigor, vel fortis partium externarum refrigeratio contingit.* *Mac.* Quid ais tu nouus turdus? *Vec.* crocitare te adhuc annosam Corniculā, magnaque incircumspectione obsecundare, non auertere humorum impetum. An nescis improbari hac ratione etiam somnum, laudari vigiliam? *Gal. & propterea si in principijs dormierint, symptomata illis protrahuntur, vix febres ad consistentiā perueniunt. Si qua verò inflammatio sit circa viscera, meritò augetur: & si humores aliqui in ventrem confluant, non æquè atque in alijs somnis concoquuntur, sed multò plures fiunt, incocti permanentes. Ob hanc scilicet causam, ægrotis vigilias præcipimus tempore illo, eam, quæ fit per vigilias, spiritus, sanguinisue, atque caloris in eis ad exteriora motionem opponentes: tanquam maximum auxilium aduersus illam, quæ fit in accessionum principijs, sanguinis spiritus, & caloris naturalis ad interiora retractionem.*

Marginal notes: l.de V.A. c.1. t.46. — l.c. de V. Præsag. c.1. — loc.cit. — l.c. de V. Ac. — c.2. Aph. 1. — loc. cit.

Quare

Quare non sine ratione dixerit quispiam, huiuscemodi læsiones hoc tempore accidere ex natura accessionis, & ex vigilia prohiberi. Cùm vero hac priuati fuerint ægrotantes, tunc damnum sentiunt manifestius, non quia altera læsio accedat ex somno, sed quia deest illa, quæ ex vigilia habetur vtilitas. Vec. tunc sic. Stúdium boni Medici hoc est, vt pugnet, quantùm in ipso est, aduersùs illam, quæ fit in accessionum principijs, sanguinis, spiritus, & caloris, qui in eis est, ad interiora lationem; sed maximum auxilium, vt est, in vigilia, sic pessimum est in purgatione: ergo in accessionibus febrium interdicenda est, non tantùm tua, sed qualiscunque purgatio. Maior est Galeni: pars minoris propositionis de Vigilijs prærogatiua est eiusdem auctoris. *Mac.* negocium hæc mihi non facessunt, & absque repugnantia admitto, nego verò, & pernego minoris alteram partem, in qua pessimam dicis purgationem quamcunq; in primo febris insultu. *Gal. prætermittendum est, quòd quæcunq; per circuitus aliquos ægritudinum accessiones fiunt, ex membrorum dispositionibus ortum habeat, quæ scilicet membra, vel mittunt, vel suscipiunt, vel generant, vel contrahunt superfluitates.* 2. de diff. feb. c. 11. *Vec.* Tunc sic. Quàm longissimè à fluxione tentata particula reuellere oportet: sed partes fluxione tentatæ, quæ focus putredinis, sunt internæ: ergo quàm longissimè à partibus internis est reuellendum. At purgatio ad partem internam trahit humores, nempe ad vẽtrem: igitur inepta est reuulsioni præstandæ in febrium initijs. *Mac.* quinimò humores foras educendo est in causa, ne ferantur ad partes principes, vel principibus consentientes. p. 99. *Vec.* dic, amabo: qua hora tuum exhibes puluerem? *Mac.* obliuiosus ne es? in paroxismo, in primo febris impetu; satisne tibi factũ? *Vec.* quod tempus intercedit ad hoc, vt sollicitet aluum: nam amico nostro post tertiam horam cõtigit hoc. *Mac.* plus, minusue, sic consueuit: quid inde? *Vec.* non igitur simul ingurgitatur, & soluitur. *Mac.* an putas deriuari velut per canalem? *Vec.* non puto: nam actio fit in tempore. *Mac.* benè dicis. *Vec.* quid præ-

ſtat puluis intermedio illo tempore? *Mac.* attrahit familiares ſibi humores. *Vec.* quorſum? *Mac.* ad ventrem. *Vec.* nulla igitur eſt tua illa euaſio. *Mac.* aſſigna cauſam. *Vec.* quia trahit, vel te inuito, ad partem affectam, neque euacuatam. *Mac.* at breui euacuabit. *Vec.* interim verò noxa contracta eſt. *Gal. Secundò cum naturalia morboſis cauſis permiſta ſint, in recidendis cauſis nihilominus bonorum, quàm vitioſorum detractio fit. Vec.* purgatio igitur peſſima eſt in paroxiſmis, nam trahens ad partem laborantem, quod reuocari debebat, malum duplicat, & ſuffocationis inducit periculum: attractos verò tandem purgans humores, depauperat naturæ ærarium, illiq; ſummopere incommodat, quæ damna irreparabilia ſunt, tuq; incaſsùm ipſa diſſimulas. *Mac.* ſi in acceſſionibus natura grauatur, ac penè ſuffocatur, & blanda per noſtrum puluerem purgatio tunc adminiſtrata naturam à ſarcina, & à ſuffocationis periculo vindicat, relaxat, & liberat. *Vec.* obruit copia, dum tumultuãtes humores allicit ad partes deterrimè affectas, eo tempore, quo natura non coquendis, ſed perpellendis humoribus maximè inſudat, verita internecionem, quod non infrequenter accidit in paroxiſmis. Laxam tandem, ac defatigatam amicis exuis ſuccis, & ſpiritibus, auocaſq; ab iniunctis officijs. *Mac.* quæ tu ſomnias officia? *Vec.* natura nunquam ocioſa eſt, ſemperque aliquid molitur aduersùs cauſas morbificas, aut redigit illas in ordinem, aut concoquit, aut expellit, prout ſibi autodidactæ ex vſu videtur. *Mac.* & noſter puluis ſatagenti ſubſeruit. *Vec.* mendacium eſt: nam deſertores haud reuocat ſtatus olim in ſtationes, coctionibus aduerſatur. *Mac.* hoc mihi inauditum, & incredibile eſt: minorem enim iam factam materiam, faciliùs natura concoquit, auctore Galeno noſtro. *Gal. purgationes coctioni humorum contraria exiſtunt, nempe corpus vehementer mouentes frangunt. Mac.* ſecùs ſuccedit in purgatione à noſtro puluere. *Gal. tali ſiquidem virtute prædita ſunt omnia, quæ purgant medicamenta. Mac.* facilè inſuper ſarcitur iactura oblato ali-

Gal. de opt. ſect. cap. 40.

P. C.

4. Acut. 44.

alimento. *Gal. corporum, quæ expurgata sunt, natura, expurgatione agitata, labefactataque, tolerare alimoniam non potest, neq; probè eam conficere, nisi omninò pauca fuerit.* *Vec.* illudque tandem superpondij loco accedat, si incorrecta Scammonea, alioquin infensissima stomacho, porrigatur. 2. de v. ac. 13.

Redarguuntur Euasiones. Perpenditur Aph. 11. & 19. Sect. 1. Libro Quos, & Quando, Pristina conciliatur dignitas.

Mac. sed redeamus in viam. *Vec.* quis nam digressus est? an tu deuie? *Mac.* dicteria non curo, factumq; aliquando memini, vt nostra oppugnare tentarint, nescioqui studiosi, obijcientes nostræ obseruationi in exhibendo puluere accessione præsente, vel instante, duos Hippoc. aphorismos, scilicet vndecimum, & decimum nonum primi: vbi interdicit Auctor cibum in accessione: plurimùm verò interest cibum inter, & medicamentum, ratumq; est, neq; in commento aliquid haberi, præter alimoniam opportunam: quare, quod Hipp. hic loquatur de medicamento purgante, istorum est purum, integrum, liquidumque, nullo referente, commentum. *Vec.* nonne aliqua saltem verisimilitudine ducebatur? *Mac.* maximè. Sic verò procedebant. Si in accessionibus ab alimento abstinendum est: ergo multò magis à medicamento purgante. *Vec.* quid tu? *Mac.* negabam similitudinem, & consequutionem; & ratio negationis inde petitur: quòd si videamus rationes, propter quas cum Galeno cæteri omnes ex Hipp. præcipiunt, in accessionibus à cibo esse abstinendum; proculdubiò, si cœci nõ erimus, luce meridiana clariùs perspiciemus, esse quidem à cibi oblatione tunc desistendum, at non à pulueris exhibitione. Dicit igitur, & benè Galenus cum cæteris illius loci Interpretibus, in accessionibus naturam ab humoribus grauari, ac penè suf- p. 78.

 focari:

„ focari: vnde ſi cibum offeramus, magis, magiſq; illam graua-
„ bimus, ac ſuffocabimus. *Vec.* aliunde illa hauſiſti; non à Gale-
„ no in cõmento aphoriſmorũ,quos recẽſebas. *Mac.* addunt etiã,
„ & meritò quidem nonnulli, per cibi oblationem in acceſſione
cauſam morbificam augeri. *Vec.* ſed malè; nunquã enim alere
ſineret febricitantes: falſum inſuper eſt tam breui ſpatio con-
„ fici tunc alimentum. *Mac.* accedit, quòd Gal. expreſsè monet,
„ naturam haudquaquam impediendam, dum propria obit mu-
„ nera, ſed iuuandam, At in acceſſione, eodem Gal. authore,
„ natura eſt in pugna, & varijs afficitur perturbationibus, totaq;
„ in coquẽdo morbo, & cauſa particularis acceſſionis proxima
„ expellenda innititur. Iure igitur, & illo quidem optimo, con-
„ cludere poteſt Galenus, non eſſe, quemadmodum ſapientiſ-
„ ſimè præcipit Hipp. tunc diſtrahendam per cibi oblationem.
Vec. vter veſtrùm caligat? *Mac.* Aduerſarij dubio procul, qui
alimento medicamentum ſubſtituunt. *Vec.* par tibi, vt audiſti,
referre valent. Deierarem tamen non adhuc attigiſſe te illo-
rum mentem. *Mac.* mihi hæc obijcis, qui publici Interpretis
perſonam ſuſtineo? *Vec.* nec te ad rem: audi illorum progreſ-
ſum, quantùm mihi conijcere datur. Si de quo minùs ineſſe
videtur,& ineſt; ergo & de quo magis: ſed minùs periculi ex-
hibendo cibum in acceſſione eſſe videbatur, quum familiare
naturæ ſit, & officit nihilominus: igitur tantò magis medica-
mentum, quod naturæ aduerſatur. *Mac.* at ego reſpondebam.
Vec. repudiatæ iacent tuæ reſponſiones: profer, ſi quid habes
p. 79. „ ſolidioris. *Mac.* ſi in acceſſione tota in cauſa particularis acceſ-
„ ſionis proxima expellenda innititur Natura, poſtquam in ac-
ceſſionibus iudicationes fiunt, teſte Gal. *primo de Dieb. Decret. cap.* 7. ergo puluis noſter tunc datus hanc expulſionem iuuat.
Vec. plura congeris abſurda, quàm verba. Siccine nobis illu-
dis tu Publicus Profeſſor? An non iudicationes, ex tua doctri-
na, fieri deberent ſemper in morbi principio, cruda materia,
& ſingulis diebus, quum tamen illaudabilis, infidaq; ſit Criſis,

quam

quam Coctio non præcesserit. *Hipp. Coctiones securitatem iudicij portendunt. Cruda verò, & in malos abscessus conuersa, vel longitudinem, vel recidiuam, vel mortem.* *Gal. quando maxima ex parte morbi in suo vigore constiterint, fiunt iudicationes.* *Vec.* Superare nititur Natura rebellem materiam perpetuo conatu, magisq; in interuallo, quàm in accessione illud præstat, minimumq; in principio, quoniam auocatur. *Mac.* ociatur igitur. *Vec.* minimè, sed propellit hostem, corporis arcem inuadentem, cor nempè: huc confluit sanguis, spiritus, calorq; innatus, opem laboranti Naturæ laturi, tunc calent ventres, thoraxq; præsertim, frigent extrema: vide, quod supersit tempus coctioni in tanta rerum perturbatione, vbi subuertitur totius corporis œconomia. *Mac.* longa conficiuntur obsidione, nisi aggressor spontè, aut coactus secedat. *Vec.* cogitur quidem. *Mac.* forsan à nostro puluere. *Vec.* ad coruos tuo cum puluere. Collectis illa viribus erumpet tandem è finibus propulsatura hostem. *Mac.* at hæc mihi est expulsio. *Vec.* vt libet. *Mac.* huic igitur obsecundabo purgatione. *Vec.* principio, vnicum ne est Naturæ emunctorium, quo noxiam materiam expellat? *Mac.* non quidem, sed plura. *Vec.* eruditior non est ipsa Natura, aut constituit te illa à secretis? *Mac.* quid blateras, quò diuertis? *Vec.* cur cogis inuitam ad particulare emunctorium? *Hipp. Naturæ morborum Medicæ, nos autem ministri.* *Vec.* obserua proinde magistram rectè operantem, admirare, operaturam, ne distrahas. *Mac.* an non in tertianarum principijs, quæ frequentiores, consueuit illa peccantem materiam per aluum exonerare? *Vec.* consueuit quidem procedente morbo nonnunquã, tu verò immemor ne es edicti Hippocratici? *Hip. quæ iudicãtur, & iudicata sunt integrè, neq; mouere, neq; nouare, neque medicamentis aliter irritare, sed sinere oportet.* *Vec.* iudicantur humores in vnaquaq; particulari febre intermittente; integrè iudicantur post coctiones, quapropter superflua est tua opera. *Mac.* superflua igitur est ars medica, & auxilia cuncta. *Vec.* minimè

Epid. Aph. c. 19. Epid. in Aph.

gentium. *Mac.* quid præſtat igitur Medicus? *Vet.* arma Naturæ miniſtrat, impedimenta arcet, vias ſternit, ipſa pugnat, & ſuperat aduerſarium. *Mac.* an non & ſingula hæc præſto ego? *Vet.* pugnantem retrahis, vireſq; duplicas aduerſario. *Mac.* in tua hac excurſione complura tibi exciderunt, quæ nec concoquo, neq; admitto, verùm, ne terminos quæſtionis violem, aliud in tempus reſeruo: illud tantùm in præſens ad trutinam reuoco, quod dudum dicebas, Naturam nempè, magis elaborare cõtumacem materiam in interuallo, quàm in acceſſione; & præcipuè in illius principio. *Vet.* vetus eſt, coctione arceri putredinem, nec ſecùs illam quiete miniſtrari: quieſcunt verò humores in diebus paribus. *Hipp. humor enim in corpore ægroti magis turbatur in imparibus diebus, nimirum corpore humorem ad ventriculum transmutante. Et ſi quis turbatum iam adhuc magis perturbet medicamento immiſſo, nihil miri eſt ex talibus hominem perire.* *Vet.* vno iaculo duas conficit feras. *Mac.* reclamat experientia dubio Auctori. Quod ſi dixeris id etiam præſtare poſſe cętera medicamenta ſubductoria, quæ vſq; ad hanc diem vſurpata fuerunt? *Vet.* quid reſpondebis tu Macer acerrime? *Mac.* non valet ſimilitudo, propterea quod medicamẽta dicta, vel ſunt lenientia, & hæc in acceſſione locum non habẽt: quoniam cùm ex parte quadam conſtent, quæ in alimentum poſſit conuerti, illas noxas in acceſſione afferrent, quas & alimentum parere ſupra diximus. *Vet.* egregia euaſio, teq; digna. Dic, quæſo, pars illa lenientium medicamentorum præuenit, an præuenitur ab alimentoſa? *Mac.* ardua res eſt cognitu, prorſuſq; inutilis. *Vet.* primum tibi condono, alterum reijcio. Actiuior eſt vis illa ſoluens, quantitati debitæ maritata: quapropter præuenit omnem alendi ſuſpicionem. Fuga proinde fuit illa tua, non difficultatis ſolutio. Prætereo, quòd multa ſimplicia, alimenta ſint, iuncta verò, medicamenta tantùm. Luculentum huius rei tibi dabit teſtimonium Galenus noſter. *Gal. Oximel quidem vim medicamenti ſolam habet.* *Vet.* verùm mel,

4. de morb. (margin, at "rò humores in diebus paribus")

p. cit. (margin, at "mat experientia dubio Auctori")

p. 80. (margin, at "ta dicta, vel ſunt lenientia")

de v. a. c. l. t. 44. (margin, at "Luculentum huius rei" / "Gal. Oximel")

mel, & acetum cedunt aliàs noſtrum in alimentum. Irridet poſtremò tuam euaſionem Aloe: quæ iurata aſſerit, nemini vnquam ſe ceſſiſſe in alimentum, leniſſe tamen quàm ſæpiſſimè aluum. *Gal. ſi quis parùm aloes admiſceat, cauſa deijciendi ventris, qui prorſus non deiecerit, nihil lædet.* *Vec.* hæc pro exploſis à te noſtris Lenientibus. *Mac.* ſi verò ſoluentia, quæ apud Veteres erant in vſu, quia nimis calida exiſtunt, & magnam inferunt Naturæ moleſtiam, ideò in acceſſione nullo pacto cōueniunt. *Vec.* ignotum ne erat Scammonium Antiquis? vel noſtra tempeſtate, tuaq; induſtria deſijt eſſe calidum? Plurimam huius malè correcti partem exhibes tu, quô bilem funditùs euertas in primo inſultu febris bilioſæ, cur & nobis non licebit probè correcti, & congruis rebus admixti in principio acceſſionis, tuo exemplo portionem modicam exhibere? Nulla Schola ſubſcripſit, ſubſcribituè huic tuo delirio, non Græci, non Arabes, non Hermetici. *Parac. Cum morbus Naturam, & vim ſuam exerit, non bonum eſt cum eo agere, ſicut cum viro irato nihil agi poteſt. Quare autem cum eo aliquid agendum eſt; oportet expectare, donec præterierit ira, tunc eſt intelligens, vt ſermonem, & reſponſa tua percipere poſſit, & alacriter reſpondere. Quæ omnia in ira Naturæ fieri nequeunt. Similiter etiam intelligendum eſt de morbis exacerbatis. Notate etiam periodos, paroxiſmos, & acceſſiones omnes eſſe iram Naturæ, eiuſq; furorem: quanquam aliud genus iræ ſit periodus, aliud acceſſio, aliud paroxiſmus, aliud exacerbatio: omnia tamen hæc ira noſtris ſunt, orta ex offenſionibus, quas Natura in morbo pati cogitur, aut morbus pati cogitur à Natura, vtriſq; enim ira oritur. Sciat igitur Medicus, iram aliam eſſe Naturæ, alitud quoq; eius tempus, ſeu ſanitatis; aliam verò iram eſſe morbi, quando ille ſe oſtendit. Hæc reſpicere decet medicum, vt videlicet iuxta tempus, & horam agat, nihilq; importuno tempore incipiat.* *Vec.* ſat ne tibi fecit Chymicorum Anteſignanus? en Pœnorum Princeps accedit, ſeuerè te moniturus. *Auic. & non moueas in die paroxiſmi aliquid, quantò poſſibile eſt tibi, neq; cures*

13. meth. c. 19.

» P. cit.

in Aph. c. 11.

l. 4. f. 1. tr. 2. c. 7.

febrem, & non euacues per fluxum ventris in die periodi. *Vec.* en tibi togatum Ciuem, quem Romanum Hipp. dixit posteritas. *Mac.* Cornelius ne Celsus Hipp. studiosissimus. *Vec.* adnuit, & infit. *C. Cel. Seruanda verò illa sunt, ne ante diem tertium ducatur (aluus) ne vlla cruditate subst ante, ne in corpore infirmo, diuq; in aduersa valetudine exhausto: nec in eo, cui satis aluus reddit quotidie, quiue eam liquidam habebit, ne in ipso accessionis impetu.* *Vec.* Conuenit te noster senex. *Hip. Cùm autem irruunt morbi, quiescere oportet, & laborantem, & Medicum à curationibus, ne quid mali fiat.* *Gal. Hoc idem enim de principalibus paroxysmis, idest exacerbationibus vaticinatus est in aphor. nihil enim, quod vel apponere queat, vel violentum sit, assumendum censeo. Satis sit paroxysmi malum, ne simul adsit & hoc, & id, quod ab arte fit. Quemadmodum enim feræ etiam valdè agrestes, si quis eas placidè adeat, blandèque demulceat, mansuetæ redduntur, si verò ipsis irascatur, atq; adoriatur, agrestiores efficiũtur, ita morbi quodammodo agrestiores effecti, si quis eos in paroxysmis soletur, & mitiget, leuiores, ac mansueti euadunt: si verò ex aduerso se opponat, vimq; inferat, excitantur, ac exacerbantur. Propter has, & alias id genus causas, nec rebus cogentibus, nec alimentis vult vti in paroxysmis, partim quidem ob additionem, partim verò ob turbationem, quæ in dispensatione fit.* *Hipp. Quum autem purgaueris, sorbitionibus vtitor, obseruatis ita febrium accessionibus, vt neq; cùm adsunt, neque cùm futuræ sunt, exhibeas, sed vel cùm cessant, vel quieuerunt, & maximè à principio recesserunt.* *Mac.* parùm hæc nostris officiunt: agitur enim de sorbitione alimentosa. *Vec.* sed in purgatione audisti quid euincat alimenti opportunitas? decet nec non & te denuo Preceptorem audire loquentem. *Hipp. Sed maximum existimato, si id, tãtisper obseruaueris, donec valdè incaluerint, deinde id, quod confert, exhibe.* *Vec. quid confert*, & alimentum, & pharmacum includit. *Mac.* quid rixamur? illegitima est libri pars: sisto te ad Galeni tribunal. *Vec.* plura tamen legitima cõtinet, dignaq; Cõmentario, & admiratione Galeni, inter quæ non

l.2.c.32.

3. de morb. c. de pleu.

Gal in li. de Diæta Hipp.

Hipp. 1. aph.19.

Hip. lib. de cap.

Gal. li. 1. c.8.

de v. a. c. 4.t 37.

non postrema est allata sententia. Vis liberè dicam, ars est
Neotericorum, vt quotiescunq; vrgentur, suspectum dicant
authorem. *Mac.* verùm sic expedit. Sciolus quidam nuper as- p. 80.
serebat, medicamentum subductorium exhibere in accessio-
ne, refragari doctrinæ Galeni ratione cõfirmatæ, indicabat il-
le sententiam descriptam in *lib. quos, & quando purgare oportet.*
Gal. nam dum accessio infestabit, à superioribus educes, vbi verò de- l. q. q.
stiterit, quod intermissionem dicimus, ab inferioribus trahes: mul-
tis enim per accessiones vomitus excitatur, & sanguis è naribus
erumpit, non paucis intermissione facta lotium, & aluus fluit. *Vec.*
quid tu in dolo deprehensus? *Mac.* verùm amabò ad melio- „
rem mentem, voluntatemq; iste se conuertat. *Vec.* assigna cau- „
sam. *Mac.* mitto libellum illum, quemadmodum apud omnes „ p. 81.
est in confesso, non à Galeno, sed ab Oribasio fuisse conscri- „
ptum. *Vec.* non omnes illud credunt, inter quos, & tu es, qui
nonnunquam inter Galeni legitimos admisisti, illiusq; proficis p. 18.
auctoritate. *Mac.* malè sit tuæ memoriæ, meæq; obliuioni. *Vec.* „
verùm, quid te induxit in nuperam hanc credulitatem? *Mac.* „
illud nos adducere potuit, quod neq; in ordine suorum libro- „ p. 81.
rum, neq; in Catalogo de libris proprijs, talis libelli mẽtio „
habetur, neq; in libris, qui veri germani ipsius Galeni existi- „
mantur, vllibi talem sententiam notatam, ni fallor, inuenien- „
tes. *Vec.* profundissimæ sunt lacunæ vtroq; in Libello, vbi lati-
tare non dubito controuersam tractationem, quæ tamen &
conscribi à Galeno posteriùs potuit, familiaris alicuius sui in
gratiam, quod non infrequenter illi contigit. *Gal. illa etenim* de lib. prop. in Proc.
cum non edendi gratia, verùm propter amicos, aut discipulos, eo-
rum, quæ à me audierant, aliquod commentariolum efflagitantes,
scripta essent, absq; titulis data sunt: qui verò post illorum obitum
ea habuerunt, cum ipsis placerent, vt sua legerunt. Alij, quibus no-
stra, ab ijs, qui habebant, communicata essent, in patriam profecti,
moratique titulos alios, aliter, fecerunt: postea omnibus temporis
spatio deprehensis, multi eorum, qui ea iterum habuere, meum illis

nomen

nomen inscripserunt, & quoniam inueniebant cum ijs, quæ etiam apud alios extabant, exemplaribus discordare, ad me, quo ipse emendarem, miserant. Cùm igitur ea, vt dixi, non ad editionem publicam, verùm eorum, à quibus rogabar, & captum, & vsum à me scripta essent, par est in alijs productam, in alijs verò cōtractam interpretationem fuisse, ipsamque præceptorum doctrinam contineri: quandoquidem illi, quibus ea destinabantur, neq; rogabant, neq; poterant exactè omnia percipere, antequam habitum in necessarijs essent adepti. c.12. *Scripsi autem, & alia multa, me ipsum exercitandi gratia, quorum alia quidem in incendio illo, quo & templum Pacis conflagrauit, perierunt, alia autem amicis data, apud multos adhuc integra, quemadmodum & reliqua nostra extant. Eorum autem, quæ scripsi, commentariorum, quædam ipse amicis dederam, quædam verò à domesticis furtim surrepta, & euulgata sunt, quo deinceps ab alijs, quæ habebant, accepi. Mac.* I tu, & rem expiscare nostro sæculo. *Vec.* commensalis Athenæus testatur, tot philosophica, & medicinalia volumina tradidisse Galenum, vt scriptores ante se superarit omnes. *Mac.* diuinandum igitur, aut cuncta volumina pro Galenicis sunt admittenda. *Vec.* neutiquam, sed norma certissima sunt illa examinãda. *Mac.* quæ nam illa est? *Vec.* si Galeni doctrinæ consentiens sit, illiusq; methodum, & loquutionem sapiant. *Mac.* at sapere Oribasij latices visum est controuersam tractationem, *Quos, & Quando. Vec.* quisq; suo sensu abundat: mihi verò longè, latèque redolere videtur Galeni ingenium. Non vacat singulas sententias conferre modò, quæ ibi describũtur, similes prorsus ijs, quæ alibi professus est Galenus; quin Præceptor ipse Hippocrates: quæ res forsan fuit in causa, vt suspicatus fuerit studiosus non nemo Galeni, ab Oribasij collectore fuisse compilatum. *Mac.* Sat mihi est non esse Galeni. *Vec.* hoc iterum pernego. Verùm etiam hoc dato, non ita malus Auctor est Oribasius, vt illius asperneris animaduersionem, præsertim cùm testetur Censor. *Oribasij est hic libellus, ex Galeni libris excerptus. Mac.* habeo quæ

oppo-

opponam. *Vec.* sine adhuc me proloqui. Grauiores ego producam Censores, omniq; exceptione maiores, quibus legitimus est Galeni partus *lib. Quos, & Quando. Mac.* qui nam? *Vec.* Emeritus Io. Baptista Montanus, cuius iudiciũ præfigitur Galeni operibus, & Clarissimus Præceptor meus H. Mercurialis, sede primore collocatus, hæc habet. *Quintæ Classis tractatus perinde Medicis futuris sunt necessarij, ac ignis, & aqua vitæ nostræ.* Collocatur verò in *quinta Classe* liber tibi suspectus. *Mac.* duo sunt, quæ me reddunt nihilominus ancipitem, primũ est, illudq; præcipuum, vnde sententiam illam hauserit Auctor dẽ non propinando pharmaco in febrium principijs; alterũ, quod me angit, est, cur non alibi cauerit, legeque interdixerit? *Vec.* par, æquumq; est duplices tuas tenebras fugare ambobus Medicinæ luminibus. *Hipp. Ventres subpurgare oportet in morbis, quum matura fuerint: infra quidem, vbi considisse videris: signum habes, si neq; anxij, aut capite grauati fuerint: & quum calores mitissimi fuerint, aut quum post exacerbationes cessarint. Sursum verò, in exacerbationibus. Tunc enim sua sponte eleuantur, quum anxij, & capite grauati fuerint, ac se iactarint. Quum verò exacerbatio ipsum inuaserit, ieiunus medicamentum ne bibat.* 5. epid. Hipp. 2. de morb. *Gal. Ea mihi de causa prauas opiniones vetustissimi Medici irreprehensas omisisse videntur, quæ & legum latores antiquissimi maxima scelera inulta reliquerunt. Nam cum per id tempus hominum malitia intra mediocritatis terminos stetisset; nec quisquam alium supremis iniurijs afficere, aut manifestissima queq; impudenter abnegare auderet; quo pacto quis, vel nondum perpetrata castigare, vel non adhuc dicta reprehendere debuit? Postea verò vnà cum tempore adaucta hominum malitia, cum neq; inausum amplius quicquam, neq; non dictum, inueniretur; coacti sunt & legum conditores noua supplicia aduersus maleficos excogitare, & veritatis obseruatores, varijs reprehensionum formulis sciolos coarguere. Id quod in præsentia facere nos quoque decreuimus, eos Medicos confutando, qui purgantibus medicamentis in ipso febris initio vtuntur. Mac.* de Med. Prog. c. 1.

sed

ſed rationem conſidero. *Vec.* abi in malam rem tua cum ratione, plectendus breui ab Aſtronomis, quorum legibus aduerſaris, puluerem tuum dum propinas in Coniunctionibus, & Oppoſitionibus Lunæ cum Sole. *Mercurius.* Heus vos malè feriatæ Vmbrę, quid hic ſtatis? veſtras actutùm repetite ſedes: quid cunctamini? an non trifaucem cóſpicamini Canem hùc aduolantem? *Vmbræ.* nullæ ſumus, fugiamus monſtrum implacabile. *Nau.* remugit æquor, refugiunt vndæ immanis belluæ præ formidine; nauem opportunè, raptimq; ſoluamus, amici. *Vec.* quid cunctamur? *Nau.* tollite, præcidite anchoras. *Vec.* fuge crudeles terras Nauarche. *Nau.* remis, & aura. *Vec.* caue nunc ſeriò canem Macer. *Mac.* heu me perditum: faceſſe toga. *Vec.* timor pedibus addidit alas.


Nos interim pauidas Vmbras, exanimemq; Macrum dubito riſu, dum proſequimur, moniti à proximo Horologio, conceſſimus, ſalutato Eudemo.



NOX



NOX GENIALIS DECIMA.



„ Iamq; dies exactus erat, tempuſq; ſubibat,
„ Quod tu, nec tenebras, nec poſſes dicere lucem,
„ Sed cum luce tamen dubia confinia NOCTIS.



VM ruſtica pompa Laruarum nos properantes intercipit, Ducebant choreas colonorum noſtratium ad inſtar, ſaltuſque enormes, ſummo artificio diſpoſitos æmulabantur. Scandebant alternatìm nonnunquam ad quartum vſq; ordinem, ſimulque iunctis conſcenſoribus, tripudiabat in orbem, tibiarum canentium ad numerum, vniuerſa machina, quæ mox diſſoluebatur: dum illi ſe præcipites dant volutatìm, & innoxiè, magna ſpectantium admiratione. Mille obſeruauimus iocos feſtiuiſſimos, donec concedente remora, lenti, lætique conuenimus, non abſq; Eudemi riſu, qui clam nos cunctabundos per feneſtram perſpexerat. Par eſt, amici, aiebat Senex, vt penſum hac NOCTE Genialiter abſoluamus. In promptu habeo Commen-

tarium in lib. Hipp. de Corde, ab Amico nostro non multis abhinc mensibus conscriptum: eo præsertim in tempore, quo sæuo pectoris premebatur symptomatis genere, à quo tãdem è vita ereptus. Hanc nactus Auctor occasionem, non inutile fore censuit nouam de *Sanguinis circulatione* sententiam examinari, ne suo Hipp. esset iniurius. Si vobis placet hominis huius experiri conatus, cura Pamphilo nostro demandetur: qui obsequens, lubensq; confestim sic exordiebatur.

In Librum Hipp. de Corde.

PRæstantissimus inter animantia cuncta homo, sapientiæ ludentis insigne miraculum, audit non inuitus vniuersæ huius machinæ, quæ ab ornatu κόσμυ nomenclaturâ indigitatur, certissimum esse compendium, velutq; modulum, cuius ad exemplar maior illa constiterit. Coruscant superiori è sede non ociosa sydera, placidam in temperiem conuenêre iam altercantia elementa, vegetat cũ plantis, sentit cum animalibus, & eminentiori modo, æmulusq; tandem superiorum intelligentiarum, concipit, percipit, neq; longo labore assequitur essentias ab omni materiæ commercio separatas: tanta illi est cum cælestibus affinitas. In hac rerũ affluentia vnicus desideratur vitæ princeps, functionum opifex, director eminens, partium instaurator, caloris fomes, atq; auctor, quo fouente cuncta vegetent, ociante labascant, promouente augescant, educante consistant. Vnicus, solusq; Sol est, qui cuncta hæc perfectissimè absoluit in maiori Mundo, æmulum tanti syderis cor, in medio situm pectore, omnia complectitur, quod facit ille in medio cœli residens, vt habet Vates:

„ *In medio residens complectitur omnia Phœbus*

quô se facilem, promptumq; præstet auxiliarem cunctis ex æquo fouendis. Hinc emanat vis illa vitalis, quæ cuncta recreat, promouet, & fouet; hâc destituta actutùm concidunt cuncta,

vitamq; cum morte breui commutant. Flagrat innato calore, quin focus in illo eſt, velutq; lar familiaris, qui congruis canalibus, genuinum partium à generationis exordijs ipſis inditum, ſedulus tuetur, recentibus ſubſtitutis auxiliaribus tepentem in Regiam reuocat nouis muneribus exornandam. Influit quotidie beneficos radios in membra vniuerſa, effluũt ex illius corporatura, bina, illaq; ampliſſima flumina, quæ vniuerſam vberrimè alluunt humanam compagem, euaſura in ſubditarum partium alimentum, boni Regis ad exemplar, cui curæ eſt alimenta in populos diſtribuere, non corradere, atq; extorquere in propriam commoditatem. Huius in tutelam machinata eſt prouida Natura partium cunctarum ſatellitium: quum enim ex hoc, quaſi fonte, calor vniuerſus in corpus deriuetur, neceſſe erat ſemper flagrare, cæteris verò partibus ſat eſſe poterat, niſi rigerent, verùm cum moderatione quadam tepeſcerent. Exigebatur proinde ad cordis temperiem tuendam, non tàm contrariæ qualitatis introductio, quàm eleuatarum fuliginum eductio, quibus breui obrueretur flagrans ille focus, velut lignorum ſtrue depreſſus. Huic incommodo plura oppoſuit ſagaciſſima Natura præſidia, duoq; præſertim, reſpirationem, nempe, quæ frigidioris aeris per pulmones ſubeuntis iugi opera, deferueſcit ad tempus, & cordis ipſius irrequieto motu, qui per Diaſtolen, & Syſtolen, dilatationem ſcilicet vniuerſi illius corporis, & arctam conſtrictionem abſoluitur: quam æmulantur eodem temporis articulo annexæ cordi arteriæ, per vniuerſum corpus perreptantes, quò impuris fuliginibus detur exitus, & per innatum membrorum calorem tueatur frigidiuſculum ambiens. Conſpirarunt præterea viſceris nobiliſſimi ad tutelam, non tam locus medius, qui vt præſtantiſſimus, ita inter duos ventres tutiſſimus eſt, verùm & partium reliquarum circumſtantium obſequium. Ambiunt vndiq; coſtæ, velutq; munimentum quoddam verſatile iniurias arceut, aut artificio quodam declinant: Pulmonum

per-

perpetuis flabris ventilatur, quibuſcum valida, & artificioſiſſima coaleſcit fiſtula, aeri intromittendo, & excludendo deſtinata, cui ſuccenturiat patulum os, nareſq; officioſæ. Viſcus hoc mirabile, cui commiſſa eſt hominis vita, atq; tutela, traxit olim in admirationem philoſophantes cunctos, & præcipuè M. illum Hippocratem Medicinæ inſtauratorem ex Coo Inſula Græciæ oriundum: qui particulari in tractatione huius ſtructuram, & partium, ſimulq; functiones egregiè proſequitur. Hanc nobis tractationem explicandam elegimus, certiores, non abſq; ſummo cum eruditionis prouentu veſtrum in beneficium ceſſuram, Viri ornatiſſimi, ſi quod ſpero, voſq; decet ſumma attentione excipietis è ſuggeſtu docentem Choriphæum.

HIPPOCRATES.

Cor figura velut pyramis eſt.

PArtes noſtri corporis ſubſtantiæ quum ſint corporeæ, ac proindè bina dimenſione gaudentes, certa aliqua ſub figura contineri par erat. Caſu, vel fortuna, quod cenſebat Epicurus, illas conſtitiſſe à vero prorſus alienum eſt. Nam ſtatus ille ordo, nexus, ſitus, quantitas, numerus, figura, quæ ſingulis humanis in membris cuiuſcunq; particularis indiuidui humana ſub ſpecie contenti, præfuiſſe illius generationi teſtantur intelligentiam quandam non errantem, quæ firmas cuiq; præſcripſerit olim leges, præſcribatq; in præſens, quanquã legatitia vtatur formatricis opera. Quod ſi nõ temerè cõſtitêre partes, conſtantue in prçſens, verùm ex præmeditato, veriſimile prorſus eſt, finem ſibi præſcripſiſſe: habet verò finis rationem boni, atq; expetibilis. Conſueuit autem natura ex ijs quæ abſoluuntur, facere ſemper id, quod melius, niſi impediatur; eaq; propter figuras vnicuiq; membro congruas, aptabit. Quum verò organa quæque in actionem dirigantur,

sint verò corporis nostri partes animæ organa, quibus apposi-tissimè functiones absoluit; necessarium prorsus est, vt quod optimum erat, & actionibus conducibilius, his fuerit ab exordio elargita. Prima, quæ petitur ab accidentibus obseruatio, figura est, quæ sola partes eximit à similarium censu, interque organicas constituit. Hanc visceri præstantissimo, tantisque officijs destinato contigisse appositissimam verisimile est: nec si minus apta foret, deficeret animal, vel medio in opere. Irrequieto igitur quum cieri deberet motu cor, illoq; validissimo, hærere primùm necesse habebat rei alicui solidæ, perquàm firmo nexu; nam omne quod mouetur, stabili alicui inniti necesse habet. Figuram insuper obtinere, quàm maximè ab iniurijs quibusq; immunem, & cui non repugnaret in arctum contrahi, atq; extendi. Capacissimam insuper hanc esse oportebat, quô vberes admitteret aduenientes latices, & remitteret iam excultos, vniuersi corporis in alimoniam. Nulla verò, me iudice, aptior figura erat, præterquam pyramidalis: hæc enim basi firmissima innititur, & reliquum visceris corpus sustinet, atque gubernat, ita vt à cono in cuspidem lineæ colliment, quæ breui gradu reuocantur ad basim firmissimo nexu spinæ hærentem, nulloq; periculo extenditur cor, dilatatur, atq; constringitur, primæuamq; in pyramidis figuram nullo negocio reuertitur. Hæc causa est pyramidalis figuræ, quam noster Hippocrates cordi contigisse autumat in præsenti contextu. Illud tamen non dissimulabo, quod animaduerterat idē laudatus Auctor, non omnem pyramidem æmulari cor: nam angulis caret, neq; exactum extenuatur in mucronem, pyramidum ad instar, quæ ab igne nomenclaturam adeptæ sunt. Sat est, si plurima, quæ pyramidi tribuūtur, huic conueniant: cuncta possidere, neq; ipse prætendit Senex, ac proindè suo cum illo *velut* ditionem figuræ extenuat. Valeret is, qui facundiæ litat hinc locum meditari ad suadendam figuræ congruentiam cum officio. At quoniam cor focus est vniuersi corporis; huic

non nisi figura, quę ab igne flammante Gręcis dicitur, congruè aptetur. Verùm hæc alijs sint curæ, nos relictis nucibus, solidiora prosequamur.

HIPPOCRATES.

Colore autem abundè puniceum.

A Quantitatis attributis ad qualitatis speciem, à figura ad colores, si modò progreditur Hippocrates, non est quod illi quis succenseat, nam optimo, congruoq; naturæ ordine progreditur, vt certam in rei notitiam, quantùm fas est, nos deducat. Nôstis, enim, quantum conferant accidentia ad cognoscendum ipsum quid est; immo quæ sensibus assequimur, nonnisi accidentia sunt: substantia verò inuisibilis penitùs est, nulloq; sensuum assequenda, nisi post particularia sensuum testimonia. Quòd si nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu, quæ scita est Præceptoris Stagiritæ sententia; percipiat autem sensus sola accidentia; patet hinc quàm curiosos nos esse deceat in accidentium notitia assequenda. Hæc si constant, benè Hippocrates colorem secundo loco sistit intellectus ad tribunal. Obiectum enim hoc est oculorum certissimum, cui plurimas nosse differentias datum olim est, minusq; cæteris sensuum organis materiæ labe inquinatur; ita vt intellectûs ad instar, nullis detentus compedibus, opus genuinum absoluat ad libitum. Saturato puniceo colore splendere cor quorumcunq; sanguine præditorum animalium obseruamus quotidie; quæ res non tam Hippocrati illud obseruanti fidem facit, quàm nobis præbet ansam indagandi causam rei minimè dubiæ, & quæ singulos cuiuscunque speciei certissimè tangit. At non alio tingi colore poterat viscus illud, quod ex sanguine constabat, & sanguini generando, & quidem copiosissimo à natura destinabatur. Scitum est illud, nulliq; controuersiæ expositum, orta suis debere attestari principijs; sanguine purissimo constare cor, quod cæteris vitam, ro-

burq;

burq; præest, nemo, puto, in dubium reuocabit; nisi forte is, qui punctum illud sanguineum in ouo micans nunquam obseruauerit. Hæc pro generatione primæua cordis ex sanguine, quam consequitur color ille puniceus saturatus. Verùm neq; alio colore infici poterat iam absoluto animali: nam commissa illi erat functio, vniuersum sanguinem, aut generandi, aut perficiendi, ita vt in alimentum partium vltimum, ab omni labe, neq; aliena defæcatum, cedat; quæ munia nonnisi coctione inter media & innato partis calore præside, absoluere potens erat. Hæc verò œconomia in animalis corpore obseruatur. Concoquit pars quælibet primum sibi ipsi, nempe, vt fruatur, quod verò reliquum est, erogat, in vniuersi corporis beneficium, vt ex officio tenetur: exantlatus labor huc collimat, vt coctione intermedia alimentum sibi penitus assimilet. Nouum, puto, vobis non erit, quòd omne agens naturale non impeditum actiuitatis suæ opera ad extremas vsq; differentias extendit, illasque in passum inducit. Quapropter si vegetissimus ille cordis calor oblati alimenti coctionem assequitur, dubiò procul assimilat, non tam substantiam immutans (qui verus genuinusque est coctionis perfectæ finis: est enim perfectio, quam Græci aptissimè τελείωσιν olim dixêre, nosq; examinauimus nostra in *Phys. Lact. Analysi*) quàm domestica inducens accidentia, nouam illā generationem necessariò cōsequentia, inter quæ præcipuus est color ille nuncupatus *abundè puniceus*. Stat igitur, Cor, quia ex sanguine, & sanguinis generationi præfuturum erat, nonnisi tali colore præditum esse valuisse, atque valere in animalibus quibusque sanguineis.

Et tunicam leuem circumdatam habet.

SIstit modò nostrum in conspectum cor tunicâ propriâ velatum, quam non temerè assequutum illud fuisse par est; verùm magna Naturæ satagentis industria, quæ tanti visceris indemnitati, atque custodiæ à principijs vsque generationis

ſedula incumbebat. Duo verò illa ſunt, quantum video in præſens; primum quidem, & maximè neceſſarium, cuſtodia, nempe, vt membrum præſtantiſſimum, in quo ſtat ſumma rerum, & quo incolumi viuimus, vel perquam leuiſſimè læſo denaſcimur, ab externis tutaretur iniurijs, oppoſito validiſſimè velamine, quod cùm vniuerſam cordis molem exactiſſimè ambiat, pericardium Græci non ineptè dixêre. Oritur ex cordis baſis neruosâ ſubſtantiâ, validiſſimâ, verùm *laue* admodum, tactuque molle, præſertim domeſtica in parte, ne ſuo contactu, ſi quid aſperi nactum eſſet, cordi officeret, tuncque præſertim, quum grauibus torquetur affectibus, conſuetum illius tonum variantibus. Fido hoc munimento vndequaque cinctum cor, eludit quoſcunque conatus craſſiorum flatuum, ex abdomine in thoracem penetrantium per cæcos ductus, præſertim querulis in hypochōdriacis, quos videre eſt quantis angantur malis, ſi qua ſpiritûs portio, vel in ipſum thoracem penetrârit; ita vt diſrumpi, breuique perire ſe putent preſſi, atque oppreſſi, donec diſſoluantur flatus, atque exhalent. Quaſnam putatis allaturos fore illos cordi moleſtias, niſi circum amictus pericardio detrectaret hoſtis inſultus? Grauiora minantur congeniti excrementitij humores, quod ſuccedit in Empyemate, vbi vniuerſa thoracis capacitas plena eſt pure, natantq; pulmones ſpurciſſimo in balneo; quod vel alter morbus, puta Pleuritis, aut Peripneumonia, vel praua deſtillatio à ſuperioribus partibus, aut congeſtio in parte ipſa ſenſim corruperat, atq; accruauerat. Quid dicā de Pectoris hydrope, vitio pulmonum, morbo, inquam, heu nimis frequenti hac noſtra ętate, quo qui corripiuntur, alteram, vel vtramque thoracis capacitatem infeſto Ichore refertiſſimam habent. Hæc inquam excrementa niſi ad tempus arceret pericardion, quàm miſera eſſet cordis conditio, noſtraq; duratio?

HIPPO-

HIPPOCRATES.

Et est in ipsa humor modicus velut vrina, vt putare possis in vesica cor diuersari. Facta est autem ea gratia, vt sanum in custodia florescat.

ALterum verò commodum, quod ex pericardio cor trahit, est iugis quędam irroratio ab humore, capsulâ in illâ contento, ita vt videatur cor, velut in vesicâ quadam diuersari. Hinc redarguuntur scioli nonnulli, qui negant liquorem illum in pericardio viuentis animalis reperiri, verùm in demortuo tantùm, concedente tunc copioso vapore in humorem, frigoris ope, & obicis. Quum tamen oppositum euincat euidentia, & nupera Hippoc. authoritas. Si enim veloci manu, & non minori peritia, viuens secuerit quis animal, & præcipuè ex ijs quæ maiori sunt mole, depræhendet dubio procul cor non minùs innatare innoxio huic liquori, quàm obseruetur in vitâ functis. Argumentum certissimum, id fieri à natura non errante, neque perperàm quicquam moliente. Non inuidet nobis Hipp. mirabilis laticis officia, atq; exordia. Illud interim vos monitos velim, ne in errorem labamini seducti à verbis Hipp. qui vrinæ meminit in præsenti contextu. Stant illa pro exemplo innatantis cordis, liquorem verò minimè attingunt, quem alium agnoscimus sensuum criterio ab ipsamet vrina. Quin substantia hæc ineptissima fuisset cordi recreando, quæ summopere salsuginosa est, æstumq; tunc duplicasset, vbi cor alluisset, delicatissimum viscus, exactoq; sensu prędit um. Liquor est, quantùm obseruo, purissimus, nullaque peregrinâ qualitate præditus, insipidus insuper, inodorus: puram dicemus aquam, si effunderetur, quod sæpius feci in chrystallinam pateram. Non alius profecto esse debebat qui cordi instaurando destinabatur ros à natura: Æstuat viscus hoc, & irrequieta citatione se exagitat perpetuis, illisque validissimis


conatibus: quod nisi occurreret confestim beneficus humor æstuantis in medelam, actum esset de animalis salute. Madefacit igitur, dulciq; aspergine reficit, restituitq; quod æstus ademerat, sicque consulitur cordis indemnitati.

HIPPOCRATES.

Habet autem humiditatem tantam, quanta satis est æstuanti in medelam.

Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines,
Quos vltrà, citraq; nequit consistere rectum.

ET verò modus quidam status firmusq; debetur humori in pericardio contento, quas leges si præuaricetur, incommodus penitus est, quandoque verò funestus. Extendi in vnamquamque dimensionem millies, vel singulis in horis debebat cor: quapropter nisi locus illi esset reliquus, quantumuis refrigerij ab humore lucraretur, tantùm læderetur ab opprimente copia, quæ repugnaret laboranti, neq; illud ad libitum, proque animalis indigentia extendi permitteret, repugnante, vel ipsa liquoris mole. Hinc pertinaces ortas fuisse cordis palpitationes sæpius obseruo in praxi, inopinâq; mortem Illustrissimæ cuidam Virgini: cuius corpus dissectum, excreuisse pericardium ad magnitudinem follis lusorij minoris præsetulit, sordidissima aqua oppletum: quæ à dextra thoracis parte, vbi plurimum eiusdem sordis stagnabat, vi quadam actutum irruit, atque necauit. Dum igitur prospera vtitur valetudine homo; tantùm illius aquæ congregari debebit, quantùm satis est ad cordis æstum temperandum, neque vltrà, citraq; debent violari illius fines.




HIP-

HIPPOCRATES.

Cæterùm hunc humorem cor emungit, bibendo ipſum aſſumens, ac conſumens, pulmonis nimirum potum lambens.

CVius humoris originem ſcrutari dum ſtudet in præſens Hippocrates, arduam ingreditur ſemitam, ſpinis, & ſentibus innumerabilibus impeditam, cui vel ipſemet Hippocrates obicem impoſuiſſe viſus eſt, & fidem præſenti tractationi derogaſſe. Quapropter pedetentim nos procedere in re tanti momenti, æquum, & par eſt, ne vacillet veritas, atq; eximij auctoris fides, ſimul & cum diſpendio præſtantiſſimæ lucubrationis. Quod ſentit Hippocrates, nobiſq; inculcat in præſens, illud eſt, aquam illam, quæ certis legibus in pericardio continetur, ex corde exſudaſſe, eliciente hunc ex proximo pulmone, cui potulenta pridem vberrimè communicauerant. Hinc turbæ, hinc rixæ multorum: qui tanquam pro aris, & focis dimicaturi, oppugnant enarratam ſententiam, & Hippocratẽ Hippocrati opponũt in lib. Morb. huic è diametro contrariam tuentem, quin oppugnantem acerrimis rationum momentis. Turbas inter tantas non puto quemquam benè cordatum denegaturum mihi optionem, præſertim ſi non ex proprio marte, verùm ex auctoris mente, & quàm penitiſſimè ex illius ſenſibus veritatem eminus ſalutem, ſi non cominùs aſſequar. Sed præſtat interim noſtrum Hippocratem audire, communicatam eruditionem, non tam proſequentem, quàm pleniſſimè abſoluentem.



HIPPOCRATES.

Etenim homo multo maximam partem in ventrem bibit, gula enim, siue stomachus, velut infundibulum, potus copiam, & quæcunque volumus, excipit. Bibit autem, & in guttur, ac arteriam, minùs verò & quantum latere possit per rimam illapsum, Operculum enim exactum epiglossis, lingula, siue minor lingua appellata, ne permiserit quidem aliquid amplioris potus penetrare.

INterim dum hæc aguntur, non ab re erit oppositam sententiam in 4. lib. de Morbis recensitam, septemq; & pluribus forsan, argumentis vallatam in medium adducere: vt inde cõstet qua confidentia noster Auctor antiquam de potu in pulmones delabente, & maximè tunc temporis plausibilem sustineat, nulloq; negocio aduersantia diluat. Quorum in confirmationem adducam primùm contradicentis confessionem, quæ ita se habet. *At hæc ne produxissem quidem ad sermonis mei confirmationem, nisi multi adeo homines essent, quibus potus in pulmonem procedere videtur.* Hæc pro vniuersali consensu mortalium, Sophiæ tunc temporis operam nauantium, quam opinionem mordicùs illi tuebantur, non perfunctoriè, quod elicies haud cunctanter ex subsequentibus auctoris verbis. *Et necesse est ad opiniones fortiter inhærentes* (nota) *multa argumenta adducere, si quis velit auditorem à priore sententia abducere, ac conuertat, vt tuis verbis fidem habeat.* Experiamur quæso, quid, quantumue profecerit nouo hoc conatu, sanèque paradoxo, vt audistis. Primum illius telum, tale iacit.

Primũ. Si potus procederet in pulmonem, quum pulmo expletus esset, homo non facilè respiraret, neque loqui posset. Non enim esset, pulmone pleno existente, quod resonaret. Et hoc quidem vnum argumentum est. Verùm non tale, quod Hippoc. clypeum perforet, aut lambat. Facilè verò se expedit, inque aduersarium tela retorquet. *Gula enim siue stomachus*

chus velut infundibulum, potus copiam & quæcunq; volumus, excipit; bibit autem & in guttur, ac arteriam, minus verò, & quantum latere poſsit per rimam illapſum. Operculum enim exactum epigloſsis, lingula, ſiue minor lingua, appellata, ne permiſerit quidem aliquid amplioris potus penetrare. Egregiè. Patet igitur ex dictis ſolutio ad argumentum primum in ordine, cuius fundamentum falſum eſt, ac proindè negatur; non enim vniuerſus potus in pulmonem delabitur, ſed exigua illius portio, ob cauſas prænarratas: maior verò pars, atq; vberior in ventriculum præcipitatur. *Gula enim ſiue ſtomachus, velut infundibulum potus copiam, & quæcunque volumus excipit.*

2. Argumentum. *Deinde ſi potus in pulmonem procederet, cibi in nobis ſicci exiſtentes, non ſimiliter concoquerentur. Atque hæc duo argumenta exiſtunt.*

Et quantùm video, ſat infirma, atque ficulnea. Non nego, ſi potus vniuerſus in pulmonem delaberetur, quod ægrè ſicciora conficerentur alimenta in ipſo ventriculo, vbi locorum elixatio pleniſſima fit, verùm maxima copia illùc allabitur, quæ coctioni ſufficienter deſeruit, minima per rimam illam tranſcolat.

3. Argumentum. *Sed & medicamenta aluum ſubducentia, ſi in potu ſumantur, extra ventrem procederent. Habet autem hæc res hoc modo. Quæcunq; medicamenta purgatoria ſunt, aut supernè aut infernè, aut etiam vtrumq; præſtant, ea hæc faciunt. Omnia valdè vrunt. & fortia quidem ex ipſis, ſi partem aliquam teneram corporis contigerint, eam exulcerant. Mitiora verò turbulentum corporis motum faciunt, quamcumque tandem partem occuparint. Si verò aliquod ex his medicamentis in pulmonem perueniret, videtur mihi magnum aliquod malum inducturum eſſe. Pituita enim de capite deſcendens, eum in valdè breui tempore exulcerat. Tenera enim & rara res eſt pulmo, & ſi exulceratus fuerit, non benè habebit homo ille, ob multas ſanè cauſas. At verò venter à medicamento non exulceratur. Nam res eſt valida, ac robuſta, nimirum*

rum velut pellis, & corium. Et pleriq; ſanè ex Lybiæ incolis pecorum pellibus pro veſtibus vtuntur, ventribus autem pro vtriculis. Robuſta enim res venter exiſtit.

Quid erat, cur per tantas ambages, nouaſq; tricas diſſimularet veriſſimum Hippocratis ſenſum, & cęterorum mortaliū, qui Sapientiæ nomen dederant? Sat eſt pernegare conſequentiam: & ratio negationis eſt, quia non in pulmones; verùm in ſtomachum, per patulum œſophagum, inducuntur.

4. Argumentum. *Deinde vbi à vino nigro homines repleti fuerint, nigrà recrementa excernunt.*

Reſpondetur admiſſo experimento, quod tamen non ſemper reſpondet, prout nos experimur Florentiæ, vbi nonniſi vina nigra bibuntur, quod eodem fallaciæ genere præſens laborat argumentum cum ſuperioribus à ſimpliciter ad ſecundùm quid. Maxima pars ebibiti vini in ſtomachum repit, minima in pulmones, tingere proinde valebit illa commodè alui excrementa. Verùm cuicunque experientiæ haud opponimus opportunè in præſens.

HIPPOCRATES.

Signum autem huius rei hoc eſt. Si quis enim aquam cæruleo colore, aut rubrica temperatam, ſitienti valdè bibendam dederit, maximè Sui, hoc enim pecus non eſt curioſum, neq; mundiciei deditum. Deindè dum adhuc bibit, ipſius guttur reſecet, hoc colore ipſum tinctum reperiet: ſed non eſt cuiuſuis hæc chirurgiæ aggreſſio. Nequaquam igitur fides noſtra ſuſpecta eſſe debet de potu, quòd homini in guttur vergat. Sed quomodo aqua aceruatim irruens turbationem, ac tuſsim multam exhibet? propterea, inquam, quod contra reſpirationem fertur. Quod enim per rimam illabitur, tanquam iuxta parietem delabens, aeris elationi non inſtat, ſed leuem, ac lubricam quandam viam humectatio ipſi præbet.

QVæ quoniam ſat dilucida per ſe ſunt, & incredulos ad experimentum vnicum prouocant, dummodo Solertes

tes

tes Chirurgi ſint, manuq; prompti, ideò cæptum proſequamur opus.

5. Argumentum in ordine ſic habet. *Et vbi allia comederimus, aut aliud quoddam edulium olidùm, vrinam reddimus, comeſta odore referentem.*

Nil ad rhombum. Cur enim à potu mala fide nunc tranſit ad ſolida cibaria? Quis dixit pulmonem allijs veſci, aut illuc penetrare corpus non vſquequaq; friabile? gratis hæc aſſumuntur, & gratioſiùs negantur.

6. Argumentum. *Si quis cyceonem biberit, aut farinam coctam ſorbuerit, aut aliud quid eiuſmodi, & hoc ipſum in pulmonem peruenerit, certè arbitramur ipſum ne minimum quidem tempus viuere poſſe.*

Eodem prorsùs cum ſuperiore laborat vitij genere, ſi quid habet noui, poſteriùs examinabimus.

7. Argumentum. *Vbi enim modicum quiddam pituitæ in pulmonem peruenerit, aut in fiſtulam ipſius, multa ac fortis tuſſis oboritur, ac conuulſio.*

Reſpõdet Hippocrates. *Sed quomodo aqua aceruatim irruens turbationem, ac tuſſim multam exhibet? propterea, inquam, quod contra reſpirationem fertur. Quod enim per rimam illabitur, tanquam iuxta parietem delabens, aeris elationi non inſtat, ſed leuem, ac lubricam quandam viam humectatio ipſi præbet.* Plana hæc ſunt, nulliq; dubitationi expoſita.

Inſtat rurſus Aduerſarius.

8. Argumentum. *Præterea quomodo lac infantes pueros nutrire poſſet, ſi ad pulmonem deſcenderet?*

Suo adhuc hæret ſcopulo, eandemq; denuò recoquit crambem. Eſto, exigua illa portio lactis per rimam illabentis minùs apta ſit alere infantem; maxima illa, quæ in ſtomachum ingurgitatur, ſatisfaciet pleniſſimè huius indigentiæ.

His peractis ades dum, mi homo, paucis te volo. Dic ſodes, tua ne ſunt: quæ recitabo modò eiuſdem voluminis in prin-

principio? *Ventriculus dum plenus est, omnium horum (humorum) corpori fons est: verùm vbi vacuus est, corpore fruitur colliquescente. Sunt autem alij fontes quatuor, à quibus vnusquisque horum humorum in corpus procedit, postquam sanè ipsi à ventriculo acceperunt.— Et sanè sanguini fons est cor,— & fontes trahunt per venas de ventriculo, similis humor similem, & corpori distribuunt.— Nunc autem de sanguine dicam, quomodo, & cur amplior in corpore generetur: postquam bibit, aut comedit homo aliquid, quod sanguineum est, trahit quidem, & totum corpus in se ipsum, trahit autem, & cor sanguineum ad se ipsum. Et vbi plus attraxit, non oboritur cordi dolor. Est enim cor res solida, ac densa, & propterea dolore non affligitur. Et ex ipso procedunt venæ crassæ, iugulares appellatæ, ad quas statim si copiosus accedat, sanguineum illud distribuitur, & illæ impletæ breui ad caput, & corpus delegant. Et quum ederit, aut biberit homo quid sanguinei; statim venæ iugulares attolluntur, & facies rubet. Accedente verò ad cor, & corpus, sanguine, quàm satis est vberiore, à cibis, ac potibus, & cum alio humore admixto, si non ab ipso egressus fuerit, per aluum, aut vesicam, reliquo humori admixtus, dolorem corpori inducit. Si verò modicus accedat, nõ sanè læserit corpus.*— Illud insuper adducam. *Venæ enim sunt per totum corpus tendentes, aliæ tenuiores, aliæ crassiores, multæ, ac frequentes.* Qua doctrina admissa, nil repugnat illius in schola, potulenta, si non in transitu, mox tamen ingesta è ventriculo à corde attrahi, atq; distribui, quod aquæ contigit in pericardio contentæ. Sed valeat hic suis cum fontibus.

Vrgeo acriùs, experientia duce: vel seducunt Medici ęgrotantes, vel aliquid per rimulam lingulæ necessariò in pulmones delabitur, non tam sub forma tenuioris liquoris, quàm & corpulentioris substantiæ. Probo quod assumpsi. In morbis pectoris præscribunt Medici bechica, saponeas, electuaria de Pino, Loch sanum & expertum, diatragacanthum, & mille talia, præter decocta, & syrupos lambendos sensim, non deglutien-

tiendos, vti rectè, ritèq;, nil hæc profutura, ſi in ventriculum præcipitentur: ergo neceſſe eſt, vt per tracheam ferantur in pulmonem, ac pectus: aut mentiuntur, ægrumq; perdunt, quod inuериſimile. At obſeruamus frequenti vſu laudatorum præſidiorum impactas materias deliniri, reddiq; expulſioni idoneas: penetrant igitur in pulmones, quod retroacta per tuſſim ſputamina vberrimè teſtantur, neque erat propterea cur adeò à liquore ſibi vereretur Auctor. Conſulit inſuper Hippocrates in tractatione minimè ſuſpecta, nempè in Epidd. lib. vt ſi quando ingenti ſiti quis vexetur, Potum cum aqua hauriat, quod vnicuiq; noſtrum vtiliter contigiſſe, & contingere in præſens experimur. At in ſolos pulmones introducitur aer, igitur & potus aeri adiunctus comes, aut nihil proficiet ſi alibi illabatur. Præterea improuida fuiſſet natura, ſi æſtuanti thoraci, atque pulmonibus compendioſiſſimâ viâ non conſuluiſſet, exitiale namq; periculum ex mora imminebat. Ratum verò eſt, milleq; experimentis confirmatum, ſitim, quæ appetitus eſt, atq; indigentia frigidi, & humidi, non à ſolo ventriculo excitari; verùm à pulmonibus, præſertim, qui præ æſtu ſiccantur, atq; areſcunt, præſertim ijs, quibus calidiores à natura cōtigêre. Hinc bibaciſſimi tales homines ſunt, malaſq; rubeas habent peripneumonicorũ ad inſtar, quos poſt mortẽ ſectos tales fuiſſe confirmauit autopſia. Quòd ſi natura in rebus quibuſq; facit ſemper id quod melius, igitur tãto æſtui ſummo compendio conſulere tenetur: at compendioſiſſima eſt via per tracheam: igitur inſtillare patietur liquorem, qui retroacto aeri minimè aduerſetur, verùm per tracheæ parietes dilabatur ad pulmones. Ab eo verò, quod melius, ad neceſſe tenet illatio, in operibus naturæ.

Concludam tandem, ſi aqua re vera per tracheam illabitur, quod euincit ſuo cum experimento Hippocrates, neq; illi per parietes modica in quantitate delabenti repugnat retroactus ſpiritus, ſi Medicus ſuis in operibus illud fateatur, & experimen-


mentum conuincit, auctoritas sitientibus consulentis suadet, vigetq; debita animalis custodia, cur verebimur à transmeāte potus quem obseruāt curiosi, & qui pitissando, non abligurien-do ingurgitant, sensibiliter, summaq; cum voluptate, atq; emo-lumento, ad pulmones descendere. Qua quidem ab excursio-ne parùm pendere dicitur, si paradoxologus audiat, qui veri-tati ex animo litet, præsertim quum antiquissima, vt audistis, fuerit Sapientum sententia, illaq; communis ferè omnium, qui Græciam incolebant, & placuit necnon Diuino Platoni. Non inconuenit verò, monente Stagirita, easdem opiniones sæpiùs ad nos reuerti, & quæ antiquatæ sunt, nouam gratiam assequi, præsertim si rationibus consentiat experimentum, quod in re præsenti, ni fallor, euenire non dubito, præsertim si nullius addictum iurare in verba magistri, nacta illa fuerint veri scru-tatorem. Duo supersunt, alterum proprium Auctoribus hi-sce, commune alterum. Quod ad me attinet, nulla ambitione, vel contradicendi æstu concitus, repastinaui aduersantes opi-niones, quod ex officio mihi incumbebat, vt valui, absolui; & auctoris mentem fideliter exposui. Quod præstiti tunc, præ-staboq; in posterùm, si Deus vitam indulserit. Nactus verò spe-ciosam sententiam fulcris vtrisq; probè innixam, quid me ve-tat huic subscribere, donec meliora quis edoceat? De Hipp. verò bilingui, quid sentiam, si percunctemini; sum in hac sententia, hominem non adhuc Græciæ cunctæ notum pro-prij nominis celebritati indulsisse paradoxo illo, cuius in con-firmationem octo illa argumenta, quæ audistis, Hipp. dignita-te indigna, euulgauit. Seniorem verò factum, dum librum de corde conscriberet, vetustissimam sententiam extulisse, quæ hominis erat integritas, vt etiam proprij nominis, & existma-tionis cū dispendio, damnatis iuuenilibus disceptationibus, an-tiquam, securamq; redierit in semitam. His vobis satisfactum iri puto. Quod si contigerit, superest bona vestra cum venia, vt reliqua prosequamur.

HIP-

HIPPOCRATES.

Hunc itaque humorem cor de pulmone vnà cum aere abducit. Aerem quidem igitur vbi in medelam cessit necessariò oportet retrò per eandem viam qua adduxit reijcere. Verùm humorem partim in culeum, ac vaginam suam expuit, partim rursus vnà cum aere foras propellit. Quapropter etiam palatum eleuat, quum spiritus recurrit. Meritò autem recurrit. Non enim humanæ naturæ alimenta hæc sunt, quomodo enim hominis alimentum sint ventus, & aqua cruda? Sed sunt magis cognatæ affectionis castigatio, & medela.

PRoperans disputationis ad exitum Hippoc. tenebatur ex iniuncto sibi officio substantijs illis, intra pulmonem, & pericardion versantibus, sedes struere, aut abijcere post assequuta commoda, quod facit in præsens. Abduxit cor de pulmone per arterialem venam aeris plurimùm, & humoris proprij æstus in medelam, non vt sibi vtrumq; assimilaret, illiusque partibus hæreret, verùm vt flagrantem compesceret, & ad meliorem temperiem deduceret. Quo officio egregiè peracto, supererat, vt tanquam inutiles reijcerentur, tum quoniam alterata non amplius refrigerium conciliare valebant, tum etiam quoniam oneri erant, vtpote incapacia vlterioris perfectionis, quum corpora simplicia sint, & nutritioni animalis, vel illius partibus penitùs inepta. Regreditur aër in expiratione per eandem viam, simulque partem trahit ebibiti humoris, reliquam in pericardium seponit, eum, quem diximus, in vsum. Plana hæc sunt, & Hippoc. dignissima, minimèque proinde in dubium reuocanda.



HIP-

HIPPOCRATES.

Porrò vt ad institutum sermonem reuertamur. Cor musculus est valde fortis non neruo, sed densitate, ac constrictione carnis,

INtermissam diu, absq; vitio tamen, insistit modò viam noster Auctor, & cordis substantiam, despectis reliquis accidentibus communibus, scrutatur in pręsens, primoq; loco illud ponit, quod *Cor musculus est*. Quæ res non paruam difficultatem prima fronte nobis incutit. Nam musculi instrumenta sunt motus voluntarij: at exulant in motu cordis cuncta voluntatis arbitria, imperatq; ad libitum naturalis necessitas. Et quod caput est, neruis à spina, & cerebro destituitur, quibus coalescit musculi corpus, inque actiones promouetur. Neque officit, aliudue suadet exiguus ille neruus, qui à Sexto pari descēdens, in cor implantatur: nemo enim hucusq; censuit, motiuam vim per illum communicari, tam exilis est malèq; aptus ad tantum præstandum opus. Huic difficultati occurrerem, fassus inoleuisse vsum, vt musculus is dicatur, qui prænarratis gaudeat conditionibus, quas tamen antiquitùs minimè desiderabant, sat rati, si etymon rei propositæ aptaretur. Quandoquidem à minuto mure nomenclaturam ducebant, quod & factum est in superioribus; alijs lacertus dicebatur à figura animalis, cuius turgens corporatura in caput, & caudam desinebat, quod & in muris figura contingere obseruamus. Cor vtraq; sua basi, & cuspide murem æmulatur, eaq; propter musculi Nomen non malè assequitur, reliqua respuit, atque facessere iubet. Cor igitur prisca in significatione *musculus est valde fortis, non neruo, sed densitate, & constrictione carnis*. Quæ miram Hippocratis solertiam in rebus singulis ad Artem pertinentibus nobis indicant. Nemo enim hucusq;, quod viderim, aptè distinxit carnis fortitudinem, quæ à neruo, & quæ à propriæ substantię apta compage suboritur: hęc verò inter se plurimùm

rimùm differre euidentia confirmat. Carnem igitur robuſtiſſimam habet cor, non ab inſertis neruis, verùm quoniam denſa carne conſtat, atq; compacta, ita vt nullum viſcus, aliudue membrum compactius illo ſit, quæ res plurimùm facit ad firmitudinem non aliundè mutuatam, verùm inquilinam, atque domeſticam.

HIPPOCRATES.

Et duos ventriculos habet diſcretos in vno amiculo, ab vtraq; parte vnum. Nihil autem inter ſe ſimiles ſunt. Alter enim in dextris ad oſculum ſitus eſt, contingens alteram venam: Alter in ſiniſtris. Totum enim cor in his ſedem ſuã firmauit. Sed ille etiam omninò amplioris ventris, & magis inanis, quàm alter eſt, neq; extremitatem cordis attingit, ſed caudam eius ambit, ſolidus item eſt, veluti extrinſecus aſſutus. Alter autem ſubter ſiniſtram mammam maximè in directum ſitus eſt, vbi etiam ſaltus ipſius ſignificationem ſui præbet. Amiculum autem habet craſſũm, itemq; foueam. Foueæ enim ſpeciem præ ſe fert ſimilem mortario.

QVa de re plurima eſt difficultas inter Medicos, & Peripateticos, ijs quidem tres numerantibus, illis verò duos cum Hipp. Neque noſtrum eſt in præſens, litem componere, verùm obſequi dicenti *ab vtraq; parte vnum eſſe, nilq; inter ſe ſimiles*, quod veriſſimum eſt. Alter enim, nempe dexter, ad venæ cauæ oſculũ ſitus eſt, alter ſiniſtrum occupat locum; ita vt in his duabus vacuitatibus videatur cor, velut vniuerſam ſuam firmaſſe ſubſtantiam, propterea quod illius in baſi conſiſtunt, quæ ampliſſima eſt, & ſpinæ annectitur. Neque loco tantùm inter ſe differunt ambo, verùm plurima habent inter ſe diſcrepantia: qua in re, vt hoc obiter dicam, eluceſcit, quàm accuratè Antiqui, & Hipp. præſertim, humana ſecuerint corpora, reſectis ab hiſtoria anatomica ijs, quæ mi-

nùs apta videbantur, quod tamen malè imitati sunt, atq; imitantur Posteri. Ait igitur, quòd dexter ventriculus capacior est suo compari, neq; in cuspidem vsq; cordis penetrare, *sed postremum mucronem relinquit solidus existens velut extrinsecus assutus.* Et verè assutus: nam veluti appendix quædam, àtque adiunctum additamentum esse videtur, cauæ ipsius venæ in gratiam. Non sic alter Ventriculus, qui sinistram obtinuit sedem, subtusq; mammam eiusdem lateris pulsum euidentem præsefert. Nam ea substantia, quæ ipsum vndique constituit, quod siue *septum*, siue *amiculum* dicas, parùm refert, dummodo intelligas vndique ipsum ambientem, crassa est, cordique arctissimè iuncta, quæ foueam intus constituit excauatam, pilæ ad instar. Et hæc pro substantia & cauitate Ventriculorum cordis, ac sinistri præcipuè, cuius contubernium cum pulmone, & commoda, mox ipse explicabit.

HIPPOCRATES.

Sedenim hic etiam pulmonem subit cum mansuetudine, & circumiectu ipsius caloris intemperantiam castigat. Etenim pulmo natura frigidus est: sed & inspiratione perfrigeratur. Ambo autem densi, ac asperi sunt interna sui parte, & veluti subcorrosi, magisque sinister, quàm dexter. Nam insitus à Natura ignis non est in dextro. Quare mirum est, sinistrum asperiorem fieri, vbi intemperatum aerem inspirauerit. Quapropter etiam roboris caloris custodiendi gratia crassius intus constrictus est.

IVngi & adhærere sinistrum ventriculum pulmoni, magis quàm dextrum, non ita facilè conuinces ab auditore, qui memor sit oculatæ inspectionis. Ambitur nanq; cor vbiq; ex æquo à pulmone, elatior dexter ventriculus est, depressior sinister, in reliquis, si quod confert pulmonis vicinia, vtriq; par contingit. Esto frigida res sit pulmo, ac insuper ab attracto aere refrigeretur: an non intemperantiæ caloris æstuantis cordis,

dis, & ventriculorum aduersabitur paribus vir ibus? Huic tacitæ obiectioni artificiosè satisfacit modò Hippocrates, & solutio in hoc stat, quòd sinister ventriculus, quô calidior dextro, eò quinctiam promptiùs perfruitur iugi illo pulmonis beneficio. Calidior verò est: nam insitus à natura ignis non est in dextro. Quæ sententia bellum implacabile indicit Peripato, qua de re vberrimè disputauimus in nostra tractatione de *Regia Animæ*. Sat modò est nostri Hippoc. mentem recitâsse. Duo sunt interim, quæ pugnant pro Hippoc. sententia tutanda, vtraque ab obseruatione deducta: quorum primum ille nunc adducit, & est substantiæ illius densitas, constituentis sinistrum ventriculum, quę nonnisi in custodiam innati caloris à Natura potuit institui: alterum, quod vt notum præterijt, est fida sensuum attestatio; nam si digito exploraueris calorem illum ventriculorum cordis, longè maiorem, & diuturniorem in sinistro experieris, quàm in dextro. Tandem perpensis ventriculis vtrisque extima illorum in parte, & ad inuicem collatis, supererat, vt intrinsecas scrutaretur illorum partes, quod facit in præsens, narratq;, quòd *ambo densi, ac asperi sunt interna sui in parte, & velut subcorrosi, magisq; sinister, quàm dexter*. Innuit verò, corrosionem illam, nonnisi à vehementi calore fieri potuisse, miratur verò quomodo in sinistro contigerit ventriculo, qui aerem frigidiusculum incessanter inspirat?

HIPPOCRATES.

Oscula autem ipsis non sunt aperta, nisi si quis cordis auriculas præsecet, aut cordis caput præcidat. Si autem quis præsecet, apparebunt duplicia oscula in duobus ventriculis. Crassa enim vena ex altero excurrens visum decipit, si fuerit resecta.

AD integram absoluendam historiam cordis, & ventriculorum, supererat, vt meatus explicaret, quos dicit inconspicuos esse, cadere verò sub conspectum, si præsecet

quis illius auriculam, aut cordis basim, quam *caput* nuncupat, præcidat. Vbi verò præsecueris, in vnaquaque apparebunt duo oscula, in sinistro quidem arteriæ venalis, quæ ex pulmone in cor procedit, & aortæ, quæ ex corde in vniuersum corpus excurrit. In dextro cautè procedendum: nam si cauam secueris, visum fallet, vbi verò caput ventriculi, & aurem, vt diximus, excideris, duo meatus fient in propatulo; primus quidem, atque maior à caua vena ad ventriculum ipsum; alter verò minor à ventriculo ad pulmonem, quem constituit vena arteriosa. Quid, quantum, quomodoué præstent huiusmodi meatus, vtrisq; ijs annexa, videbimus accuratè in posterum.

HIPPOCRATES.

Hi fontes sunt humanæ naturæ, & hi flumina sunt, quibus totum corpus irrigatur.

VErissima sententia, quam amplexata fuit veneranda posteritas, vt videre est apud Platonem in Timæo, quanquam contradicente perperam Galeno pluribus in locis, præcipuè verò in lib. de Placit. Hipp. & Plat. cuius auctoris mentem, vel non percepit, vel inuidit nobis suo cum malo. A corde, tanquam ab innato caloris ærario, vltimum profluit alimentum sanguineis animalibus, cuius in apparatu, quanquam opem quoquomodo contulerint viscera cuncta functioni huic subcenturiata, absolutionem tamen, vltimumq; complementum à corde accipere par erat, vt qui Præses, & vniuersi corporis moderator alimentum singulis congruum incessante officio distribuere tenebatur. Venarum igitur, & arteriarum patulis canalibus indigentiæ membrorum subuenit, nullaque non hora est, neque momentum, quo vel minimis quibusque partibus non consulat, velutque fonte quodam cruoris perreni illas irriget, neque arescere permitat. Stant illæ perpetuo in fluore: nam calor, qui nos genuit, nos destruit,

Hipp.

Hipp. obſeruatu: dumq; alimenta conficit, apponit agglutinat, extenuat tamen,& in effluuia tandem præter intentionem diſſoluit. Quibus incommodis farciendis niſi conſultum fuiſſet à prouida Natura, noui alimenti irrigatione, venarum,& arteriarum miniſterio, iam conclamatum eſſet, deq; vita animalis nulla ſpes foret reliqua, Ephemeri illius ad inſtar, cuius vitam præſcribit vnica Solis circumactio.

HIPPOCRATES.

Atque hi etiam vitam homini conferunt, & vbi reſiccati fuerint, homo moritur.

Conſona, & diſſona ad Præceptoris aures audio modò. Erudierat ille me olim, tã diù viuere animal, quam diù alitur, facultas namq; vegeta ſemper eſt in actu ſecundo, quicquid blaterent Sophiſtę nonnulli maleferiati. Hęc vt mihi perſpecta ſunt, nulliq; controuerſiæ expoſita, ſic vix concoquo, quomodo fontes illi cruoris, & flumina, quæ à corde emanant, inq; vniuerſas corporis noſtri partes diſtribuuntur, dicantur vitam conferre, an materialiter, an efficienter? Nam quod materiam viuentibus partibus miniſtrent, illarum in ſubſtantiam breui ceſſuram, & fateor,& lubens, volenſq; aſſerenti ſubſcribo. Non ita tamen pronus ſum, vt aſſentiar ei, qui facultatem ſimul quamdam emanare vitalem credit, atq; euulgat. Quum enim facultates inſeparabiles ſint ab anima, ritè, purèq; philoſophantibus, nequit facultas illa vitalis ſeorſim ab anima communicari. Et quod magis vrget, vita eſt animæ in corpore permanſio, nilq; proindè viuit animâ abſente,& omnia quæ vitam participant, animam habent præſentem, non per tubos illis immiſſam viuendi facultatem. Audio quid nonnulli dicant, vt ſe à difficultate eximant: verùm parùm ad rem, minuſq; ad mentem Stagiritæ, dum calori,& vitali ſpiritui cuidam tantum opus committi ex arbitrio comminiſcuntur: nos

verò, pace illorum, abſurda hæc credimus, & ſanguinem non niſi materiam præbere futuræ nutritioni iudicamus: quum incapax ſit, facultatem illam qualemcunq; deuehendi, abſente animâ, & quod magis eſt, ſuperuacanea hæc penitùs foret, nulliq; vſui illius comitatus, quum pars quælibet nutrienda proprijs viribus vſa alimentum illud adueniens, conficere, atque aſſimilare deberet, & ex non animato, animatum reddere. Quòd ſi quando in orationis diſcurſu me aliter loquẽtem obſeruaueritis, illud certò nôritis, me cum plurimis tunc, & cum multitudine loqui, ſentire tamen cum paucis, illiſq; ſapientiſſimis. Eſt præſentis loci indagare, quo modo flumina illa, atq; fontes à corde in corpus procedant: plurimùm nanq; controuerſiarum fuit anteactis ſæculis, quæ noſtris quinetiam reuiuiſcunt, & adhuc ſub iudice lis eſt. Sobriè tamen me in hac diſceptatione continebo, quam ſuſcipio, non animo contradicendi cuiquam: verùm præſenti neceſſitate adactus, ne ſi abſtinuiſſem, diſſimulare viſus fuiſſe viderer per ignauiam rediuiuas Antiquorum ſententias.

QVÆSTIO I.

An Sanguis in venis, & arterijs contineatur, & quomodo?

IMplicita ſatis quæſtio eſt, & quæ niſi congruenti tractetur methodo, plurimis expoſita ſit difficultatibus, quas auferre non adeò promptum eſſet diſputationis in progreſſu. Quapropter exordiri nos primùm par, æquumq; eſt ab ipſo, an ſit, & ſub quæſtionem reuocare, an ſanguis in venis, & arterijs contineatur, nec ne. Cui ambiguitati occaſionem dedit olim Eraſtus Theophraſti coetaneus, cuius & modò non deſunt ſectatores. Hic enim ſenſu edoctus, aut conuinctus, manus dabat venas quaslibet naturaliter ſanguinem continere; contra, arte-

rias

rias nonnisi ſpiritu naturali eſſe oppletas: præter naturam verò ſanguinem admittere: quod vbi contingebat, tunc ægrotare animal. Si quid diuinare datur, cur homo hic in tam abſurdam, ſenſuiq; repugnantem ſententiam deuenerit; ſuſpicor, ne illa ſit, quæ Democritum, Epicurum, tandemq; myſten Lucretium adegit, vt vacuum introducerent. Quum enim minimè dubia ſententia admitteret, ſpiritum à corde per arterias communicari per vniuerſum corpus, ſpiritus verò corpora ſint, veritus eſt, ne Sanguis in arterijs præſens cordis influxui obſtaret, quapropter ne ſpiritum excluderet, ſanguinem negauit, pari cum Antiquioribus illis errore. Hi nanq; vt motum ſeruarent, quem alij impudenter negabant, vacuum introduxere, hac ratione decepti. Si motus datur, quod ſenſus conuincit, aut fit per plenum, aut per vacuum: non per plenum, quoniam corpus corpori repugnat, atq; obſtat: igitur per vacuum. Sic pari pacto procedebat, forſan, Eraſiſtratus, quem tamen Galenus acerrimè inſequitur, cogitq; experimentis, & grauibus rationum momentis fateri, ſanguinem in arterijs naturâ contineri, neq; arterias dilatari, quia implentur, ſed impleri, quia dilatantur: faceſſat proindè Eraſiſtratus ſuo cum ſpiritu, noſq; experientia adacti fateamur in præſens, tam venas, quam arterias ſanguinem in ſe continere, à quo corpus vniuerſum irrigatur, & illius partes, vt debita ſibi alimonia perfruantur. Eſt enim ſanguis, vt dicebamus, alimentum vltimum animalibus ſanguine præditis, qui vel in pilos, & vngues deriuatur. Rata hæc ſunt, cadit tamen ſub dubitationem, quibus nam viribus, & quomodo ſanguis ille à corde, ſi ibi locorum vniuerſus oritur, aut pars ſaltem illius in arterijs contenta tam facilè exulet, & ſui promotoris limites tranſiliat. Vel enim proprio ſuaſus pondere, quod à prædominantibus contraxit elementis, ſpontè in vaſa delabitur, vel motu aliquo violento ad hoc adigitur, qualis eſt pulſio, vel attractio; attrahunt verò calor ipſe, & vacui metus, quod natura ſemper reformi-

dat: calore vrgente, sanguinem venarum in cor properare, suasibile est, regredi per arterias, & à proprio recedere fonte, nullo caloris illicio, hoc est quod cuncta perturbat. Sed rursus caloris cæteras exploremus causas: ac primùm, subeatne sanguis vacui metu in arterias; nam de venis haud par est difficultas. Duo sunt modi, quibus aliquid depletur, aut impletur, quod vel nôrunt ij, qui nondum ære lauantur. Primus quidem, vbi præ nouæ substantiæ aduentu extenditur id, quod laxum, flaccidumq; dudum erat, vt contingit in vtribus, folle, aut vesica, quas flatu immisso turgescere confestim obseruamus. Alter modus obseruatur in follibus, præcedit enim eleuatio instrumenti, mox consequitur substãtia illa, seu aer sit, seu aqua, nullâ, vel breuissimâ quidem intercurrente morâ, alioquin nõ immunis esset à vacuo, exiguo illo in interuallo. Quòd si substantia illa, corpusue præstò non esset, prius disrumperetur follis, quàm moueretur fabri ad libitum. Concludamus igitur, quòd vter dilatatur, quia impletur, follis contrà impletur, quia dilatatur. Vtro horum modorum impleantur arteriæ, videbimus posthac; priorem namque sententiam tuetur Erasistratus, posteriorem Galenus, pugnatque veluti pro aris, & focis. Superest pulsio postrema inter motus violentos, præterque naturam, quæ tamen difficilis captu est, quomodo tamdiu duret præter conditionem violenti, quod ab omni perpetuitate abhorret; & cur natura, quæ tantis ingenijs conspirauit ad sanguinis perfectissimam generationem, vix absolutam expellat, inque extremos propriæ ditionis fines releget. Contingere tamen nihilosecius hæc valere, multi nostra ætate credunt, & tuentur. His, ni fallor, occasionem præbuit Andreas Cæsalpinus nostras, & Pisani Athenæi decus quondam fulgentissimum, quod adnotaui in quarta Nocte Geniali in lemmate *de rebus nouiter repertis*. Nobilis hic Auctor non semel suis in quæstionibus Peripateticis hanc, vt ita dicam, manibus, pedibusq; iuit in sententiam, sanguinem in nostro corpore,

pore,

pore, veluti circulo quodam ferri, & à corde in cor desinere, quod apertissimè fassus quandoq; est, scribens, *Huic sanguinis circulationi ex dextro cordis ventriculo, per pulmones in sinistrum eiusdem ventriculum optimè respondent ea, quæ ex dissectione apparent.* Neque, forsan, defutura illi erant speciosa testimonia Hipp. & Arist. quod tunc notabamus, noui placiti in confirmationem. Fœlix cui contigit post mortem nancisci Clarissimum Patronum Guglielmum Harueium Regium Medicum, nobisq; percarum, qui abortiuam illam opinionem excoluit adeò, vt nihil cultius nostro sæculo, nilq; mirabilius occurrerit curiosis, & amænarum litterarum amatoribus. Hanc ille fulcit varijs experimentorum generibus, rationibus Topicis, & demonstratiuis confirmat, itaut assensum, vel ab inuito aduersario, extorqueat. Substiti admirabundus ego, & quæ mentis meæ est hebetudo, non omnia plenè assequi valui: quapropter veniam ab amicissimo Viro precabor, si quid non contradicendi, verùm animi mei exercendi caus dubitabo: securus ab Arist. censura, qui alicubi monebat: Quòd *dubitare de singulis, non est inutile.*

QVÆSTIO II.
De Motu Cordis, & Arteriarum.

ADiunctas cordi esse duas auriculas, singulã singulo ventriculo, nõ auditionis in vsum, imperforatæ.n.sunt, verùm nobilioris alicuius officij in gratiã, & ratio suadet, & euincit experimentum. Cõtrario præterea illas motu, quàm cor faciat, ipsas cieri ratũ est, ita vt corde dilatato ipsæ constringãtur, constricto dilatentur. Non ignorare namq; vos puto, quòd vbi occurrit in conspectum nostrum cor viuentis animalis, duplicem in illo obseruari motum, nec non, & duplices quietes, quæ motus illos dirimant: alioquin vnicum euaderet in motum, sic nos erudierat Præceptor. Quatuor igitur motus, totidemque quie-

quietes obseruantur in cordis motibus, respondentes quadruplicibus corporibus, quæ mouentur, nempè duabus auriculis, & ambobus ventriculis. Neq; enim sat est ad extenuandum assignatum numerum, quòd eodem tempore moueantur auriculæ, & subsequatur ventriculorũ motus, vt si decem spatientur iuuenes ociosi per theatrum pari gressu, non vnus dici potest motus, vnicũq; corpus moueri, verùm quot numero sunt spatiantes; sic pari pacto, & in partibus cordis contingit. Ambiguitas enim hinc orta est, quòd nulla temporis hic habetur ratio, quod est mensura motus, verùm ipsius motus præscindendo à mensura, qui secundùm mobilia numerari debet. Verùm his posthabitis, quæ notissima sunt, vel tyronibus in Physica facultate, satius erit in præsens causas inuestigare multiplicis huius motus, & quietis, haud enim verisimile videtur rem tantam suis carere mysterijs. Arist. quamquam cordi plurimùm addictus, & ipsi cuius gratia, committit nihilominus causam soli feruori, quod & contingere, vel cæteris in rebus, quæ ferueant, nobis ob oculos ponit. Eleuantur illa calore vrgente, atq; materiam extenuante, considunt mox tamen proprio pondere depressa, repetit actionem calor, & turgescunt, subsident iterum, motusq; obliteratur. Cor verò feruere qui negat, is ignorat fontem illum esse innati caloris, cui demandata est iugis illa alimenti perfectioris coctio, quam cedunt apparati humores in purissimum sanguinẽ, membrorum nutritioni perquàm idoneum. Quum igitur nunquam ocietur cor ab huiusmodi apparatu, quod omnibus est in confesso, nunquam desinet alternus ille motus, & reciprocatio, quæ arterijs eodem temporis momento communicatur, vtpotè partibus à corde enatis, & quæ arctissimo vinculo ipsi iunguntur. Sic motus cordis, & arteriarum, Aristoteli, non finis alicuius gratia, verùm ex necessitate materiæ absoluitur, velutq; consequutione quadam ad opus, quod primo loco à natura intenditur, coctionem nempè sanguinis, quod & videre datur in bullientibus lebetibus.

bus. Hæc pro Arist. sententia, quã ille enucleat in *lib. de Iuuen. & Senect. cap. 2.* Longè diuersâ procedit viâ Galenus, neq; ex materiæ necessitate illa contingere credit, verùm ex genuino naturæ instituto in animalis custodiam. Duo namq; erant, quibus consulere ex animo illa tenebatur in non cõtrouerso cordis feruore; primùm quidem, ne excresceret in immensum cũ animalis pernicie, alterum ne fuligines, quæ inde eleuantur, laborãtem ex impræmeditato opprimerent. Vtrisq; consuluit natura, feruori refrigerium opponens; fuliginibus exclusionem parans. Fit autem refrigeratio introducto nouo aere per arteriarum dilatationem in vocata Diastole; abiguntur fuligines in systole, constrictione nempè, dum cor, & ab illo enatæ arteriæ, simul, eodemq; tempore arctantur. Moderatur verò vtrisq; motibus facultas, neq; cæco ductu sinit illos progredi; nam primò eleuat, & dilatat cor, & arteriarum latera, mox pio dilatationis modo subingreditur aer in refrigerium æstuantis: cõstringuntur mox facultatis ad normam vtraq; corpora, vt molestans expellant, quæ officia repetunt donec viuit animal, nec mora, nec requies vlla est cum animalis salute. Hæc Galenus. Succedit tertio loco noua opinio *de motu cordis, & arteriarum*, quam non video à superioribus longè diuersam: quòd si dixero eius auctoribus, non ero iniurius; profitentur nanq; hi, vel in primo controuersiæ vestibulo, impugnare cuncta quæ credidit Antiquitas, velutque nobis per manus tradit. Quin neq; vocibus parcunt; nam Diastolen Veterum, Systolen dicunt, & Systolen, Diastolen; à quibus tricis iurè se poterant abstinere: tum quia iniquè turbatur possessio rerum auctoribus, quorum est nomina imponere, tum etiam quòd difficilem quæstionem, penitùsq; paradoxam data opera infuscant, inuidentque lectori progressum. Credunt igitur, motum cordis in hunc finem à Natura fuisse institutum, vt cõfectum alimentum in corpus distribuat, vi quadam illud protendens, velut per Siphonem, quod fieri prædicant in Sy-

stole

ſtole veterum, quæ Diaſtole ipſis: de Syſtole verò quantum aſſequor, nulla his cura, vt neq; à quanam facultate irrequietus ille motus oriatur, an ſequatur materię neceſſitatem; quandoquidem non malè Natura vereri ſibi poterat ob ſanguinis copiam, inq; opprimentē exurgere valebat expultrix, priuſquàm obrueretur. Vt fidem dictis facerent, extenuarunt prius quæ ab Antiquis de motu cordis, & arteriarum fuere tradita, plurimaque congeſsêre, quæ fidem nouo placito conciliare valerent, quorum nonnulla ad lancem reuocabimus: ſingula nanque examinare onerosum nimis eſſet, forſanque ſuperuacaneum.

Hæſitantiæ nonnullæ inducuntur.

ET quoniam liberum eſt vnicuique philoſophari, meo in præſens vtar iure, abſque vllius iniuria: præſertim quum ipſemet Galenus Medicinæ egregius inſtaurator, Magnoq; Hipp. ſemper addictiſſimus, teſtatus aliquando ſit, ſe tanto præceptori fidem minimè habiturum, niſi demonſtrationum firmiſſimis momentis propriam ſententiam, vbi ſe ferebat occaſio, firmaſſet. Principiò illud apud me arbitrarium eſt, aut ſaltem malè hucuſq; firmatum, quòd cor in ſingula illorum ſyſtole, noſtraq; dilatatione excludat, quicquid ſanguinis reperiatur in ventriculis. Tantùm enim abeſt vt ex partium ſtructura, nouoq; ſitu illud nobis conijcere liceat, ex quo ſcientiam habere non datur, vt contrarium potiùs euincere non æſtimem arduũ. Extendi cor, & omnia latera dilatari, neq; ipſi diffitebuntur aduerſarij. At noua hæc cōſtitutio non excludendo humori, vel ſpiritui apta eſt, verùm excipiendo, inq; proprium ſinum admittendo. Neque valet, ſi dicas, ventriculos tunc depleri: Nam experimentis contrarium oppono experimentum, & ſemper ſanguine onuſtas obſeruaui cauitates illas, nullumque non tempus dari, in quo Sanguis in ventriculis

culis illis non stabuletur, autumo. Neq; pariter valet, si dixeris, acus, vel gladioli apice punctum ventriculum illo in articulo sanguinem eiaculari: nam facit & hoc vena quælibet saucia, & ad maximam quandoque distantiam. Saltuatim egredi sanguinem illum nil magis confirmat, quæ ponunt: nam motus sequitur partis naturam, à qua emanat, contractæque arteriæ per accidens, præterq; naturæ intentionem illum excludunt. Deflorescere motu in illo cor, non arguit sanguinis inopiam, sed refrigerij præsentiam, quod & in auriculis contingit, vt in progressu dicemus. Ac tādem, quî posset Natura sanguinis co-ctioni sufficere, & illius copiæ parandæ, quæ singulis momentis educitur? Quæ inquies, quæ breuitas temporis, vel paucorum momentorum permittit sanguini moram, ita vt vix admissus, confestim excludi se patiatur, fraudatus elaboratione, quam perperàm sperauerat. Quantuscunque enim sit calor cordis, maximæq; efficaciæ, agens tamen naturale est, cui repugnat instantanea actione effectum producere, quem nonnisi, & quiete, & diuturno incubatu absolui par est. Ad copiam quod attinet, quatuor millia drachmarum, & amplius, erogantur horas in singulas, vt constat ex illorum calculo, quas compensare nullo modo potest natura, quouis conatu venæ arteriacæ, vt mox videbimus. Quandoquidem nobilis hic Auctor hæc habuit in votis, vt ipse fatetur disertis verbis, *in perfectioribus nimirum, & calidioribus animalibus, ijsq; adultis, vt in homine, sanguinem de dextro ventriculo cordis per venam arteriosam in pulmones, & inde per arteriam venosam in sinistrū ventriculum, & subindè in ventriculum cordis sinistrum permeare primùm posse, deinde ita fieri contendo.* Experiamur igitur hominis conatus, an maximas, quas præuidet, difficultates, sua industria superet. Nam quantum video, arduam insistit viam, & quæ obicem insuperabilem ipsi opponit: à vena namq; arteriaca, per quam sanguinem communicari sinistro cordis ventriculo ille retur, nullus patens, occultusue agnoscitur meatus: Cap. 6. in fin.

ita

ita vt arbitrariũ omninò videatur placitũ, sola nouitatis cupiditate excogitatum. Non satis firma videntur quæ congerit Vir doctissimus, exempla pro re confirmãda, quod enim madens terra, aut sudor per cutem, vrinaue per renum parenchyma conuincunt, vbi expeditissima debetur via, patensq; ductus ad instaurandam expulsi sanguinis copiam. Auxiliarem quem sibi fingit sanguinis impulsum à vena arteriosa, debilis prorsus est, magis enim impinget, vlteriùsq; sanguinem propellet. Vt.n.ad hoc institutum nemine contradicente, verũ illud esse creditur, vt pulmones, viscus præstantissimum, atq; æstuosissimũ alat, eisq; perpetua fatigatione laborantibus subueniat, quanquam nouo munere illud onerent in præsens: sic distributio ipsius in minimas radices per pulmonum parenchyma, nullo, aut cæco penitus anastomoseos vestigio, aut arteria venosa, aut lacunula quadam, vbi se deoneret certo certius euincunt, sat illi esse pristinum officium, neq; nouum hoc deferendi sanguinis in sinistrum cordis ventriculum illi committi posse absq; temeritatis, malæue fidei nota: quantumuis illud inculcent fautores, & fieri potuisse, & posse asseuerent: quum tamen, Galeno monitore, rerum euidenter apparentium iudex sit experimentum, non ratio, quam sibi verisimiliter quisq; confingit. Quapropter benè erit, si posthac validioribus medijs nobis submiserint prædicatum hunc transitum, patulamq; indicauerint semitam à dextro in sinistrum cordis ventriculum, qua antiquam explodant viam per septũ illud, quo dirimuntur cordis ventriculi ad inuicẽ. Igitur quod proprij muneris erat, vt confirment, non tamen fieri potuisse, verùm & factum, quòd sanguis à dextro in sinistrum cordis transeat ventriculum, assertorem adducunt Galenum lib. 6. de Vs. Part. cap. 10. & 11. vbi locorum plurima habet digna cedro, præsertim verò quæ faciunt ad pulmonum nutritionem, & venæ arteriosæ vsum. Aduerte animum. *Quod tibi puto satis fore ad intelligẽdum, aliam rursus naturæ admira-*

mirabilem prouidentiam, si modò memoria tenes ea, quæ in illis demonstrauimus, quòd partium animalis aliæ quidem crassiori, & (vt ita dicam) fæculentò aluntur sanguine, quædam autem contra tenuiore, & vaporosiore: atq; etiam quod reliquæ particulæ omnes, omnium sunt participes, & venæ, & arteriæ, quarum hæ quidem exigui, & eiusdem tenuis, atq; vaporosi sanguinis, illæ verò paucissimi, & ipsæ spiritus, verùm caliginosi, ac crassi. Quòd si ita est, vt re vera est, corpusq; pulmonis ali est necesse non vt iecoris corpus, limoso aliquo, & crasso alimento, sed tenui, l ui, ac vaporoso, apparent omnia mirabiliter ab animalium Opifice constructa; vnumquodq; enim alimento sibi simili nutritur, quemadmodum id quoq; demonstrauimus. Porrò pulmonis corpus leue est, ac rarum, & velut ex spuma quadam sanguinea concreta conflatum, ob eamq; caussam puro sanguine, & vaporoso, ac tenui indiguit, non autem, quo modo iecur, limoso, & crasso. Totus igitur in hoc capite est, vt congruens assignet pulmonibus alimentum, quod ex tenuiori conficiat sanguine. Quapropter meritò, & illa subnectit. *Et quidem cæteris partibus arteriæ crassæ, & densæ generatæ paucum omninò, eundemq; vaporosum sanguinem vicinis partibus trahere permittunt: pulmoni verò solum, copiosissimum eiusmodi impartiunt, vt quæ præ raritate, ac tenuitate ipsum continere nequeant. Ex quo efficitur vt nutriendi ratio pulmoni planè contraria sit, ac cæteris omnibus animalis partibus, quemadmodum, & corporis substantia: neq; enim vllam aliam reperias particulam raram adeo, ac leuem, & spirituosam, neq; quæ sanguine ita puro, & tenui, ac vaporoso nutriatur. Quòd itaq; venæ propter crassitudinem suam, ac densitatem alimenti minùs ipsi tribuere possunt, hoc omnes arteriæ compensant, tenuem, syncerum, ac vaporosum sanguinem abundè ipsi dispergentes.* Vt ostendat verò tandem necessitatem auricularum, illud sibi assumit. *In toto corpore mutua est anastomosis, atq; oscillorum apertio arterijs simul, & venis, transumuntq; ex se se pariter sanguinem, & spiritum per inuisibiles quasdam, atq; angustas planè vias. Quòd si os ipsum magnum venæ arterio-*

sæ

sæ itidem semper patuisset, nullamq; natura inuenisset machinam, quæ claudere ipsum, cùm est tempestiuum, ac rursus aperire queat, fieri nunquam potuisset, vt per inuisibilia, atq; exigua oscilla sanguis contracto thorace in arterias transumeretur. Neq; enim similiter omne ex quouis attrahitur, neq; emittitur. Sed, quemadmodum, quod leue est, faciliùs eo, quod grauius est, dilatatis instrumentis attrahitur, ijsdem autem contractis exprimitur, ita & per latam viam celerius aliquid, quàm per angustam, trahitur, ac rursus emittitur. Cùm autem thorax contrahitur, pulsæ, atq; intro compressæ vndiq; fortiter, quæ in pulmone sunt, venosæ arteriæ exprimunt quidem quam celerrimè, qui in se ipsis est, spiritum, transumunt autem per subtilia illa oscilla sanguinis portionem aliquã: quod nunquam accidisset profectò, si sanguis per maximum os (cuiusmodi est venæ huius ad cor) retro remeare potuisset: nunc verò reditu per os magnum intercluso, dum comprimitur vndiq;, destillat quippiam per exigua illa orificia in arterias. Quid hic dicet doctissimus Dominus? Anastomosin si confirmare satagat, iam manus dedimus, damusq; in præsens, non posse ora venæ arteriosæ destillare quippiam per exigua illa foramina in arterias delabens. Quid inde? Infert ne, Vir egregius, si malè non ariolor; igitur à dextro ventriculo per venam arteriosam facta anastomosi cum arteria venosa transfertur sanguis in sinistrum cordis ventriculum? Vniuersus ne, quod necessarium erat? non quidem, nam laudatus ab eo Author habet, *destillat quippiam*. At quantitas quanta destillari debebat, & exprimi ex Haruæi doctrina, & dexter ventriculus penitùs exinaniri: Quod si contingeret, non *destillaret quippiam*, sed insignis, neq; extenuanda portio. Et quod caput est, ne rem dissimulem, & inutiliter quæstionem vlterius protraham, anastomosis illa, & sanguinis portio, quæ ab arteria venosa in venam arteriosam transfunditur, viceq; versa communicatur, omnis cedit in pulmonis alimentum. Hoc sibi voluit Galenus, vt retuli superius, & concludit modò ex dictis, si libet, ne falsa sibi imponere

Har-

Haruæius arbitretur, quod cane peius, & angue semper abhorrui. Adeat ipsum Galenũ in calce illius cap. 10. *Quod quam pulmoni sit vtile, ijs fortasse iam est exploratũ, qui ea, quæ de ipsius nutritione scripsimus, meminerunt: si id minus, at ego certè strictim id percurram, si prius omnem, quæ nunc in manibus est, disputationem conclusero.* Iam igitur ex disputatis constat, non solùm non fauere Doctissimo Haruæio innouanti Galenum producere cũ Anastomosi, verùm officere, atq; obliterare omnem suspicionem, quum sanguis ille reciprocus totus absumatur in nutritionem pulmonum, non illos peruadat, & depletum sinistrum cordis ventriculum oppleat, quod fieri quotidiè, haud rectè asserebant contrariæ sententiæ propugnatores. Sinamus igitur illos noua in hunc vsum comminisci vasa, quæ illorum est solers sagacitas, dummodo permittant nobis interim perfrui sana Antiquorum doctrina.

HIPPOCRATES.

At verò propè exortum venarum, corpuscula circum ventriculos consurgunt, mollia, cauernosa, quæ auriculæ appellantur. Non sunt autem foramina aurium, non enim clamorem exaudiunt. Verùm sunt organa, quibus natura aerem rapit.


SVpererant examinandæ cordis auriculæ, apophises, nempè illæ, quæ iuxta vasa appositæ, cõtrario ipsis motu cientur; nam dum cor dilatatur, ipsæ contrahuntur, dum contrahitur, dilatantur: magno equidem naturæ artificio, illoq; admirando. Carneę sunt appendices, figura æmulæ aurium, nisi quod foraminibus carent: non perperam, aut luxuriantis naturæ operâ illic sitæ: verùm vsus præstantissimi in gratiam. *Verùm sunt organa, quibus natura aerem rapit*, æstuantis cordis in medelam. Tanta necessitas fuit, vt visceri huic præstantissimo consuleret natura, vt non vnico ingenio illius æstui consulere studuerit: verùm & varios meditata sit apparatus, quo attra-

ctus aër innoxius foret feruenti visceri. Periculum enim imminebat, ne à frigidiori aëre extingueretur, velut à positiuo contrario innatus illius calor. Quapropter optimo iure solertissima natura, velut tepidarium quoddam molita est, illudq; varijs anfractibus excultum, vt inspiratus aer iam cicuratus cedat flagrantis in subsidium.

HIPPOCRATES.

Et sanè videtur mihi boni, ac præstantis artificis opificium esse. Quum enim considerasset figuram solidam futuram ipsius visceris, propter sanguinis ex venis effusi collectionem, ac concretionem, deindè attractorium ipsum esse totum vidisset, folles ipsi apposuit, quemadmodum fabri ferarrij fornacibus solent, quo per ipsis spiritum apprehenderet.

TRahi aerem ab auriculis, non mitti, docet nos modò Hippocrates, cui ego plenissimè assentior, monitus olim, dilatatione attrahi, vt constrictione expelli quicquid corporis, vel spiritus in partibus contineur. Trahunt igitur auriculæ aerem iam in pulmonibus apparatum, illumq; vlteriùs excolunt, mox in fistole dimittunt in cordis ventriculos, vno, eodemq; tempore, vt par vtrisq; succedat subsidium. Quæ aptissimo follium fabri ferrarij explicat exēplo, nulla nostra opera indigo, præterquam si vos admonuero similitudinem in hoc stare, vt quemadmodum apponuntur folles à fabro ad aeris attractionem: pari pacto contingere in auriculis, quarum munus est aerem attrahere è pulmonibus. In reliquis non quadrat exemplum, quod ferè contingit in omnibus, eaq; propter vulgatum est Logicorum in Scholis, exempla vno pede ambulare, claudicare verò duobus.



De

De Cordis auriculis.

NIl in humano corpore ociosum, in corde verò, quod vniuersi compendium, cuncta, nec ociosa, atq; admiranda. Additamenta illa, quæ ob externam frigiditatem cordis auriculæ, tanquam capiti (ipsius nempè basi) adnatæ sunt, nobilis alicuius vsus in gratiam cõstitisse, verisimile est. Nõ ignotum munus est, quod primus omnium mortalium illis dudum tribuebat Hippocrates, vt tanquam appositi folles aerem raperent, cordis in refrigerium. Hæc dum meditor, conspicor illas sui iuris, & cordi gratis ancillantes: nã neq; ab ipso cientur, neq; vis vlla à corde in illas deriuatur: verùm neq; beneficium. Contrario nanq; dum cientur motu ab eo, qui cordi familiaris, & hoc dilatato dum constringuntur, constricto, dum dilatantur, sui prorsus iuris nobis esse declarant, gratisq; assistere, ac moderari imminenti incendio. Cõminiscebantur posteri alias nec non vtilitates; quum .n. cor præ caloris excessu calidissimũ sit inter corporis nostri partes, ac proindè validissima tractione præditũ, periculũ imminebat, ne si quando adaugeretur. Calor ille motu corporis, vel animi, & attractio intẽderetur, ne cor disrumperetur; quod exsugẽti phialã vehementer cõtingere obseruabat Galenus; æquum proindè, parq; fuit semper materias adstare, quas cor attrahere valeat, vbi similes occurrant conatus. Laudo excogitatam prouidentiam: verùm non vsquequaq; modus hic satisfacit; Et ratio est, quoniam, vel aerem, vel humorẽ, promptuariũ in hoc reponi censent Si primum, recidit cum Hipp. nuper enarratã sentẽtiã: si sanguinem; illis ipsis auctoribus nunquã ibi ociosus stabulatur; verùm singulis in dilatationibus cordis absorbetur: ita vt vel perpetua sit cordis voracitas, imminensq; rupturæ discrimen: aut malè natura consuluerit hominis indemnitati: quũ præuiso periculo nullis præuentionibus, ex congruentis clandestinæ materiæ

apparatu futura mala auerruncauerit. Altiùs se, auriculasque euexit Gulielmus Haruæius, dexteramq; præsertim, quam primam viuere, postremam mori obseruauit, primum motorem sui sanguinis. *Quare necessariæ? vt scilicet sanguinem in ventriculum subseruientes infundant: ventriculus verò continuò (se ipsum contrahendo) iam ante in motu existentem sanguinem commodiùs elidit, & violentiùs propellit, vti cùm ludis, pilam ne fortiùs, & longiùs à reuerberatione percutiendo, quàm simpliciter proijciendo, impellere poteris. Quinetiam contra vulgarem opinionem, quia neq; cor, neq; aliud quicquam se ipsum extendere sic potest, vt in se ipsum attrahere sua diastole quicquam possit, (nisi vt spongia vi prius compressa, dum redit ad constitutionem suam) sed omnem motum localem in animalibus primùm fieri, & principium sumpsisse constat à contractione alicuius particulæ: ideò à contractione auricularum conijcitur sanguis in ventriculos (vt ante patefeci), & inde à contractione ventriculorum vlteriùs proijcitur, & transfertur.* Quam tamen theoriam non ita planè concoquo, neq; Antiquorum quispiã admittet, præsertim si dilatationem cum constrictione, vicèq; versa, vnà confunderit, quod fecit Haruæius; facitq; in præsens, dilatationem veterum constrictionem nuncupans: qua in re ad summum lis esset de nomine, non de re per nomen significata. Vt vt sit, grauis emergit modò difficultas, an prædicatæ cordis auriculæ dilatẽtur, quia impleantur: an verò impleantur, quia dilatentur. Denuo impleri iam omnibus est in confessò, depleri consequens flacciditas indicat abundè. Nõ desunt ex recentioribus Anatomicis, qui priori sententiæ manus dent, & dilatari auriculas, quia implentur, asseuerent, quo iudicio, quaue coniectura, hoc est in arcanis imperij, neque vacat expiscari illorum sensum. Satiùs proindè duxi nostro hærere coriphæo: qui apertis verbis dudum nobis insinuabat, aerem illum æstuantis cordis in medelam *absorberi* (nota) ab auriculis: itaut præcederet necessum illarum dilatationem, seu dicas (tuo ex instituto) constrictionem

De mot. cor. cap. 17.

nem, seu coarctationem: hancq; tandem subsequi aeris, vel sanguinis introductionem, quod & follium allatum exemplum abundè confirmat. Nam prius hi dilatantur, deindè noua substantia implentur, vt constat experimento. Sub dubio substantiam reliqui; vt enim nihil habeo, quod opponam aeris ingressui in auriculas; sic anceps sum, an subingrediatur cum aere sanguinis portio aliqua redux, quam vena arteriosa erogauerat olim pulmonum in alimoniam. Quot vt contingeret, fas erat, & nullo obstaculo succedere poterat. Non adeò praeterea compertum mihi est, an idem sanguis auricularum regrediatur saepius, quasi circulatione quadam maiorem acquisiturus gratiam, priusquam iam absolutus, dignusque cordis familiaritate, absorbeatur tandem, nunquam rediturus antiquas in sedes. Sed haec altioris considerationis sunt, neque praesentis occasionis est illa scrutari.

HIPPOCRATES.

Signum autem sermonis hoc est. Etenim cor videas ex toto ventilari, aures verò priuatim tum inflari, tum considere, ac contrahi. Et propter hoc etiam dico, quod venae quidem operantur respirationem in sinistrum ventriculum, arteria autem in alterum. Molle enim magis attrahit, & incrementum capit.

VT verissimum est, cor ex toto ventilari, auriculas verò priuatim inflari, atque considere, sic mihi dubium in praesens occurrit, quomodo illud nobis futurum sit pro signo, & confirmatione praecedentis dilatationis, quam in follibus contingere dicebamus: poterant enim auriculae instar vtrûm impleri, hincque dilatari, quod credidit A. Piccolomineus. Respondetur, quod cor *ex toto ventilatur* per Systolen, in qua fuliginosa corpora excernuntur; superest igitur, vt, si contrario huic motu cieantur auriculae, fiat per Diastolen, ad quam consequitur sanguinis, vel aeris affluxus, vt ad folliũ dilatationem aeris solius.

HIPPOCRATES.

Oportebat autem nobis magis incumbentia cordis tegmina perfrigerari. Est enim calor non in dextris: quare propter hanc affectionem, non acceperunt amplum organum, vt ne in totum ab ingrediente aere superarentur.

TAcitæ satisfacit obiectioni, an ex vsu fuerit, tales moliri appendices, quibus aere expletis cordi refrigerium accederet, quum promptiores reperiantur viȩ? Prȩterea si nec sunt, cur natura non maiores illas effecerit ad vberius refrigerium. Respondetur, eas optimè congruere magis vt externæ cordis partes refrigerentur, ne læsio aliqua cordi subsequatur; calore nanque etsi gaudeat dexter ventriculus, non is tamen est vt ferueat, quod in sinistro accidit. Eaq; propter *nō acceperūt amplum organum*; maiores, scilicet, auriculas: ne præ intensa refrigeratione à maiori aeris frigidi mole: (in maiori enim mole maior est virtus) *vt ne in totum ab ingrediente aere refrigerarentur*, quod factum fuisset, ni Conditor futuro periculo prouidè consuluisset, situ externo auricularum, illarumque exiguitate.

HIPPOCRATES.

Restant dicendæ cordis pelliculæ latentes, opus dignissimum cognitione.

ET verè *dignissimum cognitione*, in quo mirabile naturæ artificium elucet, obstruitque probè os Epicuro aienti, omnia casu consistere, atque constitisse prima in generatione. Vndecim enim hæ membranæ cordis vasis appositæ, quibus prohibetur, ne materiæ egressæ regrediantur, eædem numero sunt in omnibus, situ, positu, figura, officio, ita vt ne modicum quid varient; qui ordo, nouumq; artificium, nonnisi à præcla-

ro aliquo artifice præſcribi poterat: cuius in idea præceſſerat olim talium partium mirabilis diſpoſitio: tantùm abeſt, vt caſui, fortuitoq; atomorum congreſſui membranulæ nobis modò propoſitæ ab Hipp. ſua exordia accepta referant. Eſt quod gratulemur tanto Auctori, ipſiq; grates plurimas agamus pro collato in nos beneficio: primus enim Antiquorum is fuit, qui nobis talem communicauit eruditionem, & cõditricis Sapientiæ arcana, vel in humili hac pellicularum congerie, nobis propalauit.

HIPPOCRATES.

Sunt enim & aliæ quædam in ventriculis pelliculæ, velut araneorum telæ extentæ, quæ vndiquaque oſcula cingunt, & ſtrias, ac ſegmenta in ſolidum cor inſerunt. Hæ mihi nerui ipſiu viſceris, & vaſorum principia aortis eſſe videntur: eſt autem ipſarum par vnum.

HAbet Cor, vel ſui in meditullio aliud mẽbranarum genus, quod tamen nil communicat cum ſuperioribus officijs, verùm ambiunt ventriculos, ita vt principium aortis vel radicationis, vel exortus præbere videantur. Nerui hæ viſę ſunt Hipp. & nepoti Ariſt. quapropter cor neruoſum ſcripſit eſſe principium: cautior noſter neruos *ipſius viſceris* appellauit, tanquam faciant ad robur partis, reliquorum neruorum, aut ligamentorum ad inſtar, quibus membra firmantur.

HIPPOCRATES.

Cæterùm oſculis ſingulis tres pelliculæ ſubornatæ ſunt, rotundæ in ſummo, velut circulus ſemiſectus. Et qui rei intelligentes ſunt admirantur, quomodo oſcula, & aortarum fines claudunt. Et ſi quis veteris, eximendi cor mortui, moris gnarus, aliam auferat, aliam reclinet, neq; aqua, neq; flatus immiſſus in cor penetrarit.

SItum, figuram, & officium membranarum; quæ primo loco, vtpote rem *digniſſimam cognitione* propoſuerat, in pre-

ſens declarat. Ait igitur *tres pelliculas appoſitas eſſe ſingulo oſculo*, præterquam vni, quod binas ſortitũ eſt: detur hoc artis nouitati, nõ ſecus ac quòd omnes figuræ ſint circulares: officium tamen claudendi tam perſpectum eſt, vt omnes in admirationem trahat, præcipuè gnaros anatomicarum adminiſtrationum, qui extracto corde ad oculum monſtrant, quomodo membranulis illis ritè diſpoſitis, neq; ſpiritus, neq; aqua in cor penetrant, quod experimentum veriſſimum eſt: neq; minus vera eſt altera obſeruatio, quòd occluſio hæc à membranulis exactior eſt in ſiniſtro ventriculo, cuius cauſam mox annectit.

HIPPOCRATES.

Atq; hæ magis in ſiniſtri ventriculi oſculis exactius, & meritò ſanè ſubornatæ ſunt. Mens enim hominis in ſiniſtro ventriculo inſita eſt, & reliquæ animæ imperat.

QVæ precioſa ſunt, maiori cuſtodia egent, at nil mente preciosius eſt, quæ reliquæ animæ imperat: curiosè igitur cuſtodienda: hæc verò ſiniſtro in cordis ventriculo habitat: igitur occludendus hic arctiſſimè, ne auolet hoſpes. Notandum, quòd Antiqui, quibus non affulſerat adhuc fulgentiſſimum fidei iubar, animam credebant corpoream, nilque aliud, præter quoddam ſublime caloris genus, cor incolentis, & præcipuè ſiniſtrum cordis ventriculum. Diſtinguebant verò implantatum partium calorem, quem animam vocabant, illiq; ignobiliorem gradum aſſignabant. Huius rei euidentiſſimam habetis theoriam penès noſtrum Lucretium in lib. 3. de *Nat. Rer.*

Eſt igitur calor, ac ventus vitalis in ipſo
Corpore, qui nobis moribundos deſerit artus.

de ſede verò, & officio:

Nunc animum, atq; animam dico coniuncta teneri

Inter

Inter se: atq; unam naturam conficere ex se.
Sed caput esse quasi, & dominari in corpore toto
Consilium: quod nos animum, mentemq; vocamus:
Idq; situm media regione in pectoris hæret.
Hic exultat enim pauor, ac metus: hæc loca circum
Lætitiæ mulcent: hic ergo mens, animusq; est.
Cætera pars animæ per totum dissita corpus
Paret: & ad numen mentis, nomenq; mouetur,
Idq; sibi solùm per se sapit: & sibi gaudet.

Qui reliquas videre auet differentias, adeat cautus ad hominem disertum, ne carminum lepore delinitus læthale ebibat venenum.

HIPPOCRATES.

Nutritur autem neq; cibis, neq; potibus à ventre, sed pura, & illustri substantia ex sanguinis discretione nata. Adsumit autem alimentum ex prima sanguinis Cisterna, radios suos eò immittens, & depascens, velut ex ventre intestinorum alimentum nonnaturale existat. Quò verò non in mora sit, qui in arteria est in fluctuatione constitutus cibus, viam in ipsam occludit.

Corpus quodlibet viuentis nutriri debere ratum est, si viuere debet: Tandiu nanq; viuimus, Arist. monitore, quādiù alimur. Mentem verò, seu innatum calorem, rem esse corpoream, iam audisti, repetatq; Galenus, si placet, 1. Aph. c. 15. calorem hunc innatum, neq; animalis generatione posteriorem: *at natura sanè, & anima nihil aliud præterquàm hoc existit,* ali igitur debet, vt cōseruetur. Non minus certum, simile prorsus esse debere alimentum alto. Quum igitur præstantissimum corpus, summèq; elaboratum sit innatus calor, non quocunq; gregali alimento, sed præstantissimo frui debet. Verùm quoniam is, qui stagnat sanguis in aorta, inquinatus plerumq; est, & nutriri quæq; in humano corpore superius dixerat: ideo defæca-

catissimo vtitur, quem haurit è proxima dextri ventriculi cisterna, vbi radios suos, semet, scilicet, extendit, vt elaboratissima, & illustri perfruatur sanguinis substantia: quæ nulla alia est, præter spiritum inibi genitũ. Sic proficit, & augetur despecto alimento exeunte, velut sibi *nonnaturali*, scilicet naturæ suæ penitus incongruenti. Ne verò obijcias aliunde sibi potuisse alimentum parare, nempè ab arteria aorta, quæ cordi connexa est: respondet hunc in *fluctuatione* positum esse, coqui.f.adhuc, atq; imperfectum esse; nam *magna arteria ventrem depascitur, ac intestina, plenaq; est alimento non principali.* Quapropter verita prouida natura ne alimentum inconfectum illud regrederetur, & innatum calorem inquinaret, maximo cũ hominis discrimine; ideò valuulas opposuit, ne regrediens quandoq; sanguis, dilatato corde, illius caulas subiret. Eaque propter sinistrum ventriculum occludere, quod fecit, curiosissimè debebat.

HIPPOCRATES.

Quod autem non nutritur sanguine apparente, & quem videmus, arteria ipsa magna, ex hoc manifestum existit. Mactato enim animali, & sinistro ventriculo dissecto, tota desolata apparet, modico seroso humore excepto, flauaq; bile, ac pelliculis, de quibus iam mihi dictum est. Arteria autem altera sanguine non est destituta, neque ventriculus dexter.

DIctorum in confirmationem: quòd arteria ipsa magna contineat, atq; nutriatur sanguine impuriore: eaq; propter necesse habuisse naturam huius in gratiam, ne ipse recurreret, opponere ad os aortæ pelliculas, obseruationem adducit in præsens, quæ talis est. Si mactetur animal, & sinister ventriculus secetur, nil in tota arteria superesse obseruabimus præter serosum humorem, bilem, atq; pelliculas. Oppositum autem vas sanguine non est destitutum, neq; dexter ventriculus. Quæ res fidem facit improbitatis alimenti, & quid præstiterint officiosæ illæ membranulæ.

QVÆ-

QVÆSTIO III.
De sanguinis prædicato impulsu.

HÆc obseruatio redarguit dubiò procul fautores nouæ sententiæ, asserentes, pulsione quadam sanguinem ferri in venas, simulq; vtrumq; exinaniri ventriculum, quum tamen modò contrarium asseueret Hippocrates, cuius obseruationi fidem non adhibere, iniustum penitùs esset, ne dicam, quod verius, merum piaculum. Equidem, quid præstet pulsio illa, & cur denuo in campum Medicum producatur, diù, multùmq; mecum consideraui, neque rationibus à fautoribus allatis satis acquieui. Quid enim operæ precium erat, tanta vi, atque conatu expellere vix absolutum sanguinem, & vtrumq; deplere ventriculum, quod tamen falsum est Hipp. obseruatu, vt audistis, nouo labore, atq; irrito euentu? Suspicari nanq; ne sanguis circulo ferretur, nisi calcaribus ijs additis, minimè firma res est, vt mox demonstrabo: circulo feratur, nec ne, posthac videbimus. Sanguis, vt hinc exordiar, quod non semel cum Aristotele inculcaui, vltimum alimentum est animalibus sanguineis, & singulis illorum membris alimentum familiarissimum, quibus ille vltrò accederet, dum corpus vniuersum irrigat fontis alicuius ad instar, cuius latices plantarum radices lambunt. Attrahunt hæ à nullo edoctæ, nullaq; vi cogente, quantũ sibi congruere intelligunt, quod & facerent, si statariæ essent aquæ, dummodo par liquoris probitas non desideraretur. Perperàm igitur cietur sanguis, vt ad membra alenda accedat, quum, & statarius peteretur. Adde quòd mẽbra singula, quæ ali debent, parùm commodam sibi fatentur citationem illam, nam si attrahere, coquere, assimilare, tandemque apponere debent, quæ functiones, vt tempore, sic quiete omnimoda indigent, dubiò procul violentus ille motus planèque momentaneus incommodabit, atque officiet eden-

cedendis muneribus. Parùm commodus erit igitur alimento motus ille per impulſum, incommodus verò prorſus membris alendis. Quorſum igitur introducitur? fatebuntur, forſan, non ex ſingulari inſtituto naturæ pulſionem hanc contingere, verùm ex quadam conſequutione ad aſtrictionem cordis, & ventriculorum. Quæ tamen aſtrictio cordis, corpus, vt dicebamus, ad latera dilatat, vel ipſis nolentibus, eaque propter pro dilatatione fuit ſemper habita, ab exordijs vſq; naſcentis Medicinæ, eodemq; motu ſimul, & ſemel cieri arterias, quaſcunq; & creditum, & experimento firmatum. Dicant quæſo, credantne, præſcindendo à quauis opinione, rerumq; ſtatu, an ſi attollantur ſuâ ſpontè arteriæ, attractæ ne ſint obuium humorem, nec ne? mihi quidem improbabile videtur illud naturali organo denegari, quod artificialibus permittitur. At vel ipſis aduerſarijs attolluntur: attrahent igitur: aut non attolluntur; vel diſrumpentur, niſi præſtò ſit humor attrahendus. Neq; valet ſi dicant, attolli, quia implentur: nam hoc eſt quod ſub controuerſiam cadit. Certiſſimum enim eſt, præcedere coarctationem, quam dicunt: ſubſequi tandem ſanguinis pulſum: mox arteriarum cunctarum diſtinctionem. Prima igitur illa citatio non à ſanguine irruente fit, verùm à natura. Ergo ſecluſa etiam qualibet ſanguinis copia, poteſt facultas ſimul, & ſemel cunctas corporis ciere arterias, non ſecùs, ac fecerit cor ipſum: & ſic impleri ex dilatatione, ſeu quouis nomine libeat nuncupare citationem illam priorem: dummodo laterum extenſioni reſpondeat materiæ attrahendæ copia. Vana igitur eſt euaſio, vaniſſima pulſio illa, vbi ſua ſpõte ſanguis per arterias vniuerſas allectus placidè properat. Altiùs me eueho, mutuorque nonnulla à Philoſophis, quô excludam pulſionem hanc, tanquam inutilem, atq; mancam. Illud intereſt, Sapientum conſenſu reminiſci, inter motum violentum, & naturalem; quòd hic in ſui fine ſemper velocior eſt, vt alter ſegnior, atq; tardior, donec corpus illud ſenſim

re-

redeat ad priorem quietem. Descendat lapis: quò è sublimiori sede decidit, eò maiori pondere donatur, ob idque in profundum magis agitur; ita vt si casus lapidis sit è turri, cuius altitudo sit vlnarum quinquaginta, tantam sibi pariet foueam, puta pedum quatuor in terra casu, sic è sublimiori turri, puta centum vlnas elata, magis agetur in profundum. Quorum euentuũ proportionem demonstrationibus firmatam typis olim edidit Doctissimus Academicus Lynceus, quem adeat, qui dubitat. Violentum motum tardiorem esse, non tam in fine, verum vbi ab impellente vix secessit, quotidiana suadet experientia. Circumagatur rota cotis aquariæ, vel qua cultros acuunt: manum amone, & rotari permitte, obseruabis subsequi statim segniorem motum, donec quiescat omninò His ita se habentibus, pulsio illa dubiò procul motus est violentus ipsi sanguini, quantumuis esset à natura intentus; per data igitur debet esse tardior in fine, quàm in principio, & desinere tandem in immobilitatem: quòd tantò citiùs succedere debet, quato sanguini magis repugnat pulsio, quàm rotæ circumactio. Neq; valet si dixeris, fatiscentem pulsionem noua pulsione instaurari. Nam incongruentia hæc sunt viribus mouentis, & mobilis. Supponamus pulsionem illam ad spithamas duas, plus, minusue extendi, succedat secunda pulsio, dubiò procul non vltra vacuum locum quid occupabit, attende tertiam obstabit præsens sanguinis, aeq; si pene rari permittet. Quid igitur pars trudet partem: at motus proprius iam fatiscit, & mox euanescit. Si implores cordis vires: at illud ex datis nonnisi intra duas spithamas ius obtinet. Ad breue igitur spacium motus ille violentus se extenderet, qui tantùm abest vt venarum sanguinem cieret, vt neq; ipsum arteriacum ad longam distantiam propellere posset. Pulsio proindè inutilis est, penitusque superuacanea.

G. Gal. in lib. de motu g.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

De Sanguinis Circulatione.

IAm igitur si constant, quæ hucusq; disputauimus de sanguine, à vena arteriosa prodeunte, qui cunctus absumitur in pulmonum alimentum, nullo, vel minimò sui vestigio relicto, quod & fatebitur passim Hippocrates, qui pro mille nobis stat; insuper, quòd nulla pulsio fit sanguinis à corde, verùm placidissimè attrahitur. Quid est igitur, vt circuitum extollant hi, vbi absumptus est primus canalis, viaq; prorsus denegata à dextro ventriculo in sinistrum, vena arteriosa intermedia, quemue siphonem substituunt sanguini in arterias pellendo, & venas quinetiam, si Dijs placet. Ne omninò insalutatæ speciosæ quædam rationes concedant, mihiq; has negligenti turpis socordiæ inuratur nota, decreui aliquas ex potioribus seligere, & ad incudem reuocare, pacato animo, nulloq; contradicendi œstro concito: verùm philosophica libertate, veritatisq; amore allecto: quæ res amicitiæ fines minimè violat, verùm extendit apud benè cordatos, quibus neq; Plato, neq; Aristoteles, tam amici sunt, quàm ipsa veritas. Cap. 9. illius tractationis tria confirmanda suscipit Clarissimus Vir:

Primum in ordine: *Continuè, & continenter, sanguinem è vena caua in arterias in tanta copia transmitti pulsu cordis, vt ab assumptis suppeditari non possit.*

Secundum. *Continuè æquabiliter, & continenter sanguinem in quodcunque membrum, & partem, pulsu arteriarum impelli, & ingredi, maiori copia multò, quàm nutritioni necessarium sit, vel tota massa suppeditari possit.*

Tertium. *Et similiter tertio ab vnoquoque membro, ipsas venas, hunc sanguinem perpetuò retroducere ad cordis locum.*

Ex quibus euincere sperat, sanguinis circuitum à corde in arte-

arterias, ab his in venas, ac tandem à caua in ipſum cor. Vt primum confirmet, ſuppoſitionibus quibuſdam procedit, vt nos in ſupputationem inducat. Binas vncias ſanguinis, vel circiter continere ſiniſtrum ventriculum ſupponit. Inſuper minorem factum ventriculum illum in contractione protrudendo in arteriam immitti partem vel quartam, vel quintam, vel ſextam, & ad minimum octauam illius portionis ſanguinis, qua Ventriculus ipſe repletus in dilatatione reperiebatur. Hinc ſupputat quantis mille vicibus in libra contrahatur: igitur immanis Sanguinis moles per cor tranſibit, priuſquã vlteriùs progrediatur, ne in vanum laboret; illud nôrit nos cenſere dilatationem ad hoc inſtitutam primò, & per ſe, vt cor refrigeret, ſyſtolen vt expurget: per accidens verò, vt prior attrahat, poſterior excludat. Non eſt autem ſemper ex vſu naturæ, vt poſteriora hæc opera ſequantur, benè quidem priora. Quapropter benè ſupponitur, exinaniri ſemper cor vniuerſum, vbi coarctatur, impleri dum extenditur, valet enim natura, vel quacunq; arctatione vrgente, nil ſanguinis excernere, quem ita ſibi reſeruat meliores in vſus, verùm concoquit iugi illo incubatu, fitq; feruor ille Ariſtotelicus, cui incommodat potius ſubtractio materiæ fulcientis, quàm commodet quicquam. Cadit igitur ſuppoſitum: quoniam ſanguis in corde perſeuerat tam in diaſtole, quàm in ſyſtole, neq; vnquam imminuitur, niſi à partibus attractus alimenti in gratiam. Hunc tamen minoris habuiſſe vidētur contrariũ ſectantes quàm reuera ſit, finguntq; ſibi ſanguinem vagum, otioſumq; per canales ſpatiantem, quum reuera plures abſumantur illius vnciæ, vel quoque vnico die. Obſeruabat Sanctorius in ſua Statica, deſiderari ſingulis diebus in corpore benè valente, plus minus libris tribus cum dimidia: quæ quantitas non ita exigua eſt, vt modum non imponat ſuppoſitionibus allatis, & ſupputationibus adductis; quas tamen declinamus, negantes, neceſſariò, & perpetuò exhauriri cordis ventriculos ſanguine, quos tamen

fri-

frigidum aerem captantes, & fuligines expellentes eundem numero conseruare sanguinem, vel pluribus in pulsationibus si asseruerimus, nil incõgruens rei veritati fore putamus. Hucusq; igitur nulla necessitate adigimur, vt sanguinem remeare credamus.

Secundum suppositum vt confirmet, exemplis vtitur, quæ tamen in ligaturas refert. Has distinguit in fortissimas, & mediocres. Priores omnem confluxum, & refluxum adimunt, nõ ita posteriores. Hæc verò lacertis, vel cruribus administratæ euincunt influere sanguinem per arterias, qua de re nulla inter nos est digladiatio, refluere per venas ad cor, quod negatur dum valet animal, neque grauibus vrgetur animi, vel corporis affectibus; tunc enim recurrit ad principium properus, vt periclitanti ferat suppetias. Prius verò quàm in arenam descendamus, operæ precium est expendere, quæ idem Auctor ponit, nullum ex Antiquioribus rectè, ritèq; vsum fuisse ligaturis, propter ignorationem modi, quo illæ operantur: non enim caloris, neque doloris, aut fuga tandem vacui, attrahaunt ad se, atq; reuellunt confluos in partem humores. Magnum petitum hoc est, neque inferius prætensa sanguinis circulatione. Dolorem non excitari à validissima ligatura qui negat, pæna sensus erit plectendus: à mediocri mediocriter affici nemo sanus dubitat, & quotidiè expertus fatetur; Attrahit igitur dolor præter opinionem secùs sentientiũ. Calorem pari pacto attrahere experieris, si manum exuccam igni admoueas: turgescit enim, mox verò calorem concipit, sanguineq; nouo scatet. Si membrum ligaueris, affluet sanguis, & cum sanguine spiritus, & calor: eaq; propter calescet pars à ligatura: ratione vacui eas trahere nemo hucusq; aut dixit, aut excogitauit, quod viderim: benè cucurbitulas, quæ non sunt presẽtis negocij. Propterea credit ipse venas ligatura interceptas, aggregare concitũ à corde sanguinẽ, & arterias nec nõ, simili modo influenti cũ impetu, sanguini esse obstaculo, hũcque

que aggregari, non attrahi: quæ res vniuersam peruertit attractionem, illiusq; commoda. Esto aggregetur, cur non sollicitari potest à dolore, vel mediocri? Nunquam cõferet igitur illa sanguinis aggregatio, vel æquè trahet, tùm ab internis, quàm à supernis partibus, & nunquam reuulsionis vice fungitur, quæ hoc habet, vt longissimè à fluxione tentata particula celebrari debeat. Quapropter dum ligaturas reformare pollicentur, omnem ligaturarum vsum nobis adimunt. Hæc pro ligaturarum paradoxa sententia: superest vt reliqua perpendamus, quæ à ligaturis mutuatur idem Author. Posthabita igitur arteriæ ligatura, qua de re nulla inter nos est controuersia (fatemur enim sãguinem per arterias à superiori parte in inferiores distribui) totus in hoc est Auctor, vt probet, ex venarum ligatura sanguinem ascendere ex impressa olim sibi vi à corde. Ascendere verò probat, quoniam ligatura intercepta vena tumefit, quod & reliquis contingit brachij illius partibus. Rata hæc sunt. Tunc sic ratiocinatur. *Aut enim per venas, aut per arterias, aut per cæcas porositates infra ligaturam sanguis aduenit: è venis non potest: per cæcos ductus minùs: ergo per arterias secundum quod dictum, necesse est. Per venas influere non posse, patet; cùm non exprimi retrò sanguinem contingat supra ligaturam, nisi ablata omninò ligatura*. Hîc hæret mihi aqua, & nisi mendum sit in scriptura, oppositum potius rei illius, quam intendit, conuincere, videtur. Integram si admisero ratiocinationem, quid officit Antiquæ sententiæ? Facta ligatura in cubito superiores venas modicum quid posse trãsmittere credimus, ita sit, demus hoc disputationi, cæcas porositates inutiles esse concedamus, supersunt arteriæ, quas fateri debeamus noui tumoris efficere materiales causas: quibus subscribimus. Siquidem non vnicum est quod tunc succedit, multaq; conspirant in venarum, & cubiti tumefactionem: principiò internæ cubiti venæ comparibus cutaneis venis ferunt suppetias; arteriæ quæ infra ligaturam laxo coarctatæ ligamento non Cap. 11.

impediunt, quominus per anastomosin illarum sanguis cutaneis vasis laborantibus communicetur; quæ œconomia semper obseruatur in humano corpore vt mutuis officijs se iuuent partes. Falsum denique est, non communicare arterias cum venis, neq; sanguinem venosum arterioso communicare, donec per cor transeat: quod experimentis, sensui, & probis authoribus repugnat. Quapropter nisi nouæ succedant turbæ, iam res communibus votis composita videtur, & tumescere venas à ligatura fatemur vnanimes, non quòd à venis superioribus sanguinem mutuentur, neq; à porositatibus, verùm ab arterijs per anastomosin, & ab intrinsecis venis partis infra ligaturam. Hæc verò, neq; noua sunt, neq; exosa D. Harueio: habet enim paulò post: *Præterea, cùm statim à solutione strictæ ligaturæ in mediocri immissione sanguinis per arterias, continuò venas intumescere videmus infra ligaturam comprehensas, non autem arterias; signum est & sanguinem ab arterijs in venas, & non contra permeare, & aut anastomosin vasorum esse, aut porositates, carnis, & partium solidarum peruias sanguini esse. Item signum est venas plurimas inter sese communicare, cum ligatura mediocri supra cubitum facta, multæ attollantur simul, & turgeant: ex vna verò venula, scalpello exitu sanguini dato, omnes statim detumescant, & in illam vnam sese exonerantes subsidant simul penè omnes.* Perpendamus modò corollaria, quæ infert in proximè sequenti cap. 12. *Quare confiteri necesse est primo, vi, & impetu suppeditari*, scilicet, sanguinem: si de vi, quæ fit per attractionem, concedo; si de impulsu, nego *& vi impingi vltra ligaturam*; plus namq; continent, quàm debeant, in cæteris nulla violentia: *vi enim & impulsu exit*, nempe, ob coarctationem, & copiam: velut pueri aquas odoratas eiaculantur compresso manibus vtriculo, *& proinde à cordis pulsu, & robore*, quod negatur *vis enim & impulsio sanguinis solùm à corde πρῶτον*, & hoc negare, meraq; est principij petitio. Prosequitur ille: *Deinde à corde prouenire hunc fluxum, & per cor transitu facto è ve-*

nis

nis magnis hàc effluere similiter confiteri necesse. Per arterias superiores non vsquequaque ligatas posse portionem sanguinis aliquam membro ligato communicari non inficior: totam de integro, nego: præstò nanque sunt inferioris arteriæ partes infra ligaturam,& quod caput est intrinsecæ venæ,cutaneis tunc famulantes: non igitur tam longinquè petendum erat auxilium, verùm ex ipsa parte, vt diximus; *cùm intra* (forsan infra) *ligaturam sanguis per arterias ingreditur, nõ per venas.* Per vtrasque ingreditur, vt audisti, neq; vlla est repugnantia, *& arteriæ nusquam sanguinem è venis recipiunt, nisi è sinistro vẽtriculo cordis.* Sat esset & è re nostra: quòd si arterijs hoc deneget Harueius, venis saltem permittat.Nihilominus magnum rursus est hoc petitum, quod neq; Galenus, neque Classicorum aliquis, verùm neque Anatomicorum quispiam Harueio permittet, certiores, mille se obseruasse anastomoses non ociosas venarum cum arterijs. *Neq; omnino aliter ex vna vena (factâ supra ligaturâ) tanta copia exhauriri vllo modo potuisset, præsertim tam impetuosè, & affatim, tam facilè, tam subitò, nisi à cordis vi, & impulsu consecutio fiat dicto modo.* Quæso vtrem Vino turgentem, aut alio liquore arctissimè liga, vt nulla supersit vacuitas, deinde gladiolo punctim saucia, & obserua quid contingat,& an necessaria sit cordis opera, vel sola copia in vnum arctata sit sufficiens ad *impetuosè, affatim, facilè subito* liquorem contentum eiaculandum. Præterea quare ingeminat impetum,qui iam euanuit,vt disputatum est superius: cur non obseruat citationem sanguinis sub digitis, quod facit in arterioso: mihi quidem nulla est, nouique plurimos, quibus exactissimus tactûs sensus, qui nullam vspiam se obseruasse fatentur, præterquam vbi interceptus recurrit; quod & contingit in tubis coriaceis, vt experiri per ocium quisq; poterit: nullo desiderato tunc à corde impetu, re inquam fictitia, atq; arbitraria: sensu verò nos docere oportet, non verbis, vt monuit alicubi Galenus noster.

 Quod

Quod ſpectat ad Tertium ſuppoſitum, Valuulas eas nihil moror, donec conſtet de illarum vſu, numero, figura, & ſitu: quod hucuſq; factum minimè eſt. Vnum hoc tantùm ſeligam, quod coram Sereniſſimo noſtro contigit. Diſputabat Harueius in mei præſentia, & euincere contendebat ſanguinis circuitum. Vt motum illius ob oculos poneret, venam manûs Sereniſs: noſtri digito compreſſit, ſimulq; ſanguinem indice expulit. Vacua remanſit vena, donec ex inferiori parte ſanguis recurreret. Exultabundus, en, Harueius ait, euidenter ſanguinis motum, & profectò res ſatis ſpecioſa videbatur. Inuitus ego dicere ſententiam iuſſus, obieci tunc, & modò rurſus repeto: cur equit venæ pars ſuperior noua indicis opera, vt loco dimoueretur properans: an non ſatis erat conceptus antea impetus, viſque illa à corde impreſſa, quod & contingit in proiectis quibuſque? At permanet, neq; abit ſanguis ille: igitur nullum concepit motum, neq; alieno impulſu agitatur. Non impediri à compreſſione pollicis, tam certum eſt, quàm quod certiſſimum: proiecta namque, aut vi impulſa, virtutem aſſequuta ſunt impreſſam in toto, & partibus, neq; à proijciente poſt iactum pendent, neque in eſſe, neq; in conſeruari: ſed veluti filius emancipatus, ſuo vtuntur penitus iure abſq; alicuius iniuria. Non ſat benè igitur hucuſque pugnatum eſt pro ſanguinis venoſi motu, & circulatione, quod quum intelligeret Harueius nouis rationibus rem denuò confirmare ſatagit. Veriſimilibus primùm procedit: rationeſq; ipſas ſic indigitat; ac primùm: ſanguis immotus, longèq; à ſuo fonte, niſi ad ipſum rediret, coagularetur: igitur circulo ferri debet, vt ſpiritum, & calorem denuo lucretur. Totum negatur Enthymema: neque enim coagularetur, neq; re ipſa in extremitatibus congelatur: quin neq; redire ea de cauſa cogitur, quum ſibi perpetuas ferri à corde ſuppetias intelligat, & ſpiritus, & influentis caloris. Secundum argumentum ducit ex refrigeratis, quos nouo calore, & ſanguine indigos dicit, & hoc non abſque mo-

tū aduenire posse: quod omninò negatur. Sola nanque qualitas expetitur, nisi emortua penitus fuerit pars præ frigore, quam qualitatem vberrimè cor ministrat, liquatque gelatum sanguinem, & partibus impactum: quibus peractis iam restitutus est, neq; longa peregrinatione eget, verùm antiquam tuetur stationem. Tertium argumentum procedit à cordis officijs coctionis, & distributionis. *Cor*, inquit, publico vsui sanguinem continet, reliquæ omnes partes sui ipsius tantùm causa, & priuato vsui in vasis dumtaxat habent. Prima assumpti pars, vt admittitur, ita & secūda penitus negatur, concinente Classicorum choro: nam Iecur non sibi tantùm, verùm & vniuerso corpori sanguinem parat: secùs quî tantam erogaret, & generaret copiam? Procedamus vlterius. At locum (iecur scilicet) obtinuit tantùm, vt ad iustitiam apparatum hoc alimentum distribuere valeat; Inferat Harueius, si libet; ergo baculus est in angulo: nunquam enim ex præmissis, directè concludendo, elicies; ergo per necesse elicitur sanguinis circulatio. Postremum argumentum ex sanguinis propensione ducitur, qui ad cor remeare, aut volens, aut inuitus cogeretur, nisi pulsione illa ad motum cieretur. Nulla hîc pro sanguinis circulatione subsidia; data nanq; vel propensio, vel necessitas intra arteriæ fines coerceretur. Præterea fictitia est inducta propensio; nam aquæ gutta (vt allato exemplo vtar) in mensa effusa non ad suum totum recurrit, verùm intra propriam orbitam se cohibet, atq; extuberat, velutq; filius emancipatus sua tuetur, parùm curans de reliquo patrimonio. Neque magis pronus est ad centrum, quàm ad circumferentiam, nisi vi illùc adigatur: neque impulsore indiget, quum puro putoque vtatur motu naturali, cui repugnat, violento simul, & semel agi, vel quocunq; simulato sub prætextu. Quapropter neque propensus est sanguis proprium regredi ad principium, sique propensus foret, malè illi cederet, frustraq; insita illi fuisset huiusmodi propensio: quum membranulæ illæ tricuspides aduenientem arcerent ab ingressu.

 No-

Nouam ingreditur viam Doctiſſimus Harueius, vt confirmet motum ſanguinis in circulum ex problematum nonnullorum ſolutione: quæ nonniſi ex admiſſa ſanguinis circulatione commodè ſolui poſſe credit. Talia verò ſunt. Primum petitur à venenis ictu illatis, quæ confeſtim cor inuadunt: non inuaderent verò tam promptè, niſi ſanguis ſua ſponte ad cor moueretur. Dato igitur cordis motu, facilis erit problematis ſolutio. Quid? (interrogo ego) in canis rabidi morſu cuius effera ſymptomata ad annum vſque durant, immo ad annos non paucos (vt patet ex obſeruationibus) an non millies ex illorum calculo cor petijt ſanguis ille; neque dum hydrophobiam intulit? Nimium confidenter, vt reor, decernitur modus, quo venena cor petunt: nam quum deleteria ſint, noſtræque Naturæ infenſa, præ maxima, quam obtinuere, agendi vi, ſanguinem actutum inficiunt: quod videre eſt in demorſis à Vipera, & Scorpione, quæ venena proprijs, non mutuatis viribus cor petunt, necem illatura: quod & faciunt alexipharmaca robur nouum Principi parti allatura: hoc enim eſt operari (vt dicitur) à tota ſubſtantia. Quare præſcindendo à quolibet ſanguinis motu, vel agitatione, irrepunt in cor venena propria virtute: ſi præſentanea ſint; ſin autem ſegniora, ſenſim humores inficiunt, & à parte poſt partem tandem cõmunicantur. De febribus quod attinet: ſanguis, qui circa cor verſatur in paroxiſmo, recurrit tandem, & extremas partes viuificat. Verũ is arterioſus eſt, non è venis: quod & ſi eſſet, à re præter naturam, ad naturalem prorſus inferre, improbabile penitus eſſet.

Cur medicamenta nonnulla exterius applicita aluum ſoluant, quærit Tertium Problema. An quia venarum orificijs admota abſorbent aliquid, & intro cum ſanguine deferunt. Quid confert hæc conſideratio Circulationi? immò incommodat, dum nouo inſtituto motu, priori penitùs aduerſo, properantem aliò, remoratur.

Quartum in ordine Argumentum longa eget conſultatio-

ne

ne cum Asellio, cuius demonstrationes nondum viderat, quum illa scriberet Doctissimus Harueius.

Et hæc satis pro præsenti Quæstione.

CENSVRA.

SI quis à me percunctetur, quid sentiam de noua hac opinione, quam A. Cæsalpinus primus inuehexit in campum litterarium, & Clarissimus Harueius, & alij complures ad hanc vsq; diem excoluêre, atq; excolunt, dicam cum Plauto, multò nequiores esse quæ nunc cuduntur fabulæ, quàm nummi noui: & verè nequiores essent, si vt hactenus, vt videtur, Medicinam subuerterent, quæ inde deducuntur conclusiones; ita vt necesse habere videantur, qui Medicinæ nomen dedêre, nobilissimam illius partem Physicam, & Symioticam, forsanq; & Therapeuticam ex parte obliterare, aut immutare si suadeantur: quod tamen difficilè futurū credo apud benè cordatos, si res, vt mihi quidē verè videtur, rectè perpēdatur. Monebo interim solertes Veteris Medicinæ cultores peculiaria nō-nulla, quæ consequuntur incōmoda nouam hanc sententiam.

Grauissimum illud est, quòd confundunt, quæ à rei natura suasi distinxêre olim Medicinæ Parentes, duplicemq; sanguinem vnam in massam cogunt, tanquam nil intersit è venis num hauriatur, an ab arterijs. Certè Hippocrates horum alterum alimentum dixit, futurum alimentum quod supererat, & præsenti in Tractatione audistis distingui in principale, & non principale. Neque valet, si dicant, fateri se venas sanguinem continere, nec non deteriorem, & iurè præ recessu à suo principio, effætis penè viribus; nam si limites excedit sanitatis, res prorsus est præter naturam, nulloq; ingenio emendanda; sin verò calorem, & nouos spiritus expetant; non immutant hæc sanguinem, noua, inquam, mutatione physica, cui necesse est nouam induci formam in subiecta materia; præter enim locum

habent hi ſanguinis conditiones ſpecificas, atq; indiuiduas à propria ſubſtantia petitas, quibus diſtinguuntur ad inuicem: tantùm abeſt vt pura refrigeratio, aut effectus priuatiuus, qualis eſt elongatio à corde, effectum producere valeat poſitiuum ſimul, & cum ſubſtantiali mutatione. Nõ benè igitur confunditur vterq; ſanguis: qui res diſtinctiſſima fuit apud veteres, alijs quinetiam nominibus illum inſignientibus, auctiui, & nutritiui, vt paſſim videre eſt apud Peripateticos. Verùm manum de tabula. In Pleuritide nullum præſtantius auxilium ſanguinis miſſione, monitu Hipp. Obſeruabat verò ſolertiſſimus hic Auctor hanc celebrari debere, donec, & quouſq; ſequatur coloris mutatio, ita vt pro atro, & illaudabili, floridus ſequatur. Quæ regula perit, vt ſanguinis circulatio fertur. Num deteriorem ſemper à ſecta vena hunc expectare oportet, nunquã verò floridum futurum; vel ſaltem eiuſdem ſemper cum priori coloris, quod cunctam peſſumdat, & Therapeiã, & Diagnoſim.

Præter verò hanc obſeruationem in ſanguine mittẽdo pernecesſariam, grauius eſt, maioriſq; ponderis, quòd neq; Pleuritidi, nec Peripneumoniæ, neq; hepatis Phlegmoni tutò mederi valeremus ſanguinis miſſione, quin inutilis, & fruſtatoria ſemper eſſet. Quod facilè probatur. Nunquam, aut perquam rarò in his caſibus accitur Medicus, quin ſit aliquid iam facti mali; quapropter ſola reuulſio, quæ fit ad corporis partes diſtantiſſimas inutilis prorſus eſſet, atq; oneroſa. Quandoquidem nulla permitteretur deriuatio, vbi ſanguis properat ad ſuperiora, ſed vix ſola reuulſio. Eſt verò deriuare, è vicino fonte haurire. At neq; reuulſio ſuccedet: ſiquidem impulſus ille vehementiſſimus à corde, quem ſeruari in ſanguine prædicant, obliterabit prorſus reuulſionis conatus, inuitaq; quacunque euacuatione ferri in ſuperiora non deſiſtet. Aut igitur nihil adferet auxilij ſanguinis miſſio, aut officiet debilitatis viribus: quas reſeruare in morbis pectoris Medicus omnibus ingenijs debet, vt in declinatione morbi vniuerſalis,

edu-

educantur per tussim iam concocta excrementa.

Intercipi nec non quandoq; par est fluentes in crura humores; non enim credo illud negabunt (quod omnibus est in comperto) fluere, nempè, indiscriminatim humores quoscunque: quin & flatus ad crura, & quod magis est; si pendulum crus moueris, breui temporis spacio pedũ venæ intumescunt. His ita se habentibus, data sanguinis circulatione, nulla permittitur interceptio humorum à superioribus partibus affluentium. Probatur: nam intercipiendus humor media sistitur in via, at per crus redux ille sanguis (secundum aduersam sententiam) impetu ad superiora properat, igitur neq; potest, neque debet intercipi inani labore.

Ampliùs repugnat hæc sanguinis reciprocatio obseruationibus quotidianis, quæ nobis occurrunt in Medicina facienda. Quotusquisq; enim nostrum est, qui non obseruarit, vbi vrgent febres mali moris, sanguinem educi, velut à cadauere, atrum, fæculentum, putridum absq; fibris, & consistentia, crassa cute, maleq; colorata, insuper verò dura adeo, vt quamlibet gladij aciem eludat: & hunc sanguinem credemus, bis, terue singula die per dextrum cordis ventriculum in sinistrum deonerari, superstite adhuc animalis vita: quum tamen plerumq; post primam missionem laudabilior succedat, nisi conclamatum sit de ægrotante. Quantò satius fuisset, viam Antiquorum insistere, & Aristotelis præcipuè, qui facilè se ab hac difficultate expediret, fassus, naturam, velut solertem patrem familias, optimum alimentum præbere filijs, deteriorẽ seruis, infimum tandem socijs animalibus, per quę designat extremas corporis partes, ad quas relegat, non impuriorem tantùm sanguinem, verùm & inutilia excrementa ibi locorũ ad tempus impingit.

Nascuntur in cruribus humanis præterea Varices, dilatatis venis, ibiq; stagnante melancholico sanguine, atq; crasso, qui statarius, quandoque putrescit magno cum ægrotantis incommodo, nonnunquam verò, & pernicie. Tunc sic: Vel nullus est san-

ſanguinis recurſus, vel ſi admittatur, neceſſe erat ſanguinem illum ſimul, & remeare: at non remeat: igitur res ſuperflua eſt, ſanguinis circulatio.

Poſtremò, datur Aneuriſma ab externa cauſa, effluitq; ſanguis in ſpacia membri magno periculo, ne putreſcat, & gangrænam, ſphacelumq; tandem inducat: quod & contigiſſe non ſemel obſeruaui. Cur venæ in tranſitu immorantem ſanguinem non reſorbent, ſecumq; adducunt in cor, ex quo arteria vulnerata præ continua agitatione, ac tanta duritie, impotens eſt continui ſolutioni mederi, & palantem reuocare. Ludicra, forſan, Clariſſimo Viro videbuntur hæc, quę raptim ſcribimus; verùm æquum, parq; eſt, Amicum Virum boni conſulere noſtram exercitationem, cuius brauium vnica eſt veritas, non contentio. Curramus igitur in hoc ſtadio, ſicq; curramus, vt comprehendamus tandem, quantum mortalibus datum eſt tantis in tenebris.

HIPPOCRATES.

Hoc quidem igitur vas cauſa fuit, mea ſanè ſententia, vt pelliculæ perducerentur.

DVbio procul arteria magna, ſeu aorta in cauſa fuit, vt pelliculæ producerentur, neq; Pythagorica tyrannide illud ſibi aſſumpſiſſe exiſtimes noſtrum Hippocratem, ſi memor es eorum, quæ ſuperius nos docuit de præſtantia huius partis, quum ob innatum calorem, quem continet, tum ob mentem, cuius ſedes eſt. Oportebat autem, decebatq; naturam arctiſſimè hunc cuſtodire, ne auolarent tam præclari hoſpites, quibus vita, & incolumitas hominis firmatur. Occludunt propterea enarratæ pelliculæ curioſiſſimè arteriæ os, ne præter ſuperiora pericula, illud quinetiam accederet, quod ſanguis refluus, quandoq; (quod in animi affectibus contingere poterat) obrueret innatum calorem, & confeſtim ſuffocaretur animal. Huius igitur vaſis in gratiã prçcipuè productæ fuêre pelliculę.

HIP-

HIPPOCRATES.

Id verò quod ex dextro fertur ventriculo, etiam ipsum quidem commissura pellicularum clauditur, verùm non valdè salit præ imbecillitate. Sed aperitur quidem in pulmonis vasa, sanguinem exhibens ipsis in alimentum.

CAua vena, quæ ex dextro cordis sinu, munitur & ipsa pelliculis, verùm longè disparibus, quanquam non valdè pulsat hic ventriculus, præ imbecillitate. *Sed aperitur quidem in pulmonis vasa, sanguinem exhibens ipsis in alimentum.* Vbi nunc sunt illæ reduuiæ, & alimenti redundantiæ, quibus frui debet sinister ventriculus ex recentiorum arbitrio? Plus credam Hippocrati erranti, quàm ijs toto nixu lucubrantibus, imitarique magis exopto Hippocratis negligentiam, quàm horum obseruare diligentiam.

Clauditur autem in cor, non tamen confestim, quo ingrediatur quidem aer, non autem multus. Debilis enim est hic calor, frigiditate facultatis superatus.

NEque confestim, neq; curiosè claudunt pelliculæ dextrum cordis ventriculũ, quô locus præbeatur subeunti aeri. Vbi elucet mirum Hippocratis ingenium, magnaq; solertia in dissecandis corporibus. Prçter id, quod tacitæ satisfacit percunctationi, quomodo aer ille, qui apparatus mendicabatur in auriculis, cordi laturus refrigerium, occlusis ianuis admitteretur. Satisfacit fassus, occludi quidem; verùm non exactè, tantamq; superesse rimam, verùm exiguam, quæ tantùm sufficiat modici aeris ingressui. Haud enim maiori indiget copia, propter caloris imbecillitatem, quod & superiùs animaduertit. Ne igitur penitus à frigiditate superaretur ex adueniente aere, rimula vtitur exigua, qua inter media, & aere fruitur, neq; copia læditur.

HIP-

HIPPOCRATES.

Sanguis enim non eſt natura calidus; neq; enim alia aliqua aqua, ſed caleſcit.

HIs aduerſari poterat, quòd quum dexter cordis ventriculus ſanguine ſemper refertiſſimus obſeruetur. calidus propterea videretur eſſe cenſendus. Hunc tamẽ ſcrupum tollit modò Hippocrates, affirmans ſanguinem naturâ calidum non eſſe, veluti neque alius liquor: quod & ſenſit Ariſtoteles, & literarum monumentis hinc edoctus, commendauit; ſed caleſcere ab innato, ſcilicet calore, & ſpiritibus, à quorum præſentia, & caleſcit, & floridus redditur, abſentibus grumeſcit, frigiduſq; deprehenditur, vel in viuentę animali.

Multis autem videtur natura calidus eſſe.

QVibus in verbis notare eſt Hipp. modeſtiam, qui etſi contrarium ſentiret, & quæ viri erat ſublimis ſcientia, poſſet aduerſarium conuellere: nihilominus permiſit illum ſuo abundare ſenſu, vbi nullum ſubſequuturum erat detrimentum inſigne mortalibus ex contraria opinione. Nobis relinquens exemplum, ne ſophiſticis inſeneſcamus argutiolis, aut proficientes interpellemus inanibus cõtrouerſijs, quod faciunt malè feriati quidã, breui perituræ gloriolę in aucupium.

Et de Corde ſanè talia dicta ſunt.

HIc limes noſter eſto, ſimul & cum gratiarum actione Omnipotenti Deo Termaximo.

Vix benè deſierat, quum ſenex Eudemus indicto ſilentio, feſtiuè nos alloquebatur. Venimus in portum, Amici, iam triduum ſupereſt officioſè erogandum in domeſticos, & affines. Viuite fęlices, noſtrique memores. Prouoco interim vos ad ANNVM II. ſi vitam Deus indulſerit.

Sed iam prima mei pars eſt exacta laboris.

FINIS.

INDEX
RERVM MEMORABILIVM
In hoc Opere contentarum
Ordine Alphabetico digestus.

A

Ac-

aqua

Fos.

H

Lac

lues

N

O

pu-

Se-

T

V

FINIS.

REGISTRVM.

a A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z. Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vu Xx Yy Zz. Aaa Bbb Ccc. Omnes sunt Quatern.præter Ccc,quæ est Quintern.& a, quæ est Ternio.



